





4871

(Pray)
FOD

481

(Pray)
FOD

HISTORIA
REGUM HUNGARIÆ,

CVM

NOTITIIS PRAEVIIS

AD

COGNOSCENDUM VETEREM REGNI STATUM

PERTINENTIBUS

OPERA, ET STUDIO

GEORGII PRAY,

ABBATIS B. M. V. DE TORMOVA, ET CATH. ECCL. M. VARADINEN. CANONICI CONSCRIPTA,

ET

IN TRES PARTES DIVISA.



BUDÆ,

TYPIS, ET SUMTIBUS REGIÆ UNIVERSITATIS PESTANÆ TYPOGRAPHIÆ.

ANNO 1801.

AVGVSTISSIMO,

INVICTISSIMO, AC GLORIOSISSIMO

ROMANORVM IMPERATORI

FRANCISCO II.

HVNGARIAE, BOHEMIAE, DALMATIAE, CROATIAE, SERVIAE, RASCIAE, GALLICIAE, LODOMERIAE, CVMANIAE, BVLGARIAE, SCLAVONIAEQVE



REGI,

ARCHIDVCI AVSTRIAE,

DVCI

STYRIAE, CARINTHIAE, CARNIOLIAE,

etc. etc.

DOMINO DOMINO

CLEMENTISSIMO.

FRANCISCO II.

AUGUSTO

ROMANORUM IMPERATORI,

ET

HUNGARIÆ REGI APOSTOLICO

FELICITATEM!

Historiam Regum Hungariæ, inter quos Stirpis Austriacæ a ducentis, et, quod supra est, annis, rerum potiti, regnum, ab hostibus prope in ruinam impulsum, virtute sua ab interitu vindicarunt, ut Nomini TVO, AVGVSTE *Domine! dicandi veniam flagitarem, cum ipsa sanguinis, quem ab illis ducis, necessitudo, tum temporis hujus habitus, resque a Majoribus* TVIS

gestæ,

gestæ, propemodum simillimæ TVIS, *suadebant.*

Nemo Illorum, jam inde a Ferdinando I. tempore, quo Hungariam, et Bohemiam, Austriacis ditionibus adjecit, et ejus frater Carolus, Imperii Germanicæ dignitatem, cum Hispania, et utraque India conjunxit, et abhinc Domus Austriaca principem in Europa locum teneret, facile fuit, cui non confestim in

ipso

ipſo pene regiminis aditu, bellum fuiſſet, Principum invidia, confectum, quo et potentia Domus Auſtriacæ ſenſim diminueretur, et alii inde lucri compendium facerent.

Quæ Majorum TVORVM *eatenus ſors fuit,* TVA *itidem hodie eſt,* AVGVSTE *Domine. Vixdum enim Joſepho II. Imperatore, Patruo* TVO, *e vivis erepto, brevique poſt intervallo, Patre,*

tre, et Matre, amissis, regna hæreditario jure adieras, cum TIBI *bellum, ab hominum memoria cruentissimum, hostis, nulla abs* TE *data causa, indixit. Quod, ubi communi fere omnium Regum consilio, opeque in principio gestum, postea autem, quam a plerisque armorum sociis desertus esses, a* TE, *pene uno in decimum annum, incredibili perseverantia sustentatum erat, ut optatam Euro-*

pæ

pæ quietem redderes, maluisti confecta pace componere, quam porro TVORVM *sanguine, causam, quæ a principio communis habebatur, ultro solus, et incerta spe, defendere.*

Quæ temperantia, et sinceræ in commune rei publicæ bonum, voluntatis TVAE *propensio, ac testificatio, non solum meritam vel apud ipsos hostes laudem* TIBI *peperit, sed documento*

etiam

etiam erit poſteris, ſi felices in principio ſucceſſus, poſtea vero, ut fortunæ vices ſunt, ſiniſtros belli eventus legerint, cauſam neutiquam TIBI, *qui fines* TVOS *ſolum tueri velle, non item latius proferre, ſub ipſum belli initium, profeſſus eras, eoque durante luculentis ſane documentis ſæpius declaraveras, verum aliis jam abhinc, quam hoſte ex Styria liberaliter dimiſſo, utiliſsimæ pa-*

cis

cis fundamentum, pro ſervando integro Germaniæ ſtatu, jeceras, ingeſtis aliunde identidem obſtaculis, tribuendam eſſe.

Ac hoc quidem poſteritatis judicio et AVGVSTVM *Nomen* TVVM *ab omni invidia intaminatum manebit, et futura ætas monumentum* TIBI, *quo animi* TVI *in rebus belli, pacisve gerendis, candorem, in promiſsis fidem, et in adverſis conſtantiam, perpetuæ memoriæ commen-*

det,

det, grata, volensque constituet. Quod ego non modo eorum, qui imperio TVO *subsunt, sed exterorum etiam, nomine, qui æquitatem pluris, quam versatilem hujus temporis Politicen, æstimare solent, data etiam sponsione, polliceri ausim.*

MAJESTATIS TVAE

humillimus servus
GEORGIUS PRAY.

AD LECTOREM.

Historiam Hungariae, quam *Statisticam* vocant, parabam scribere, cum mihi vel invito alia sub manu exiit. Observavi in ipso operis decursu, quam multa nobis, in hac actorum publicorum paucitate, ad hanc rite formandam, adhuc desint. Quare, si eorum exspectationi, quorum jussu laborem susceperam, non respondi, veniam utique merebor. Malui tamen aliquid perspicuitati, quam penitus a coepto desistere. Erunt olim, ubi Tabularia magis, & sine jurium discrimine patuerint, qui meliora possint, & audeant. Mihi certe nec voluntas, nec conatus defuit. Haec satis sit indicasse.

Nunc,

Nunc, quem ordinem in scribendo tenuerim, permultum refert, ut exponam. Præmitto *Notitias prævias.* In his, Majores nostros ex Asia educo, iisdem, quibus tunc erant, moribus præditos, tum qua ratione hos sensim ad Europæos accommodarint, quæ item ad constituendam rem publicam, formamque regiminis, Principum successionem, militiæ disciplinam, judiciorum rationem, aliaque ad diuturnitatem felicitatis publicæ opportuna, partim ipsi ordinaverint, partim ab Europæis acceperint, quin tamen veterum institutorum penitus obliti, aut istorum imitatores solum essent, quoad ejus fieri potuit, explano.

Dehinc regum nostrorum, ut se ordine exceperant, res gestas, harumque causas, seu domi natas, seu aliunde oblatas, eventusque, & conversiones, quæ ex his in regnum emolumenta, damnave manarint,

quæ

quæ secessiones provinciarum sint factæ, quorum socordia, vel ambitione rursum avulsæ, quæ foedera cum exteris sancita, quæ domi statuta, iterumque pro habitu temporis mutata, quæve universim ad regni statum rite cognoscendum, pertinere mihi videbantur, candida, simplicique narratione, & procul, ut mihi blandior, a partium studio, persequor, nihilque affirmo, quod vel coævi, aut supparis, probive scriptoris testimonio, vel diplomatum fide non nitatur. Istorum, si edita sunt, indicium, ubi reperiri possint, facio; ex ineditis vero, pericopes solum, quæ rei firmandæ serviant, excerpo, &, ne lectorem a coepto narrationis filo, ingratiis illius abstraham, ad calcem ubique subjungo. Hæc, quam mihi proposueram, operis adumbratio est, an autem, quod volebam, assequutus etiam sim, aliis decernendum relinquo.

Unum

Unum eſt, quod moneam, præterea. Cum ſæpe ad illorum epiſtolas, qui rebus aut interfuerunt, aut præerant, me ſoleam referre, has, ne quid ex me commentus fuiſſe videar, fidemque meam liberem, hoc titulo: *Epiſtolæ Procerum regni Hungariæ:* ut primum ocium nactus fuero, typis exſcribi curabo. Dabam Magnovaradini III. Nonas Martii. M. DCC. XCVII.

NO-

HISTORIA
REGVM HVNGARIAE
PARS I.
COMPLECTENS RES GESTAS

AB

ANNO M. AD M. CCC.



NOTITIAE PRAEVIAE.

PARS I.

Hungarorum ex Asia migratio: mutatae aliquoties Sedes: electus suprema potestate Dux, certis tamen conditionibus, ex pacto initis: occupata sensim magna Moravia, & in hac, stabilita possessio: variae hinc procursiones in hosticum factae.

§. I.

Hungari, qui Russis *Ugri*, Graecis scriptoribus *Turci*, *a)* Abulfehdae vero *Magyari* *b)* quod genuinum, & proprium genti nostrae nomen est, dici solent, in varias Tribus per Asiam *c)* dispersi, pars illorum ad flumen *Ir-* An. Christi. 742.

a) Ita passim apud Theophanem; Porphyrogenetam, Curopalatem, aliosque vocari solent.

b) Dynastia VII.

c) Hungaros ex interiore Asia venisse consentio etiamnum Deguignesio; firmatque me in hac opinione Cel. *Schlözeri* judicium, cujus censura in opus Cl. *Gyarmathi*, quod de affinitate linguae Hungaricae cum linguis Finnicae originis, Göttingae 1799. prodiit, haec est pag. 386. Unstreitig samen die

Ma-

An. Christi. 742. *Irtisch* primum consedit, quibus *Ogeg-Chan* a) verisimiliter *Ugek*, pater *Almi* præerat. In-

Magyaren aus Asien, — also muß ihre Sprache sich mehr der Asiatischen, als Europäischen nähern. — Die leztere (Hungarica) hat so gar Indische, Altpersische, Tatarische, und anderer Wörter aufgenommen. Si Hungari voces Indicas, Tartaricas, & veterum Persarum adoptarunt, necesse est, ut olim in vicinia horum populorum stabiles sedes, & diuturnam consuetudinem, cum illis habuerint, exoticæ enim voces non nisi frequente usu in aliam linguam migrare solent. Proinde videtur Cel. scriptor, systema Deguignesii, qui Hungaros in *Turfan* locat, tamquam aliud agens confirmare, licet eidem pag. 384. ibid. adversetur. Deguignes System, das *Pray*, und andere nachbeteten, als wären die Magyaren aus *Turfan*, schröcklich 4. bis 500. Meilen nach Osten, gekommen, verfält alsdann völlig, und der Historiker hat ein *non plus ultra*. Numerus milliarium nihil officit sententiæ Deguignesii, cum constet, quosdam populos, migrando plura confecisse. Poterant igitur Hungari primum ex *Turfan* venire, & inter Tartaros, Indos, & Persas, medii considere, & voces illorum in suam linguam adoptare, tum sensim ad *Jaicum*, & hinc in Europam progredi.

a) Deguignes Geschichte der Hunnen Tom. I. pag. 637.

Inde urgentibus ab ortu aliis populis, sensim ad *Jaicum*, & *Volgam* progressi domicilium hic fixere. Postremum, septem Tribus ab aliis divulsæ, quarum quælibet suo *Boebodo*, seu Duci, seorsim parebat, penes *Chazaros*, hodiernam *Crimeam* colentes, substiterant, eorum per tres annos *a*) in omnibus bellis socii, & adjutores. Quo tempore Hungari terras fere ab ortu majoris *Tanaïs* ad *Bogum*, &

An. Christi 742.

a) Porphyrogenita de administr. Imperii, c. 38. Cl. Thunmann Untersuchungen über die Geschichte der östlichen europäischen Völker pag. 134. censet, tres annos parum esse, & mavult 203. substituere. Sed ad id certo affirmandum, debebat annus, quo Hungari penes Chazaros consederant, defigi, ex quo de 203. annis judicium ferri possit, quod nuspiam factum lego. Ex errore autem simili chronologico, quem idem apud alium scriptorem Græcum reperit, non rite ad Porphyrogenitam arguitur, quem constat in reliquis satis accuratum esse. Quæ dein idem de Hungaris ad annum 750. refert, *Avaribus* tribuenda sunt, quos illius temporis scriptores, promiscue jam *Hunnos*, jam *Hungaros* appellant. Anno autem 862. Hungaros in hosticum procurrisse facile largior, sed ad id profecto opus non erat, ut penes Chazaros 203. annis morarentur, licet id quoque malim Avaribus, quam Hungaris tribuere.

& orientalem *Vajvodatus Kiovienſis* partem videntur coluiſſe.

§. II.

An. Chriſti. 880. Quia vero genti, quæ diverſis dominis parebat, non idem ſenſus in communi periculo, nec idem animorum nexus, & in agendo vigor, qui ceteroquin in unum corpus coaleſcentes vegetat, eſſe potuit, *Boebodi* Tribuum, hortatu Chagani *Chazarorum* perſuaſi, habito inter ſe conſilio, *a*) Principem, qui omnibus ſeptem Tribubus ſuprema poteſtate præeſſet, *Arpadum* filium *Almi*, *prudentia, conſilio, & fortitudine inſignem, taliqne*, ut Porphyrogenita addit, *b*) *Principatui parem* elegerunt, certis tamen conditionibus, ex pacto initis, adſtrictum.

* Belæ regis Notarius, de cujus fide poſtea commodius agetur, Almum patrem Arpadi, jam in Aſia Ducem reliquis præfuiſſe memorat, qua in re tamen Conſtantino Porphyrogenitæ, ſcriptori ſuppari, major fides habenda eſt, qui id tum eveniſſe affirmat, cum

---

a) Porphyrog. l. cit. c. 38. & addit: *placuit itaque hæc oratio Chagano, virosque cum ipſo* (Lebedia) *ad Turcos miſit, qui cum iis ſermonem communicaſſent, viſum potius illis fuit, Arpadem Principem conſtituere, quam patrem Salmutzem* (Almum) *utpote digniorem.*

b) Idem ibid.

cum Hungari Chazarorum ſocii erant. Ne tamen nihil Notario, ceteroqui vetuſto ſcriptori tribuamus, illud commode dici poteſt, Almum ſuæ Tribui in Aſia, ſicut ceteros Boebodos, quemque ſuis, quin alter alteri eſſet ſubjectus, præfuiſſe. Horum autem nomina idem Notarius, hæc prodidit: *Eleud, Condu, Ound, Toſu, Huba, & Tuhutum.* An. Chriſti 880.

§. III.

Conditiones autem, in quas electores convenere, quinque erant propoſitæ. Tres ex his ſunt præcipuæ, quibus tota regiminis forma, quæ deinceps in Hungaria, etiam ſub regibus obtinuit, tamquam *conſtitutioni fundamentali* innititur. Prima hæc erat: *ut, quamdiu vita duraret, tam ipſis, quam poſteris ſuis, ducem haberent de proſapia Almi.* a) Luculentius in hæc verba: *ergo libera voluntate, & conſenſu ſeptem virorum, elegerunt ſibi ducem, & præceptorem, in filios filiorum ſuorum, usque ad ultimam generationem, Almum, filium Ugek, & , qui ex ejus generatione deſcenderent.* b)

a) Belæ Notarius hiſt. VII. Ducum. c. 7.

b) Idem ibid. c. 5. cum generatio ſecundum ſe non excludat diſerte feminas a ſucceſsione, non deerant, qui cenſuerint, jus hæreditarium etiam ad has ex ſtirpe Arpadi, ſi nullus mas ſupereſſet, pertinere, quemadmodum Maria Ste-

An. Christi. 880. Consentit Porphyrogenita: *& ante hunc Arpadem*, inquit, *Turci Principem alium nunquam habuerunt, ex cujus etiam posteris ad hunc usque diem, a) Princeps constituitur. b)*

* Ex his liquet, *Arpado*, hujusque posteris, seu familiæ Arpadianæ jus successionis hæreditariæ, ab electoribus, &, qui hanc repræsentabant, universa Natione, assertum esse, ita, ut ex pacto fas non fuerit Nationi alium Ducem, & deinceps, mutata externa rei publicæ forma, regem prius eligere, quam nemo ex virili stirpe Arpadi superstes esset.

** Exstincta autem stirpe virili Arpadiana, quod in Andrea III. evenerat, jus electionis iterum ad Nationem, sive, qui hanc referunt, regni Ordines, rediit, idque ex instituto Majorum, ut codex juris patrii, in hæc verba indicat: *ex vetusta Majorum ordinatione sancitum, & constitutum est, quod, si quando regium semen deficere contingeret, & de electione tractaretur, in ipsa electione Palatinus, ex officii*

Stephani V. filia, Siciliæ regina, ut suo loco memorabitur, jus hoc sibi, filioque suo asserere contendebat. Ceterum regni Ordines in simili casu, nisi factio intervenisset, etiam in feminis rationem sanguinis regii habuisse, ex domesticis exemplis constat.

a) Scribebat autem hæc circa annum. 949.

b) De administ. Imperii c. 38.

eii dignitate primam vocem semper habeat. a) Non igitur, si sensum verborum rite assequor, prius apud nos electioni locus fuit, quam semen regium penitus defecisset, quod regni Ordines, post Andream III. sine mascula prole exstinctum, facto ipso jam antea firmarunt. Postquam enim jam Wenceslaum Bohemum, jam Ottonem Bavarum, utrumque ex linea feminea regii sanguinis elegissent, neque tamen frequenti hac mutatione, tranquillitas regno fuisset restituta, tandem Carolo Roberto, qui Stephani V. ex filia pronepos erat, rege electo, jus etiam successionis hæreditariæ ad ejus posteros traduxerunt, & se, quamdiu hi superessent, jure electionis, quemadmodum cum familia Arpadiana factum a septem electoribus fuit, abdicarunt. Refero, ne quis meæ opinioni id tribuat, Decreti quod in Comitiis anno 1307. regni Ordines condiderant, quantum huc attinent, verba: *Nos — Prælati, cæterique Barones, in præsenti regni congregatione præsentes, ad futuram rei memoriam. Gravis aliquamdiu, frequenti mutatione Domini, contentio regnum Hungariæ noscitur obsedisse; sed, Deo juvante, ejusdem regni Barones, & Nobiles, animositati veritatem merito præponentes, in unius domini obsequium,*

An. Christi. 880.

a) Artic. 1. de officio Palatini, sub Mathia Corvino, an. 1485. conditus.

An. Christi. 880. *quium, ratione prævia convenerunt. Nos igitur ad perpetuum ejusdem regni bonum statum, & commodum ex animo intendentes, diligenti collatione præhabita, dominum nostrum Carolum, & POSTERITATEM ejus, prout REGALIS SUCCESSIO exigit, in regem Hungariæ, ac NATURALEM Dominum suscepimus, obedientiam ei, & reverentiam, regali magnificentiæ debitam exhibentes, nullo unquam tempore, facto nostro, seu consilio, contra personam, honorem, & prosperitatem ipsius ullatenus processuri. &c. Actum hoc apud Ecclesiam beati Petri in Rákos, anno Domini* 1307. *in crastino beati Dionysii martyris. a)* Jus igitur successionis hæreditariæ, post exstinctam in Andrea III. virilem Arpadi stirpem, rursus in Carolum regni Ordines transtulerant, ejusque familiæ, ac posteris constabilitum volebant.

***. Atque jus hoc ex primæva regni institutione, ad *primogenitum* pertinuisse, censendum est. Nec enim reges potestatem habuissent, filios suos hoc jure privandi, nisi id jam a condita re publica, Majorum auctoritate, & consensu fuisset sancitum, cum nemo

---

a) Ex apogr. Autographum vero dicitur in regni Tabulario exstare. Cum Ordines fateantur, se *veritatem* præposuisse *animositati*, satis aperte indicant, Carolo jus ad successionem propinquius, quam Wenceslao, vel Ottoni, competiisse.

An. Christi. 880.

nemo jure aliquo privari possit, nisi id prius habuerit. Ita Bela IV. filium Stephanum, oborto inter utrumque bello, jure hoc excludere, constitutum habebat, teste Ladislao Chuno: *cum prædictus avus noster*, inquit, *transmissa armatorum multitudine, primum nos, & dominam reginam, matrem nostram, & sorores nostras, charissimas, de castro Patak educi fecerat, & exinde patrem nostrum investigari fecisset, machinans eum privare jure geniturae, & regni diademate spoliare*, &c. *a*). Ordinem nascendi hoc loco indicari, ipse Stephanus, de quo hic sermo est, declarat his verbis: *b*) *quod, cum per transitum Belæ, illustris regis Hungariæ, patris nostri charissimi — ad nos gubernaculum regni devenisset, jure successionis, seu ordine geniturae* &c. idque exteris quoque, velut rem antiquitus constitutam, fuisse cognitum, liquet ex rescripto Innocentii, Papæ III. ad Andream II. dum adhuc Dux Dalmatiæ esset, & patris votum exequi differret: *ne, si onus*, ita rescripsit, *tibi a patre injunctum — detrectaris, — paterna te reddas successione indignum, & hæreditatis emolumento priveris, — sciturus ex tunc, — te jure, quod tibi, si dictus rex* (Emericus) *sine prole decederet, in regno Hungariæ competebat ORDINE GENITURÆ, pri-*

a) Dipl. an. 1273.
b) Dipl. an. 1271.

An. Christi. 880. *privandum, & regnum ipsum, ad MINOREM fratrem tuum — devolvendum. a)*

**** Proinde jus successionis hæreditariæ, secundum ordinem geniturae, jam ab ipso regni exortu, *b)* familiæ Arpadianæ congenitum, & continente usu, ut reges sibi succedebant, nisi factio, vel in ipsa familia regia ambitio exorta, intervenisset, *c)* confirmatum fuit. Hoc modo

---

a) Regest. epistolar. Innocentii III. pag. 5.

b) Id ex institutione Stephani I. ad filium, pluribus locis patet. ut cap. 1. n. 1. c. 2. n. 5. c. 3. n. 5. c. 4. n. 4 & 5. c. 5. n. 4. c. 6. n. 4. c. 8. n. 3 & c. 9. n. 2.

c) Id præcipue temporibus regum, Petri, Samuelis, & Andreæ I. evenit, cum partim intestinis factionibus, & concitata sub Stephano III. inter cognatos regios æmulatione, partim etiam exterorum, inprimis Henrici III. & Manuelis Comneni, orientis, & occidentis Imperatorum, cupiditate, Hungariam subjugandi, regnum misere quateretur, ut in loco memorabimus, & jus successionis hæreditariæ secundum genituram, non tam sublatum, quam interruptum fuisset. Quam ob causam, ut primum quies regno restituta erat, usus deinceps obtinuit, ut reges, ad jus suum successionis hæreditariæ declarandum, quemadmodum Geisa II. jam ante fecerat, publicis litteris, imo in Sigillis quoque exprimerent. Ita Bela III. postquam, Ladis-

modo Geisa II. succesionem in regno, juri hæreditario inniti testatur: *quod ego Geisa II. secun-* An. Christi. 880.

Ladislao, & Stephano IV. qui Manuelis Imp. auxilio adjuti regnum vi occuparunt, defunctis, fratri suo natu majori, sine hærede exstincto successerat, ad tuendum jus suum hæreditarium, nomen patris sui, an. 1193. in Sigillo, hac epigraphe expressum voluit. Bela *Dei. Gracia. Geise. regis. Filius.* Similiter Andreas II. an. 1221. *Sigill. Secundi. Andree. regis. tercii. Bele. filii.* Item Emericus ejus frater in bulla aurea an. 1202. *Henricus. tercii. Bele. regis. filius.* Et Bela IV. *Sigillum. quarti. Bele. Secundi. Andree. regis. filii.* Stephanus autem V. dum rex, vivo patre fuisset coronatus, in parte adversa Sigilli, an. 1264. hac epigraphe: *Sigillum. Stephani. Dei. gracia. regis. junioris. Hungarie.* in aversa vero: *primogeniti. Bele. quarti. illustris. regis. Hungarie.* usus est. Eundem morem tenuit Ladislaus cognomento Chunus, an. 1273. *Sigillum. Ladislai. tercii. quinti. Stephani. regis. filii.* Quin ipsi etiam regum nepotes, jus hæreditarium in Sigillis, declarare solebant. Andreas III. quidem an. 1291. se refert ad avum paternum. *Sigillum. Andree. regis. tercii. nepotis. Andree. secundi.* Otto autem ad avum maternum. *Sigillum. primi. Ottonis. regis. Ungarie. nepotis. quarti. Bele. regis.* Hoc modo reges

An. Christi. 880. *secundi Belæ regis filius, divina dispositione, sceptra paterna, jure hæreditario obtinens &c.* a) quod jus non solum ad Hungariam, sed ad reliqua etiam regna, quæ adnexa Hungariæ erant, pertinebat, ut ex ejusdem Geisæ charta anni 1151. patet: *ego Geisa II. secundi Belæ regis filius, sceptra paterni regni Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque, jure hæreditario obtinens.* b) In eundem tenorem Bela III. *quod nos Bela III. secundi Geisæ filius, arbitrati sumus congruere, ut, sicut prædecessorum nostrorum hæredes sumus in sanguine, & legitimi successores in solio, ita quoque cura pervigili debemus intendere,* &c. c) Andreas II. quoque, immunitates Ecclesiæ Zagrabiensis anno 1217. confirmans, idem declarat, minas etiam successoribus intentans, qui illas violaret: *si fuerit de regali progenie,* ait, *paterna maledictione incomprehensibilis amaritudinis in perpetuum percutiatur, & nunquam ad coronam, quam hæreditario jure habere debebat, possit pervenire.* d) Eodem jure Belam IV. patri suc-

reges stirpis Arpadianæ, jus hæreditariæ successionis, & primogenituræ, publicis etiam documentis testatum voluere.

a) Apud Péterfi Concil. Hung. Tom. 1, pag. 127.

b) Apud Farlati Tom. 4. Illyrici Sacri, pag. 330.

c) Dipl. an. 1190.

d) Apud Kerchelich hist. Eccl. Zagrab. pag. 327.

succeſsiſſe, affirmat Mathias Corvinus: *cum, rebus humanis exemto*, (Andrea II) *eodemque Bela rege coronam regni per ſucceſsionem hæreditariam adipiſcente, idem omnes perpetuitates — cæpiſſet revocare.* &c. *a)* De Stephano V. Belæ filio, jam ſupra, cum de jure *primogeniti*, egimus, dictum eſt. Hujus quoque filius, Ladislaus, ad eundem juris titulum ſe refert: *primum ſiquidem*, inquit, *ſuccedentibus nobis in ſolium regni & regiminis gubernaculum, jure, & ordine geniture*, &c. *b)* Similiter, qui huic ſucceſsit, Andreas III. ſe in ſolium Hungariæ, agnationis jure, evectum declarat: *quod cum nos, domino Ladislao bonæ memoriæ, inclyto rege Hungariæ, patruele fratre noſtro chariſsimo, rebus humanis exemto, jure ſucceſsorio, ſublimati fuiſſemus in regium ſolium, & coronam*, &c. *c)* Rurſus, ſe ab obitu Ladislai, *affluentiſsimo Dei beneficio, ad regni Hungariæ ſummos apices, ſecundum jura agnativa, & natalitia*, provectum, fatetur *d)*. An. Chriſti. 880.

*****. Nec in Arpadiana ſolum, quamdiu hæc ſuperſtes erat, ſed poſt electum Carolum, in hujus quoque familia, jus ſucceſſionis hæreditariæ ab regni Ordinibus conſtitutum, firmatumque fuiſſe, Decretum Comitiorum

a) Dipl. an. 1486.
b) Apud Péterfi Concil. Hung. Tom. 1. pag. 92.
c) Dipl. an. 1390.
d) Dipl. an. 1391.

An. Christi. 880. tiorum anni 1307. magis luculentum reddit, quam ut dubio locus esse possit, cum Ordines diserte fateantur, ad *conservandum bonum regni statum*, necessario requiri, ut *SUCCESSIO REGALIS*, ad Caroli quoque *POSTERITATEM* derivetur, idque ea etiam ex causa, ut apparet, quod Ordines non ignorarint, illum ex stirpis Arpadianæ linea feminea originem ducere. Hinc ipse Carolus, jus suum ad regnum, partim quoque ad naturalem propaginem, referre solebat. *a*) *a toto*, inquit, *tempore, quo divina opitulante gratia, regni Hungariæ gubernacula suscepimus jure genituræ, atque naturali propagine provenientis*, &c. In eadem fere verba alibi, *b*) *a toto eo tempore, quo in regnum nostrum Hungariæ, jure, & ordine genituræ nobis debitum, intravimus* &c. Ludovicum quoque eadem juris prærogativa, patri successisse, testantur litteræ *adjudicatoriæ* Pauli judicis Curiæ Regiæ: *ipsa lite inter partes ventilante, — inclytus Princeps, dominus Carolus, olim Rex Hungariæ — suum diem claudens extremum, — ac prædictus dominus Ludovicus Rex, in patrimonium regni Hungarici, jure, & ordine genituræ sibi debiti succedens* &c. *c*) Ludovico sine prole mascula e vi-

a) Apud Rousset, supplement au corps diplomatique. Tom. 2. P. 2. pag. 158.

b) Dipl. anni 1324.

c) Litt. anni 1345.

vivis ſublato, Maria natu major filia, ſe eodem jure patri ſucceſsiſſe, in ipſo Comitiorum Decreto, quo Nobilium immunitates, ab Andrea II. & Ludovico patre ſtabilitas, confirmat, his verbis profeſſa fuit: a) *ſereniſsimo Principe Ludovico, Dei gratia, inclyto Rege Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ &c. genitore noſtro chariſsimo, volente domino cœli, cujus nutu omnia diſponuntur, absque prole maſculina, de medio ſublato, nobisque ſucceſsionis, & ordine geniture, ſolium, & coronam dicti regni Hungariæ, ac ſceptrum regni, ipſius genitoris noſtri, feliciter adeptis*, &c. Luculentius alio loco ita: *domino Ludovico Rege, genitore noſtro chariſsimo, nutu divino — absque hæredum maſculinorum ſolatio, ab hac luce deceſſo, nobisque ex eo, jure geniture ad ſolium ipſius regni noſtri Hungariæ, vt FILIUS MASCULINUS, b) ipſius olim genitoris noſtri, tranſcendentibus. c)* An. Christi. 880.

Hinc

a) Decret. Comitior. anni 1384.

b) Inde factum reor, quod illam Natio paſsim *regis* nomine appellaret, ut Laurentius de Monacis, Venetorum in aula illius internuncius, in carmine de cæde Caroli parvi teſtatum reliquit.

c) Dipl. anni 1383. Similiter Hedvigis ſoror Mariæ natu minor, Regina Poloniæ, privilegia *Semovito*, Mazoviæ Duci confirmans, ſe Hunga-

An. Christi. 880. Hinc quoque factum, ut Principes exteri, qui filias regum, nullo mare superstite, duxerant, quasi politica insitione, in stirpem regiam cooptati, jus succesſionis, uxorio titulo, consentientibus regni Ordinibus, participarent. Hoc modo Sigismundus, *a)* & Albertus, *b)* in solium Hungariæ evecti sunt, tum Fer-

---

gariæ hæredem scribebat: *nos igitur Hedvigis, Dei gratia regina Poloniæ, & hæres Hungariæ* &c.

a) Dipl. anni 1412. *Porro ipso domino Ludovico rege — in perennis regni patriam — translato, & — serenisſima Principe, domina Maria Regina, ipsius Nata, in solium paternum, vero hæreditatis jure, succedente, nobisque regni gubernacula adeptis*, &c.

b) Dipl. 1438. *Sigismundo Imp. socero nostro — ex hujus vitæ cursu, emigrato, nobisque, supernæ dispositionis arbitrio, in locum, & solium, ejusdem domini Sigismundi Imp. jure geniture supra memoratæ serenisſimæ Principis, Elisabethæ, consortis nostræ, feliciter succedentibus* &c. quam regni Ordines in Decr. Comitior. anni 1439. art. 12. diserte *hæredem regni* vocant, & in epilogo, qui in Cod. jur. patrii deest, addunt: *quam principaliter hoc regnum jure genituræ concernere dignoscitur.*

Ferdinando, Archiduci Austriæ, cujus, hære dumque illius potestati, ac imperio se regni Ordines in omne tempus adstrinxerant, *a)* idem succesſionis jus assertum, & serius dein, ob liberatam a jugo Turcico Hungariam, secundum nascendi ordinem, prærogativa ad primogenitum restricta, firmatum, *b)* postremo denique, ut intestinis motibus deinceps caveretur, ad lineam quoque femineam, extensum ita fuit, ut primum Caroli, tum Josephi I. ac demum Leopoldi I. si hæres masculus deesset, filiæ, harumque posteri, possesſionem regni adirent. *c)* Atque hoc modo, quantum ex factis colligere licet, mea quidem opinione, qua aliter sentientibus nihil præjudicatum velim, *hæreditariam* familiæ regiæ *succesſionem*, & jus *primogenituræ*, cum *libera* Ordinum *electione*, inviolato utriusque partis jure, sic satis commode reor copulari posse, ut, electo semel Rege, hæreditas regni ad ejus posteritatem spectet, hac autem exstincta, jus electionis ad regni Ordines redeat. Hæc, quan-

An. Christi. 880.

a) Decr. Comitior. anno 1547. art. 5. §. 5. *Nam cum se se Ordines, & Status regni, non solum Majestati suæ, sed etiam suorum hæredum imperio, & potestati in omne tempus subdiderint*, &c.

b) Decr. Comitior. anno 1687. art. 2.

c) Decret. Comitior. anno 1723. art. 2.

An. Christi. 880. quantum ad primam Ducum paciſcentium conditionem, attinebant.

§. IV.

Altera conditio, in quam Duces, in eligendo Arpado, coaluerant, hæc fuit: *ut, quidquid boni per labores eorum, aquirere poſſent, nemo eorum expers fieret.* Inde donationes fundorum, videntur originem ducere, pro Ducum tamen, &, qui his ſucceſſerant, regum arbitrio, ac meritorum ratione. Quia vero donationes hæ, ob *labores bellicos* fiebant, ſuopte conſequitur illas, rationem *feudi* habuiſſe. Atque ex hoc fonte onus militiam profitendi, quo donatarii obſtringuntur, noſtri *Inſurrectionem*, & *Exercituationem*, vocant, repetendum eſt. Hujus vero non eadem ſemper ratio, ſed jam *particularis*, jam *generalis* fuit, *a)* & ex amplitudine fundorum, necesſitate publica, ac regum, Ordinumque ſtatutis, pendebat. *b)*

* Ne-

---

a) Particularis deſcribitur Decr. anni 1609. art. 65. & Decr. an. 1635. art. 88. generalis vero in Decr. Sigismundi regis anno 1435. &, ut videtur, ſecundum normam *Matriculæ* Imperialium.

b) Plura de legibus militiæ particulatim conſtituta, reperiuntur in Decretis Comitior. inde ab anno 1609 ad annum 1793.

* Nemo, qui dono regum bona possidebat, cujuscunque status, ordinis, conditionisve esset, ab onere militiæ exemtus erat. Qui per infirmitatem, aliamve causam, in bellum proficisci non posset, alium sibi debebat substituere. Militia hæc solum ad regni defensionem, suoque sumtu, adstricta erat, extra regnum vero, regiis impendiis militabat, *a)* & reversa ex profectione, nullius judicio obnoxia fu- An. Christi. 880.

a) Andreæ II. bulla aur. anno 1222. art. 7. *Si autem Rex extra regnum, exercitum ducere voluerit, servientes cum ipso ire non teneantur, nisi pro pecunia ipsius, & post reversionem, judicium exercitus super eos non recipiat. Si vero ex adversa parte exercitus venerit su. per regnum, omnes universaliter ire teneantur. Item, si extra regnum exercitum ducere voluerimus, & cum exercitu iverimus, omnes, qui Comitatus habent, pro pecunia nostra ire teneantur.* Idem, paucis mutatis, Decreto an. 1231. statuitur. *Nobis facientibus exercitum extra regnum, Nobiles nobiscum ire non teneantur, nisi Comites, & stipendiarii, & jobagiones castri, & quibus amplas concessimus possessiones. Si vero exercitus super regnum venerit, universi, & singuli ad defensionem patriæ contra inimicos se opponere teneantur, regresso supervenienti exercitu, pro vindicta, ipsos tenentur persequi.*

An. Christi. 880.

fuit. *a)* Qui, indicta profectione, ad signa non venisset, aut serius ad condictum locum, & diem comparuisset, vel non impetrata Ducis venia, ab exercitu se subduxisset, amissione bonorum puniri solebat. *b)*

** Poterant tamen, tam Ecclesiástici, quam seculares, hoc onus militiæ, si justa causa esset, numerato ære redimere, quin id in legem abiret. Exempla hujus exstant in libro proventuum, & expensarum, ærarii regii, sub Wladislao II. anni 1494. *c)* Unum, alterumve depromere satis fuerit. *Reverendus dominus Nicolaus, episcopus Vaciensis, ut per integrum annum non exercituaret, solvit Majestati regiæ, fl.* 900. *Item, dominus Andreas de Báthor, similiter ratione non exercituationis solvit Majestati regiæ, fl.* 1000. Rursus: *Gubernator Péchvaradiensis ratione non exercituationis solvit regiæ Majestati fl.* 500. Item, *Podmaniszky ratione non exercituationis, regiæ Ma-je-*

---

a) Forte propterea, quod jam in ipso exercitu judicium in exerrantes ferri soleret, ut ipsa militaris disciplinæ ratio suadere, & ex litteris Pauli, Judicis Curiæ Ludovici I. firmari videtur, quarum hæc subscriptio est: *Datum vigesimo secundo die, residentiæ exercitus regii versus Croatiam moti. Anno Domini* 1346.

b) Sigismundi Decr. anno 1435. art. 7.

c) Exstat is liber in Biblioth. Cæsar. Vindobon. inter hist. prof. MSS. Num. 487. fol.

jestati solvit fl. 200. *a)* Atque hæc, ut apparet, secundum amplitudinem bonorum, & qui ex his percipi solebant, proventuum rationem, nemo tamen hoc onus redimere cogebatur. An. Christi. 880.

*** Ingruente extremo periculo, omnes viritim, seu, ut nunc modus loquendi invaluit, in *massa*, circumlato per Comitatus cruento gladio, ad capessenda in hostem arma, excire, mos fuit, ut liber erogationum regiarum anni 1526. sub Ludovico II. perhibet. *Eodem die, Thomæ Zophka, adolescenti regiæ Majestatis, ad Comitatus Strigoniensem, Trenchiniensem, Zoliensem, Thurocz, Arva, & Lypto, & Capitulum Strigoniense, cum litteris suæ Majestatis, secundo ad dominos, & Comitatus expeditis, & in hanc sententiam, ut statim visis litteris ipsis, Comes cruentatum gladium circumferri faciat, & universi movere se debeant, confectis, misso, dati in bonis monetis b) per duos, fl.* 20. Atque hoc modo alii quoque in diversos Comitatus cum litteris missi, quibus omnes armorum capaces in bellum, sine mo-

a) Videtur id in Comitiis eod. anno Szegedini habitis, quorum nulla in Cod. juris patrii mentio exstat, constitutum. Ita enim idem proventuum liber: *dum regia Majestas Zegedini, in Dieta ibi celebrata constituebatur, tunc cives Zegedinenses dederunt nobis fl.* 2000.

b) Hoc est, argentea moneta, quam sub hoc Ludovico valore æquabant duæ cupreæ.

An. Christi. 880. ra, proficiſci jubebantur. *a)* Eundem morem in Transſilvania obtinuiſſe, teſtes ſunt litteræ Joannis Zapolya, quas incumbente jam jugulis noſtrorum Solymanno, per provinciam vulgaverat: *ut igitur*, ait, *tantæ moli reſiſti poſſit*, *ſtatuimus in Dieta Enyedienſi*, *dominis Nobilibus*, *& Saxonibus ipſis indicta*, *ut univerſi & ſinguli*, *tam ſeculares*, *quam Eccleſiaſtici etiam viri*, *arma ferre valentes*, *per ſingula capita*, *in bello intereſſe debeant*, *demtis illis*, *qui juxta contenta articulorum*, *pro cura animarum domi manere debebunt*, *&c. Ex Zaz-Sebes*, *tertio die feſti reſurrectionis Domini.* 1526. Viguit hæc circumferendi gladii ſanguinarii conſuetudo etiam Ferdinandi I. tempore,

a) Præco, qui gladium cruentum circumferre ſolebat, etiam pallio cruento veſtitus erat, ut patet ex epiſtola *Rogendorfii*, *Budam*, & in hac *Zapoiyam* obſidentis, ad Comitatum Nitriens. in hanc ſententiam data: *vobis vero*, *Vicecomiti & Judicibus Nobilium*, *committimus*, *ut incolas Comitatus prœdicti per pallium*, *& gladium cruentum*, *ut moris eſt*, *ubique potentatum concitare*, *dies*, *noctesque huc ad exercitum feſtinanter adducere debeatis*, *&c. Dat. ex Caſtris ſub Buda poſitis*, *fer.* 4. *ante feſtum B. Martini.* 1530.

re, *a)* donec instituta sensim stataria militia etiam Hungarica, non quidem perlata lege, sed ipsa desuetudine, obsolevisset. An. Christi 880.

§. V.

Tertia conditio erat hujusmodi: *ut isti, principales personæ, qui sua libera voluntate, Almum* (Arpadum) *sibi Ducem elegerunt, quod ipsi, & filii eorum, nunquam a consilio Ducis, & honore regni priventur.* Hæc non obscure indicant formam regiminis monarchicam, *ita tamen temperatam*, ut duces electores, horumque posteri, in consiliis, & ministeriis rei publicæ, non item in suprema jurisdictione, & imperandi potestate, partem haberent, idque videtur æquitati consentaneum fuisse. Nam translata, cum prærogativa dignitatis, in unum dominandi potestate, quæ prius in plures *Boebodos*, seu duces, pari cuivis in suam Tribum potestate, divisa erat, ut hoc ipsum imperium, Arpado collatum, firmius esset, nec in arbitrarium sensim desineret, suis consiliis, & ministerio suffultum, & certis limitibus circumscriptum, voluere. Hac ratione videtur jam ab ipsis regni incunabulis,

 il-

a) Litt. Andreæ de Báthor ad Thomam de Nádasd 1550. scriptæ: *circumfertur in regno undique gladius juxta morem sanguinarius, simul & promulgatur, ut coloni regni ad arma consurgant.*

An. Christi. 880. illud monarchiæ genus obtinuisse, in quo unius est summa potestas, libera voluntate eligentium, eidem collata, quae exinde in plures inferiores, & ab illa prima profectas, eique subjectas potestates dispergitur, jure tamen, & prærogativa majestatis, illi solum, a quo hæ potestates inferiores proficiscuntur, propria.

* Soli igitur duces electores, horumque posteri, jus in principio, ad consequendos regni honores, ex pacto habebant, qui serius in regum chartis, *Principes*, *Optimates*, & *Primates*, ex quibus fere regius senatus deinde constabat, passim dicuntur. *a)* Hæc videtur *officiorum palatii*, apud nos origo esse, inter quæ præcipua sunt, *Palatini*, & Judicis *curiæ regiæ*, aliorumque, qui *Baronum b)* regni

a) Id passim legas l. 2. Decr. Stephani regis, capp. 14. 19. 20. 27. 29. & 35. Item Decr. Ladislai l. 2. c. 1. & Colomanni in proloquio §. 11.

b) Hodie reliquorum, post Palatinum, & Judicem Curiæ, Baronum regni, hæc fere ratio obtinet. Banus Dalm. Croat. & Sclavoniæ, Tavernicor. Janitor. Agazon. Dapiferor. Pincernar. Cubiculariorum, & curiæ regiæ Magistri, quorum ministeria aulica cum nihil differant a ceteris Europæ aulis, supervacaneum esset, recensere, petique possunt ex Caroli Belii *archiof-*

gni nomine veniunt, ad hos enim præcipue post regem, vicaria, & adjutrix administrandæ rei publicæ cura spectat. An. Christi. 880.

** Prima post regem dignitas est *Palatini*, qui velut conciliator, medium inter regem, & Nationem, locum tenet. Hæc, ut hodie reliqui magistratus, a solo regum arbitrio

chiofficiis regni Hung. tametsi hunc quoque multa hujus generis fugerint. His adjunguntur, Comes Posoniensis, & Prætorianæ militiæ Capitaneus, duo item coronæ regni custodes. Olim in subscriptione diplomatum, non idem semper, post Palatinum, ordo magistratuum servabatur. Huic quoque, regibus sanguine juncti, quamvis magistratu inferioris ordinis fungerentur, præponi solebant. Banus Dalm. Croat. & Sclavoniæ, crebro *totius Sclavoniæ* nomine veniebat, alias sejunctim. Sub Bela III. an. 1183. Banus *maritimarum partium*, diversus erat a Bano Dalmatiæ. Hunc olim ordine excipiebant Vajvodæ Transsilvánién. qui simul Comites *Siculorum* erant, habebant utrique suos quoque vicarios. Sæpe etiam duos Vajvodas fuisse reperio, præsertim si alteruter alium præterea magistratum gessisset. Addebantur, cum res secundæ erant, alii etiam *Bani*, ut *Machoviensis*, *Zevriniensis*, & sub Ludovico I. etiam *Bulgariæ*. Aliquando duo quoque magistratus conjuncti erant, ut Dapiferor, & Pincernarum; hic

bitrio pendebat, & quasi ambulatoria fuit. *a*) An. Christi. 880. Primus omnium Andreas II. videtur consuetudini huic, ex parte quodammodo derogasse. Id enim, nisi fallor, verba Decreti anni 1231. quo Nobilium, regnique immunitates denuo confirmat, non obscure indicant: *b*) *Si Palatinus interim male amministraverit negotia regis, & regni, supplicabunt nobis, ut utiliorem loco ejus, constituamus, quem volemus, & nos eorum precibus annuemus.* Mansit nihilominus etiam deinceps in regum arbitrio, ut Palatinum, quem vellent, sua duntaxat auctoritate constituerent, quin ad eum renunciandum Comitiis, ut hodie, opus fuerit. Constat, Sigismundum, dum Pragæ moraretur, Laurentium de *Hedervdr*, defuncto Palatino Matthæo de *Palócz*, extra Comitiorum etiam tempus substituisse. *Ipsum* (de Hedervár) ita regis litte-

hic sub Bela IV. an. 1256. Magister *Bochariorum*, quasi a poculis, dictus est. Universe autem Baronibus regni, Comitatus administrandi credebantur, sæpe etiam duo, quamvis longe inter se dissiti, quod serius deinde legibus vetitum fuit.

a) Fuere enim eod. an. sæpe duo, quin alteruter mortuus fuerit.

b) Exstat id in Biblioth. Vaticana, Armario 35. T. 18. pag. 273. integrum, sed variante aliquantaum lectione exhibetur in vestigiis Comitior. pag. 98.

litteræ habent, *ad honorem, & dignitatem Palatinatus regni nostri Hungariæ — fideli nostro, Magnifico Mattyus de Palócz, — de medio sublato, vacuum, eligentes, & promoventes, eundem honorem — simul cum omnibus suis fructibus, jurisdictionibus, prærogativis, — & privilegiis, quibus ceteri — Hungariæ Palatini, pro tempore constituti, — fruiti sunt, & gavisi, eidem Laurentio — duximus conferendum, imo eligimus, promovemus, præficimus, & conferimus præsentium per vigorem* &c. *a)* Sub Alberto rege tamen, Palatinus mutuo regis, & ordinum, consensu, ut secundum antiquam consuetudinem eligeretur, constitutum fuit. *b)* An. Christi. 880.

*** Quamquam autem Palatini dignitas, a rege, prima sit, non tamen propterea, ut auctor juris publici Hungariæ contendit, auctoritas regiæ æqualis, *c)* cum nihil plus potestatis, jurisque ei competat, quam quod legibus, regum, ordinumque auctoritate eidem concessum est. Illud quoque ejusdem auctoris, non invidiose solum, sed erronee etiam dictum est, cum ait, *fuisse in Hungaria munus, idque aulicum, — cujus judicio stare oportuit reges. d)* Confundit enim studiose *personam*

---

a) Dat. Pragæ fer. 5. prox. ante fest. B. Georgii, an. 1437.

b) Decret. an. 1439. art. 2.

c) Fran. Grossinger, c. 2. n. 5. pag. 71.

d) Id. ibid. pag. 75.

An. Christi. 880. *nam* regis, cum *fundis* ad eum ſpectantibus. In illam, quæ nobis ſacra, & inviolabilis eſt, nullum judicium Palatino competit, de illis vero, ſi lis ſit in contentioſo foro, cui Palatinus ordinarie ſolet præſidere, cum nec regibus rem alienam, jure naturæ, liceat habere, ſententiam ferre ſolet: atque hoc modo, *fundi* quidem regii, non item *perſona* regis, judicio Palatini ſubſunt. Sin autem diſcordia inter regem, & regnicolas, alia de cauſa, oriatur, tum Palatinus non *judicis*, ſed *mediatoris*, partes agit. *a)* Officia autem judicis, & mediatoris, longe diverſiſsima ſunt. Redeo ad conditiones electionis.

§. VI.

Quarta, hujusmodi fuit: *ſi quis de poſteris eorum infidelis fieret contra perſonam Ducalem, & diſcordiam faceret inter Duces, & cognatos ſuos, ſanguis nocentis funderetur, ſicut ſanguis eorum fuit fuſus in juramento, quod fecerunt Almo* (Arpado) Duci. Ex hoc capite, jus

a) Id artic. 6. inter Palatinales, an. 1485. ſatis aperte declarat: *quod ſi quando differentiam, ſive diſcordiam inter regem, & regnum oriri contingeret, Palatinus ex officio debet eſſe mediator, & ſe interponere, atque illos, adhibita omni diligentia — fideliter componere. Dignitate tamen*, ut art. 5. præmittitur, *& auctoritate regia ſalva ſemper remanente.*

jus vitæ, & necis, tum crimen læsæ majestatis, aliæque infidelitatis notæ, videntur originem habere, & in hæc crimina, pro delicti gravitate, potestas animadvertendi, Arpado, hujusque successoribus asserta esse. An. Christi. 880.

§. VII.

Quinta denique conditio erat: ut, *si quis de posteris Almi*, (Arpadi) *Ducis*, *& aliarum personarum principalium*, *juramentum*, *statuta ipsorum infringere voluerit*, *anathemati subjaceat in perpetuum.* a) Quid nomine *anathematis*, in tam vario hujus

a) Hactenus Belæ regis Notarius. Ad cujus vero Belæ ætatem referendus esset, diu disceptatum fuit. Nunc ex dipl. an. 1181. quod Cl. *Spiess*, archivische Nebenarbeiten, und Nachrichten, Halæ 1783. 1. Theil pag. 140. vulgavit, mihi certum fit, illum sub Bela III. vixisse. Consentit Sigla P. præfationi præfixa, *Paulum* indicans, tum officium *Notarii*, seu, ut illo ævo mos erat, vicecancellarii, diserte verbis his exprimitur: *habito itaque super hoc consilio nostri*, *& episcoporum* —, *& Pauli*, *mei Notarii*, *nunc autem episcopi ultrasilvani* &c. Fidem scriptoris hujus, Cel. *Schlözer*, Geschichte der Deutschen in Siebenbürgen. Kritische Sammlungen. Göttingæ 1795. pag. 2. nimium elevare contendit, quod sua ex cantibus joculatorum, & fabulis rusticorum sumserit, etsi is illud

An. Christi. 880. jus vocis significatu, hoc loco veniat, fateor, mihi obscurum esse. Nec scio, an satis rite aliqui

---

lud solum dicat, si quis sibi nollet credere, ut rusticorum cantus consulat, ex quibus sua quoque firmari reperiet; quod indicio est, illum alios, ex quibus suam historiam contexuit, fontes habuisse, quam cantus rusticorum, praesertim, cum se variis historiographis usum fuisse testetur. Nec dubium est, quin pleraque ex libro *de origine Hungarorum*, mutuaverit, quem jam suo tempore exstitisse, *Luitprandus* Ticinensis Diaconus l. 2. de rebus Imp. & regum, pag. 25. c. 1. testatur. Ceterum, nec ego, vel alius, paululum critices gnarus, ea, quae is ex hujusmodi lacunis sumsisse asseritur, nostra facimus, in quibus autem cum aliis probae fidei scriptoribus consentit, nihil est, cur ei fides haberi non possit. Certe *Septem Duces* illius, cum *Boebodis*, *& septem gentibus* Turcorum, tum electio *Almi*, cum *Arpado* Porphyrogenitae examussim consentiunt. Formam vero regiminis, quam in electione Arpadi constitutam fuisse memorat, non solum decreta sancti Stephani regis, si rite perpendantur, sed ipse etiam, qui apud nos deinceps continenter obtinuit, usus confirmant. Quemadmodum vero Belae regis Notarium, ita quoque Simonem *Keza*, & *Thuroczium*, inclementer habet, & hunc praecipue, ut Vorerinnerung zum 2. Stück.

P.

aliqui clausulam bullæ, Andreæ II. anno 1222. statutam, inde deducant, qua subjectis libertas datur, regibus, si immunitatibus regni

An. Christi. 880.

p. V. & VI. item pag. 166. chronicon illius vocat, Afterchronik, die alles dichtet und übertreibt. & pag. 255. nicht einmal in den hirnlosen Märchen des Thuroz. Rursus, Vorerinnerung zum 3. Stück. p. V. Thuroz ist kein Annalist sondern ein Fabelmann. Et tamen istorum, sicut & Notarii, auctoritate, tamquam probatis monumentis utitur pluribus locis. Tam inter se pugnantia, suspicor, virum doctum, longe diversis temporibus scripsisse, & præ argumentorum, in quibus versatur, copia, vix habuisse ocium, ut mentem semper ad priora reflecteret, aut certe illorum, a quibus hæc acceperat, fidei nimium tribueret. Verum quidem est, Thuroczium, aliosque chronographos nostros, quædam habere fabulis proxima, aliqua etiam exaucta, non tamen propterea continuo in fabulatorum numero habendi, aut penitus rejiciendi sunt, modo vera a fabulis cum delectu secernantur, alioqui nec exteris chronographis, qui iisdem vitiis scatent, etiam cum vera dicunt, uti liceret. Hæc occasione *Notarii* Belæ regis, quem post *Carthuitium*, cujus fidem alibi luculenter adstruam, vetustissimum scriptorem habemus, velut ob iter dicta sint.

An. Christi. 880. gni derogarent, resistendi, & contradicendi; de qua alibi commodior dissserendi locus erit.

§. VIII.

Peracta his, quas memoravi, conditionibus electione Árpadi, haud multo post, nova ad Hungaros accessio facta est. Exorto enim inter Chazaros bello domestico, magna eorum pars, qui *Cabari* dicebantur, & ceteris fortitudine præstabant, facta secessione, se Hungaris conjunxit, & octavam deinceps Tribum constituit. *a*)

* Id necessario ante debuit evenire, quam Hungari a *Patzinacitis*, ex ditione penes Chazaros hactenus insessa, protruderentur. Nec enim, ut ex situs positu liquet, ratio posset reddi, quomodo Hungarorum pars, ut mox dicetur, ad fines Persidis venire, & *Cabari* se alteri parti Hungarorum, quæ in Moldaviam se receperat, conjungere potuerint.

§ XI.

a) Porphyrog. l. cit. c. 39. An vero Hungari, dum penes Chazaros degebant, horum quoque *vasalli*, & *subjecti* fuerint, ut Cel. *Schlözer* cit. op. pag. 168. putat, est, cur magnopere dubitem. Alioqui Chaganus, dum eis auctor erat, ut sibi Ducem suprema potestate præditum eligant, non satis provide egisset, se virium parte de industria privans. Quid, quod Leo Imp. Hungaros, *gentem ingenuam*, & *liberam* vocet? non igitur aliis subjectam.

§. IX.

An. Christi. 880.

Post *Cabarorum* cum Hungaris conjunctionem; *Patzinacitæ*, qui haetenus incerti sedium ad Volgam colebant, ab *Uzis* inde eliminati, facto in Hungaros impetu, victos ex terris suis exturbant. Pars versus ortum, & meridiem rejecta, in finibus Persiæ consedit, pars, eaque major, cum *Arpado* in Moldavia, & Valachia constitit, *a*) minor vero cum *Lebedia* prætergressa *Kioviam*, ad montes Carpaticos adhæsit. *b*)

* Porphyrogenita, ditionem, quam Hungari abhinc insederant, per fluvios designat. *c*) Inter hos *Prutkus*, & *Serethus* etiamnum sua nomina retinent. *Cubu*, verisimiliter est *Limana palus*, ad confluentem *Bogi*, & *Trullus*, hodie *Niester*, quem Turcæ nunc quoque *Turlu* vocare solent. Atque hi quidem *Moldaviam*, cum parte *Valachiæ*, & *Bessarabiam*, satis aperte produnt.

---

a) Id. ibid.

b) Nestor, älteste Jahrbücher der Russischen Geschichte. pag. 33. & Belæ regis Notarius l. cit. c. 8. qui tamen *Cabaros* confundit cum *Cumanis*, quos constat per id tempus, trans mare Caspium coluisse.

c) Porphyrog. l. cit. c. 38.

An. Christi 888-89.

§. X.

Vix aliquamdiu in Moldavia consederant, cum a Leone Sapiente, orientis Imperatore, contra Bulgaros, in auxilium accersiti, transmisso navibus Græcorum Danubio, semel, iterumque, ac tertium manus feliciter conseruntt, victoque *Simeone*, Bulgarorum rege, actis spoliis ad sua revertuntur. *a*)

* Hac occasione Leo Imp. equestrem Hungarorum militiam admiratus, libello de *Tactica* conscripto, huic quoque locum in eo tribuendum putavit. Juvat inde quædam, ad eorum, qui Hungaros illius temporis, militiæ rudes fuisse, sibi persuadent, opinionem convellendam, excerpere. *Sunt vero*, inquit, *Turcorum populi ad omnia solicite attenti, nec quidquam magis, quam sua consilia in arcano habent. — Temporum opportunitates, quam diligentissime observant, operamque dant, ut non tam conserta manu, copiisque, quam militari dolo, atque inopinatis aggressionibus, & rerum necessariarum interceptione, hostium copias fundant. — Excubias procul a castris alias, atque alias collocant, ut non facile subitis impressionibus possint opprimi, in ipsa vero pugna aciem omnem, non, ut Romani, trifariam partiuntur, sed in diversas turmas millenarias, quarum aliæ aliis turmatim connexæ, adeo modicis inter se intervallis distant, ut una continua*

---

a) Leo Grammaticus ad an. 3. Leonis Sapientis.

tinua videatur esse acies. — Turmarum millenarium series, sive ordines, indefinita profunditate instruunt, quod profunditatis, quo acies sit validior, majorem curam gerunt. — Præliis eminus commissis magis gaudent, deinde struendis insidiis, & circuitionibus, cum scilicet, protensa utraque ala, hostem circumvenire satagunt, tum simulatis recessibus, & repentinis in hostem conversionibus, denique dispersis agminibus — armantur vero frameis, loricis, arcubus, hastis &c. a)

An. Christi. 888-89.

C 2 §. XI.

a) Apud Kollar, amœnit. jur. cet. pag. 25. Non videntur igitur Hungari artem belli gerendi, a Transsilvaniæ Saxonibus, qui serius illo advenerant, didicisse, ut Lud. Gebhardi Geschichte des Reichs Hungarn, P. I. pag. 528. opinatur. Cujus opinionis, miror etiam Cl. Schlözer, cit. op. pag. 169. esse, cujus hæc sunt: freilich machte die Madjaren Orde (Horde), die im Osten vor Petscheingern zitterte, im Westen, eine lange Reihe von Jahren hindurch, das gewaltige Germanien vor sich zittern, aber daran war in Wahrheit, nicht ihre innere Stärke, das ist, weder ihre Menge, noch ihre Tapferkeit, noch ihre Kriegskunst schuld. Si nec multitudo, nec virtus, nec ars bellandi Hungarorum, Germaniam fecerunt tremere, quid ergo illud erat? soli enim enthusiasmo, ut idem, ducto a Gallis exemplo, videtur existimare, id profecto tribui vix potest.

Nam

§. XI.

An. Christi 892-93.

Victis Bulgaris, & didita inde eorum fama, ab Arnulpho, occidentis Imperatore, adversus *Zventibaldum*, quem nostri scriptores *Svatoplucum* vocant, Marahanorum regem, evocati; omnem illius regionem latissime populantur; *a*) qua occasione, regionis ubertate capti, jam tum ad eam occupandam, animum adjecisse videntur. Sed interea, dum illi Arnulpho suppetias contra Marahanos venerant, Bulgari, acceptae nuper cladis memores, captato tempore, initaque cum *Patzinacitis* armorum societate, illorum terras occupant, iis, qui domi cum *Liuntica* Arpadi filio, tuendis limitibus, relicti erant, partim caesis, partim in fugam actis. *b*)

* Hungari igitur Moldavia exacti, sedes deinceps in ea regione, quam *Tibiscus*, *Cryssius*, *Temesus*, & *Tutes* interluunt, posuere. *c*) Quis fluvius *Tutes* fuerit, obscurum est, forte rescriben-

---

Nam nec hodie solus enthusiasmus Gallis favit, sed occultus cum exteris nexus, proditiones, simultates belligerantium, & diversi, in principio belli, fines propositi, qui se nunc sensim evolvunt, in causa fuere.

a) Annal. Bertiniani ad annum 892. Schaffnaburgens. ad 893.

b) Porphyrog. cit. l. c. 40.

c) Idem ibid.

bendum sit *Alutes*. Nam Porphyrogenita, de hac migratione loquens, addit, *in hoc autem loco*, ex quo Hungari exacti erant, *antiqua quaedam monumenta supersunt*, *inter quae pons Trajani*, — & *Belegrada*, *quae trium dierum itinere*, *ab ipso ponte distat*. *a*) Notum autem est, *Alutam* tot fere dierum itinere, Belgrado distare, & reliquias pontis Trajani non longe ab *Aluta* remotas esse. An. Christi. 892-93.

§. XII.

Cum autem haec plaga tantae multitudini *b*) non videretur sufficere, coeperunt terras, quas olim Jazyges metanastae colebant, sibi subdere, & ditionem versus Occasum,

a) Id. ibid.

b) De hac Thurocz Chron. P. II. c. 2. pluribus agit, dubitat tamen Cl. Schlözer, additque de *Keza*, cit. op. pag. 170. Die 857. über die runde Tausendzal bestimmt M. Keza gar listig für die decuriones, und praefectos, bei jedem Heere. Si Hungari, ut paulo ante ex Leonis Sapientis Tactica notavi, aciem in turmas millenarias distribuere solebant, turma autem millenaria ab uno debite regi non possit, sed a pluribus, nihil fraudis *Keza* commisit, cum militiae Hungarorum suos *decuriones*, & *praefectos*, attribuit.

ſum, & Septemtrionem, latius ſenſim proferre. a)

An. Christi. 892-93. * Per idem tempus, videtur illa Hungarorum pars, quam cum *Lebedia*, ad montes Carpaticos adhæſiſſe memoratum eſt, (§. 9.) ſuperatis montibus, & adlectis in ſocietatem Ruthenis, ſe rurſum cum ſociis Moldavia exactis, conjunxiſſe. Atque hæc ſola ratio eſt, qua Belæ Notarius, qui Hungaros, ex *Halicia* in regnum memorat b) penetraſſe, cum Prophyrogenita, qui illos ex Moldavia & Valachia educit, c) conciliari poſsit.

§. XIII.

894-95. Dum hic rerum ſuarum ſatagunt, *Zventibaldus*, Marahanorum Rex, interea obiit, cujus filii dum inter ſe diſsident, & alter alteri Principatum eripere conatur, Hungari tempore, & occaſione hac uſi, magnam Moraviam, illis diſceptantibus, ingreſsi, præcipuam illius ditionem, & Pannoniæ partem, diſsipatis, aut cæſis, ſubactisque incolis,
899. ſuam faciunt, & poſt Arnulphi Imperatoris mortem, totam occupant, cui poſtea nomen Hungariæ inditum fuit. Hæc ſub *Arpado* geſta,
907. qui anno 907. e vivis exceſsit, hunc in regimi-

a) Belæ Notarius hæc fuſe perſequitur.

b) Idem c. 12.

c) Prophyrog. cit. l. & c.

mine excepit *Zultan* filius, cui quadragesimo post anno successit *Toxus*, itidem filius, quem rebus humanis exemptum in Ducatu *Geisa*, Stephani, primi postea regis, pater, sequutus est. *a)*

An. Christi. 947.

972.

 §. XIV.

---

a) Genealogia Ducum ex Porphyrogenita, & Belæ Notario, hæc fere est.

Almus.
|
Arpadus.
|
Liuntica. Turcatzus. Jelech. Jutotzas. Zoltan.
Turcatzus → Tebele. → Termatzes.
Jelech → Ezelech. → Tases.
Jutotzas → Phalitzin. → Phales.
Zoltan → Toxus. → Geisa. — Michael.
Geisa → Stephanus.
Michael → Ladislaus Calvus. Vazul, seu Basilius.

Verisimile est, nomina, ut fere Græci in exoticis solebant, magnopere corrupta fuisse, cum ipsa enunciatio, a Græcorum ore nimium abhorreret. *Liuntica* videtur in bello Bulgarico, dum Arpadus cum suis Imperatori Arnulpho contra Zventibaldum subsidio venerat, occubuisse, nec enim ulla deinceps apud Porphyrogenitam mentio illius exstat. Ceteros autem *Zoltano* fuisse præmortuos credibile est. Certe, nullum vestigium apud scriptores illorum

tem-

§. XIV.

Atque hoc temporis intervallo, Hungari, Ducum suorum auspiciis, sæpe in orientis, & occidentis Imperium procurrebant, vastitatem per Germaniam, aliasque provincias circumferentes, *a*) ut fere semper victores, ita nonnunquam alterna fortuna etiam usi, donec ab Ottone I. ad Augustam Vindelicorum anno 955. memorabili clade profligati fuissent. Abhinc, ad reparandas vires, domi aliquamdiu se continebant, formandæ sensim, & constabiliendæ rei publicæ intenti.

An. Christi. 955.

§. XV.

Ex tot procursionibus, præter immensa spolia, duo præcipue commoda videntur Hungari consequuti fuisse: primum, quod ex variarum Nationum captivis, quorum magnam

temporum exstat, ex quo pateat, illos Ducatum, ea potestate, qua Arpadus, Zoltan, Toxus, & Geisa usi sunt, adeptos fuisse.

a) Horum temporum res ab Hungaris gestas, cum in meris procursionibus ad exteras regiones consistant, nec quidquam ad constituendam rei publicæ formam pertinere videantur, hoc loco afferre, nihil attinebat, petique possunt, ex annalibus Francorum, Germanorum, aliorumque, quas in ordinem digestas, vid. apud Katona hist. VII. Ducum, & Pray annal. vet. P. III.

gnam copiam ex hoſtico ferę ſolebant adducere, horumque conſuetudine, cognitis Europæorum moribus, a ferocia militari ſenſim remitterent, alterum, quod ex iisdem captivis non ſolum Chriſtianæ religionis notitiam hauſerint, ſed ad ſtabiliendam rem publicam, præter militiæ profeſsionem, artes quoque, & agriculturam, cum prius rei ſolum pecuariæ cura haberetur, plurimum conferre experirentur. *a*) An. Chriſti. 955.

PARS

a) Agriculturæ enim in vita nomadica, qualem teſte Imp. Leone Sapiente Majores noſtri in principio ducebant, locus eſſe non potuit. Huic colendæ, poſt ſtabilitas ſemel ſedes, captivi aliunde adducti, primum appliciti fuere, indeque olim ſervi *glebæ adſcripti*, originem habebant.

PARS II.

Constitutio regni limitum: terrarnm partitio: varietas provinciarum: quae harum fuerit primum sub Ducibus, ac dein sub Regibus, civilis, & militaris administratio: quae item ratio, judiciorum, proventuum, quae hominum, servitiorumque classes?

§. XVI.

An. Christi. 955. Occupata magna Moravia, placuit terrarum, quas armis subegerant, limites designare. Hos *Zoltanus* in vicinia Graecanici Imperii fixit, *a*) intra quos pars quoque Valachiae, ultra Alutam fluvium continebatur. Porphyrogenita enim affirmat, *b)* Hungaros ad orientem a Bulgaris separari Danubio. *c)* Reliqui deinde Duces, ut ditionem sensim proferebant, ita alios limites secundum fluvios, vel naturales montium positus, constituerant. Hunc

a) Belae Notarius, c. 57.

b) De administr. Imperii, c. 40.

c) Firmat id non modo locus de ponte Trajani, & Belgrado, supra jam adductus, sed biographus etiam S. Gerardi, temporibus illis si non proximus, certe non longe remotus, qui c. 8. refert, *Achtunum*, ei Valachiae parti, quae ex opposito *Vidini*, ultra *Alutam* tenditur, praefectum, a Stephano primo Rege, quod obedientiam detrectaret, victum fuisse.

Hunc in modum limes a meridie, partim *Dravo* definiebatur, partim quod inter hunc, & *Savum* interjacet, & *Danubio*, ad utriusque confluentem vergit, complectebatur. *a)* A Septemtrione montes *Carpatici*, & horum extrema Poloniæ objecta juga, olim *Simina b)* di- An. Christi. 955.

a) Fidem hujus facit *Rado* Palatinus, in litt. an. 1057. his verbis: *monasterio meo S. Demetrii super Zavam fluv. quod multis laboribus bellicis, cum tota provincia illa sanctæ coronæ rectificavi, & iterum aquisivi.* Fuit igitur jam prius juris Hungarici facta, omnemque ditionem Comitatuum *Sirmiensis, Possegani*, & *Valkoviensis* continebat.

b) Dipl. Belæ IV. an. 1256. *nos quamdam silvam nostram regalem in districtu Scepusiensi, ab utraque parte fluvii Poprad, inter indagines regni nostri, & confinia Poloniæ, & inter montes Simina — existentem, donavimus* &c. Dipl. Ludovici I. an. 1347. *Præterea in confiniis Bohemiæ, per ipsum patrem nostrum constitutus* (Stephanus Vajvoda Transsilv.) *partes regni nostri — per suas veras metas, per sanctissimum regem Ladislaum positas, & erectas, recuperando assignavit.* Ad litem enim inter Hungaros, & Bohemos, limitum caussâ ortam, S. Ladislaus paulo ante mortem versus Moraviam profectus erat. De Austria vero testantur *Notulæ Aloldi* ad an. 972. *Interim* (Geisa Dux)

An. Christi. 955. dicta, ad *Popradum* amnem, terminus erant: ab occasu vero, limes hinc ad fluvium *Moravam*, illinc autem, etiam temporibus Geisæ Ducis, ad potiorem Austriæ inferioris partem, prolatus fuit.

* Hodie iisdem fere, si Austriæ, & Valachiæ partem demimus, limitibus circumscribitur. Veram illius longitudinem, & latitudinem, quæ vel astronomicis observationibus universe definita, vel geodætice dimensa sit, nondum habemus, quo fit, ut etiam mappis rite constructis destituamur. Si tamen ea, quæ Serenissimo Archiduci Leopoldo Alexandro, regni Hungariæ quondam Palatino, dicata fuit, gradus accurate exhibet, tum Hungaria ambitu suo complectitur milliaria quadrata circiter 3040. aut paulo quiddam amplius. a)

** Huic

Dux) *Osterricham a Majoribus suis ex maxima parte occupatam non dimisit, sed constanter retinuit.* Qui limes tamen sub S. Stephano Rege, pace cum Imp. Conrado II. confecta, ut suo loco dicetur, ad *Leitam* fl. & castrum *Hornstein*, reductus fuit.

a) Sunt tamen, qui 4890. alii 4033. alii rursus pauciora hujus dimensionis milliaria numerent. Sed de hoc argumento, sine astronomorum, & geodætarum ope, nihil certi, puto constitui posse.

An. Christi 956.

* * Huic terrarum amplitudini, vix tamen respondet incolarum numerus, nec enim, calculo publica auctoritate inito, ultra septem milliones censentur, a) pro ubertate soli, cœlique clementia, & crebro deductis aliunde coloniis, omnino pauci. Hinc multæ adhuc plagæ, quæ alendis quidem numerosis pecorum gregibus utiliter serviunt, alterius tamen præterea culturæ patientes essent, propemodum vastæ jacent. Et quamvis, quodvis naturæ regnum omnia, quæ ad usum vitæ humanæ spectant, nobis abundanter præbeat, ipse etiam regni situs, ob fluviorum copiam, nec superatu difficilem amnium corrivationem, opportunus sit, languent tamen commercia, vixque ultra boum, frumenti, lanæ, pellium, vinique, &, quæ hujusmodi sunt, negotiationem porriguntur, eaque, ut plurimum, in Græcorum, &, quos Rascianos vocamus, potestate sunt, reliquis mediocritate sua contentis. Quo fit, ut artes non quidem negligantur, ad eam tamen perfectionem, quæ artefactis cele-

---

a) Ex his sunt

Romano-Catholici	4120000
Græci ritus uniti	500000
— non uniti	800000
August. & Helvet. Confess. .	1500000
In hoc numero Judæi non sunt comprehensi, qui anno 1787. censi erant.	80894

lebritatem apud alios conciliet, non perveniant, atque ita, quae exteris parabili precio
An. Christi. 955. vendimus, duplicato, saepe etiam magis exaucto, redimere cogamur, sive publica artium instituta, ad has latius propagandas, acuendamque industriam nobis desunt, sive nos piget, aliarum Nationum solertiam, ad facienda lucri compendia, imitari.

§. XVII.

Constitutis limitibus, ne, ut prius, vita Nomadum more, ageretur, *a*) e re publica visum est, terram communiter partiri. Praecipuam partem *Arpadus* sibi, suisque successoribus, asseruit, tum illis, qui eum sibi Ducem praestituerant, *b*) secundum pacta conventa,

(§.

---

a) Leo Sapiens apud Kollár, l. cit. pag. 29. *Cumque incertis sedibus vivere sit solita* (gens Hungara) *labores omnes, & aerumnas strenue perfert. — Comitatur eos animalium magna multitudo, equorum, equarumque, item boum, & vaccarum, tam escae, tam lactis potus causa.* More nimirum ex Asia allato. *Sedes incertae*, indicio sunt, terrarum divisionem, nondum Leonis tempore factam, sed usum omnibus communem fuisse.

b) Id Belae Notarius indicat, capp. 15. 18. 24. 31. & alibi passim. Nec tamen, ut aliqui sibi persuadent, privato cujusvis arbitrio, sed

Du-

(§. 4.) portio tributa fuit, ac hi rursum militibus, quibus præerant, certum terræ tractum, ex quo, stipendiorum loco, vitæ necessaria adjumenta sumerent, feudi instar, idque ad dies vitæ solum, designarunt, quæ feudi ratio, non tantum in Asia, sed in Europa etiam, per id tempus, passim obtinebat. *a*) Cum autem Hungari equitatu cumprimis valerent, plana ut plurimum loca insederant, Slavis Marahanis, qui remanserant, ad montana retrusis, qui hodie etiam utriusque gentis fere situs est. An. Christi 955.

* Præcipuam partem in diribitione terrarum, ad *Árpadum*, hujusque successores, Duces, regesque, proprietatis jure, pertinuisse, satis manifeste indicant amplæ donati-

Ducis auctoritate duntaxat, terræ divisæ erant, alioquin confestim in principio rem publicam interverti, & societatem dissolvi, oportuisset.

a) Exempla hujusmodi exstant apud du *Cange* in glossario medii ævi, ad articulos, *feudum*, *beneficium*, *allodium* &c. & apud *Baluzium*, in præfat. ad Capitularia regum Francorum, quædam etiam in Differt. de *Missis dominicis*, seu regum nunciis. Ex quibus liquet, feudatarios, titulo militiæ, primum fuisse usufructuarios, tum sensim portionem fuisse excisam pro *allodio*, quod jure hæreditario possidebant, donec omne id, ex quo fructum capiebant, in idem jus transiisset.

An. Christi. 955. tiones, quas Geisa exteris in Hungariam venientibus fecerat, & tot, ut nihil de Abbatiis, & plurium sacerdotiorum collegiis dicam, non solum conditi a sancto rege Stephano episcopatus, quos, teste Carthuitio, amplissimis fundis dotaverat, sed posteriorum etiam regum, in viros sacrae; & profanae rei publicae profusa liberalitas. Nam crimen laesae majestatis, & defectus seminis, ex quibus capitibus fundi aliis donati, in fiscum solent devolvi, aliisque, si regibus videatur, conferri, vix quidem eo tempore, aut certe rarissimum fuit.

** Hinc Belae Notarii locus, *a)* ubi Transsilvaniam, postremo electorum *Tuhutumo*, donatam memorat, illustrandus est. Cum enim ea provincia tertiae parti Hungariae, par fere sit amplitudine, vel non fuisset aequalis inter hunc, & reliquos electores divisio, ansamque praebuisset simultatibus, quod *Arpadi* prudentiam, a Porphyrogenita laudatam (§. 2.) minime in recens instituta re publica commendasset, vel, si ceteri quoque electores aequalem cum *Tuhutumo* portionem sunt adepti, necesse est, ut Arpado, hujusque successoribus, ac regibus, minima pars obtigerit, cujus tamen contrarium, paulo ante ostensum est, &, vel ex ipsa ratione dignitatis, & potestatis, quam Arpado libera voluntate, tribue-

a) Hist. VII. Ducum, c. 40.

buerant, a vero prorsus abhorret. Itaque illud veri est similius, *Tuhutumo* Transsilvaniam, *administrationis* solum titulo, partem vero aliquam, ut reliquis electoribus, feudi instar, collatam fuisse. *a*) 955.

§. XVIII.

---

a) Idem Transsilvaniam a *Tuhutumo*, jussu *Arpadi* subactam memorat. Id Cel. Schlözer cit. op. Vorbericht, pag. V. inter fabulas censet. Tuhutums Eroberung scribit, ist mir ein Märchen. Sed, cur ita ei videatur, rationem, quod tamen ex lege critices, fieri debebat, nuspiam reddit. Mox subjungit: und später hin, ist mir Stephans Eroberung dieses Landes, keine Eroberung in gewöhnlichen Bedeutung. Rursus: seine Nachfolger waren nicht in Stande die Eroberung zu behaupten, auch machte keiner die geringste erweisliche Anstalt da zu. Der sichere Besitz des ganzen landes ward erst 200. Jahre nachher dem ungrischen Reiche, durch Deutsche, und ihre Bürgen gewährt. Hæc, ne viri docti auctoritas aliis præjudicium creet, tantisper exploranda sunt. Ac primum quidem, constat, Transsilvaniam, teste Ademato Chabanensi ad annum 1002. a Stephano, Gyula Duce, cum uxore, & duobus filiis, capto, *ad fidem veritatis, tam vi, quam amore conversam* fuisse. Idem affirmat annalista Hildesheimensis, qui, quemadmodum & Ditmarus, illius plane temporis scriptor, Gyulam, avunculum Stephani, & ab

§. XVIII.

An. Christi. 955. Facta terrarum partitione, ut, quæ cujusvis in re publica partes, quæ subjectis caven-

---

hoc provincia exutum fuisse, perhibent. Cum autem itidem constet, Stephanum nulli unquam belli causam præbuisse, idque si gerere fuisset coactus, nec animo aliena rapiendi, sed sua solum conservandi, gessisse, necesse est consequi, Gyulam voluisse Transsilvaniam, quam abavus illius *Tuhutum*, ab Arpado curandam acceperat, a jure Stephani, & ab Hungaria avellere. Deinde animum hanc retinendi Stephano fuisse, cum ipsa, post Gyulam cum familia sua in Hungariam ductum, provinciæ administratio, tum religio quoque, quam induxerat, conservanda, certo documento esse possunt. Illud, quod idem addit, nullum episcopum Transsilvaniæ, ante annum 1103. memorari, nihil prorsus efficit, alioquin, cum nec Vaciens. ante an: 1055. nec Varadiens. ante an. 1103. nec Nitrien. ante an. 1133. episcopi memorentur, nec has plagas religioni Christianæ prius fuisse initiatas, nec ad Hungariæ jus pertinuisse, consequeretur. Fuit proinde Transsilvania jam ante Stephanum, & sub reliquis deinceps regibus juris Hungarici, certaque possessio jam prius asserta, quam coloniæ ex Germania advenissent. Nec enim inde a Stephani tempore,

venda, vel agenda essent, quivis sciret, necessarium erat, ut leges, quæ tempori, & Nationis genio accommodatæ essent, conderentur. Arpadus igitur, convocatis Tribuum Præfectis, communi cum illis deliberatione, sicut per pacta conventum erat (§. 5.) *ne a consilio Ducis, & honore regni priventur*, a) mo- An. Christi. 955.

re, ad Geisam II. Transsilvaniam, licet hanc hostes crebro, ante deductas ex Germania colonias, & postea quoque, erectis etiam *Saxonum Burgis* incursarint, ab exteris subactam fuisse, ullus scriptorum prodidit. Et jam an. 1113. sub Colomanno Rege, *Mercurius* Transsilvaniæ Princeps, seu Vajvoda subscriptus legitur, non solebant autem magistratus, regum diplomatibus subscribi, nisi earum ditionum, quas re ipsa possidebant. Anni igitur 200. quos D. Schlözer, ad retinendam, & stabiliendam Transsilvaniæ possessionem, statuit, mere arbitrarii sunt, nec, hanc Saxonibus deberi, evincunt.

a) Belæ Notarius, c. 40. *& in hoc loco Dux, & sui Nobiles ordinaverunt omnes consuetudinarias leges regni.* Hoc est, ut reor, leges, quæ ad constituendam rem publicam necessariæ erant, nam deinceps ex usu temporum, quædam additæ, aliæ autem mutatæ erant. Veri autem simile non est, omnes Nobiles, ut aliqui sibi persuadere possent, viritim adfuisse,

qui

An. Christi. 955. dum servitii, aliaque obsequia, ad rite stabiliendam rem publicam, necessaria, criminum item, populus enim, teste Leone Sapiente, in principio, severitate regebatur, varias pœnas, constituit, quæ cujusmodi fuerint, ex iis legibus, quas primi reges tulerant, & de quibus alibi commodius dicetur, facile conjectura capi potest. Atque hic quidem primus omnium, qui memoriæ proditus sit, gentis nostræ Conventus fuit, ex quo Comitia regni originem suam deinceps videntur duxisse.

* Fuit autem Comitiorum non eadem in principio, quæ hodie obtinet, ratio. Primi reges, si quid statuendum in rei publicæ commodum erat, cum Episcopis & Nationis Principibus consultabant, a) quemadmodum inter se-

qui ad tuendas recens occupatas terras dispersi, in hostium conatus excubare debebant, proinde ii solum videntur intelligi, quos c. 5. speciali Nobilitatis prærogativa ornat: *isti enim*, ait, *septem principales personæ, erant viri Nobiles genere.*

a) Carthuitius cit l. c. 1. *cum episcopis, & Primatibus Hungariæ, statutum a se decretum, manifestum fecit.* Et c. 4. *Contra quem* (Imp. Conradum II.) *Rex consultum habens Episcoporum, & Principum, ad tuendam patriam, armatos totius Hungariæ extraxit.* Idque primum vestigium est, *Insurrectionis*, ut nostri vocant, *generalis.*

ſeptem principales perſonas, in electione Arpadi, conſtitutum fuit. Epiſcopis, ut primus ante Principes locus eſt datus, *a*) ita jus quoque Comitiorum, & ſuffragii tributum fuit, ut, ſi quid interveniret tractandum, quod religoni adhuc novitiæ, videretur adverſum eſſe, epiſcoporum, ad quos res religionis, jam ab exordio inſtitutionis illius pertinebat, judicio, & ſententia ſtaretur. An. Chriſti. 955.

** Quando autem mos cœperit, ut, præter Epiſcopos, & Optimates, etiam Nobiles jus Comitiorum, & in his ſuffragii obtinuerint, nuſpiam diſerte expreſſum reperio. Sunt, qui id ad tempus regis Ladislai I. figant,

a) Epiſcopis primum locum eſſe datum, patet ex S. Stephani Decret. l. 1. c. 3. & l. 2. c. 2. de quo Cl. Schlözeri cit. op. pag. 197. hæc eſt opinio: In ſeiner Ermanung an ſeinen Son Emerich, von deren Alter, und Aechtheit aber noch niemand Beweiß gefürt hat, wird ihm deshalb eine gelehrte Theorie, mit Bezug auf die Entſtehung des Römiſchen Staats in den Mund gelegt. Sed nemo etiam ſuppoſitum hactenus oſtendit. Ceterum vetuſtatem illius, ex Carthuitio, quem Stephani temporibus proximum fuiſſe, deinde oſtendam, facile diſcere poterat, qui c. 4. hæc refert: *ipſe quoque* (Stephanus) *paternæ dilectionis ardore compunctus, libellum ſibi (Emerico) de inſtitutione morum compoſuit* &c.

An. Christi. 955.

a) quod ego malim in medio relinquere; quam in partem alterutram hallucinari. Illud contra certum est, sub Andrea II. cuivis Nobili, qui vellet, concessum fuisse, ut Comitiis interesset. b) sed, cum ipsa copia, ut fit, ob diversitatem opinionum, &, qui ex hac plerumque sequi solet, conflictum sententiarum, consultationibus officeret, primus omnium Bela IV. numerum ad duos, tresve ex quovis Comitatu restrinxit, qui mos hodiedum obtinet. c) Decreti verba sunt: *item ordinavimus, quod singulis annis, in festo sancti regis* (Stephani) *unus ex nobis*, (hoc est, vel Rex ipse, vel alteruter ex filiis, Stephanus, aut Bela junior) *Albam venire debeat, & de quolibet Comitatu, duo, vel tres Nobiles debeant convenire, ut in eorum præsentia, de omnibus damnis, & injuriis, per quoscunque datis, & il-*

---

a) Decret. S. Ladislai, L. 1. prolog. §. I.

b) Bul. aur. art. 1. *Et si nos interesse* (Comitiis) *non poterimus, Palatinus procul dubio ibi erit pro nobis, — & omnes servientes, qui voluerint, libere illic conveniant.*

c) De Nunciis Comitatuum ad Comitia, qui plura volet, consulat Decreta annor. 1435. 1440. 1447. 1459. &c. quæ in Cod. jur. patrii exstant, qui autem præter Nuncios Comitatuum, jus Comitiorum habeant, reperiet in Decr. an. 1608. Confer præter alios, Ignatii Steph. Horváth Biblioth. Juris consultor. Hung. Tom. III.

illatis, omnibus querulantibus satisfiat. a) Videntur autem olim omnes, suo, non item publico; sumtu Comitiis interfuisse. *b)* Civitates regiæ, quas *liberas* vocamus, primum sub Sigismundo, jus Comitiorum obtinuere. *c)* An. Christi. 955.

D 4

a) Dipl. an. 1267. quo Nobilium prærogativas confirmat.

b) Videtur id innuere, Wladislai II. Decr. an. 1492. quo statuitur, ne quis, constituto jam Comitiis tempore, ultra quatuor dies expectetur, moraque idcirco consultationibus injiciatur; causa hæc redditur, quod *Nobiles mediocres, & pauperes de ipsa Dieta abscedere coacti* fuerint. Idem in Decreto Ludovici II. art. 16. repetitur in hæc verba: *quoniam autem propter continuas Dietarum celebrationes, pauperes Nobiles, adeo exhausti sunt, ut eorum multi, propter nimias expensas, bona sua impignoranda, in perpetuam devenerint rusticitatem &c.* quod non esset consequens, si sumtus fuissent ex publico præbiti. Hinc Comitia olim citius finiri solebant. De sumtibus ex publico præstandis serius post, Decr. 1647. art. 104. Decr. 1655. art. 51. & Decr. 1715. art. 47. constitutum fuit.

c) Decr. Sigismundi an. 1405. in exordio §. III. *Hinc est, quod convocatis, ex omnibus regni nostri Comitatibus, ac districtibus, civitatum, oppidorum, & liberarum villarum, regiæ juris-*

An. Christi. 955. *** Tempus, quod Comitiis præstitui solet, quoniam hæc indicere, juris regii est, *a*) nec certum in principio fuit, & crebro etiam variabat. *b*) Illud solum jam ab exordio regni videtur defixum fuisse, ut reges possessionem adituri, coronam suscipere, & juramentum Ordinibus, de servandis regni immunitatibus dicere soleant, vicissimque ab iisdem fidelitatis sacramentum recipiant. His Andreas II. illam quoque anno 1222. addiderat, qua, si Rex promissis, tempore coronationis a se præstitis non staret, Nobilibus tam sacri, quam profani ordinis, facultas, regi *contradicendi*, & *resistendi*, datur. *c*) sed, cum hæc

risdictioni pertinentium, Nunciis, & Legatis, auditis, & diligenter intellectis &c.

a) Rege autem defuncto, si hæres non adsit, jus Comitia indicendi, ad Palatinum, & hujus magistratu vacante, ad judicem Curiæ pertinet. Si vero, rege pupillo, Gubernator electus sit, hic, præ Palatino, Ordines ad Comitia convocat.

b) Ut tempus, ita & locum Comitiis reges designant.

c) Clausula bullæ aur. an. 1222. art. 31. §. II. sublata est Ordinum consensu, an. 1687. art. 4. ea potissimum ex causa, quod, ut regis propositio die 31. Oct. ejusdem anni habet: *divinis,*

hæc clausula generatim concepta, nullum in *contradicendo* modum, nec, intra quos limites *facultas resistendi*, se continere debeat, statueret, facileque occasionem præbere posset, facta regum, celeroqui innocua, & rei publicæ utilia, in pejorem partem accipiendi, atque ita vinculo animorum, quod reges cum subjectis connectere debet, solvendo fucosam causam dare, idem Rex, anno post nono, dum rursus jura Nobilium, Sacramento a se, & filiis suis præstito, rata haberet, consentientibus regni Ordinibus, abrogasse, aliamque priori substituisse videtur, qua, si immunitates regni imminutum iret, violaretque, Strigoniensi Archi-Episcopo facultatem tribuit, ut regem exerrantem, primum commonefaceret, &, si id non satis esset, sacris etiam interdicat. a) Simili deinceps, post abroga- An. Christi. 955.

nis, humanisque legibus contraria, nec sine manifesto regis, & regni discrimine observari nequiret, dum viam regnicolis pandit, regi, suo resistendi, flagitia quoque, & scelera licentiose patrandi, quod ipsum plurium annorum experientia teste, tot motus intestinos, & externa bella, & quod majus, iram Divinam excitavit, totumque regnum ad fatale fere funus, & internecionem deduxit.

a) Decret. Andreæ II. an. 1231. *Ut autem hæc nostris, & successorum nostrorum, temporibus fir-*

bit, *Hunnorum in Pannoniam ingreſſu*, *usque*
An. Christi. 955. *Carolum I. adeoque novem pene*, *&*, *quod excur-*
rit, *ſeculis*, *ne unum quidem Hungariae Princi-*
pem reperio, *qui ſub regiminis aditum*, *in ſubdi-*
torum ſuorum conditiones, *aut verba juraſſet.*
Aſſertum iſtud nunquam evertent adverſarii, &c.
Ne rei, ſcriptori quidem huic, ignotae, mon-
ſtratu tamen, ut ex paullum ante memoratis
liquet, facili multum immorer, afferam do-
cumenta, ex quibus perſpicuum fiat, reges
etiam ſtirpis Arpadianae, in aditu regiminis,
juramentum de ſervandis regni immunitati-
bus praeſtare ſolitos fuiſſe, adeoque ſcriptoris
hujus aſſertum, nullo prorſus negotio enerva-
ri. Honorius Papa III. ad Belam IV. regem
juniorem, ſcribens, impenſe eundem horta-
tur, ut patrem ſuum, ad irritandas donatio-
nes ſuperfluas induceret; cauſam in haec ver-
ba reddit: *cum teneatur*, *& in CORONATI-
ONE ſua juraverit*, *jura regni ſui*, *& honorem
coronae ſuae*, *illibate ſervare*, &c. *a*) Similiter
Ste-

a) Regeſt. Honorii III. epiſt. 70. an. Pontificatus IX. Quid Pontifex *jure regni*, & *jure coronae*, intellexerit, obſcurum eſt. Forte, *regni* nomine veniunt incolae, inter quos, Status, & Ordines, cives, & plebs, ſuo quique jure, & gradu cenſentur, *coronae* autem *honore*, reges, &, quae horum praerogativis innexa ſunt, *jura majeſtatica*, inter quae, praeter jus vitae, & necis,
bel-

Stephanus, Belæ IV. filius, juramentum in coronatione a ſe Ordinibus dictum teſtatur: *nos igitur*, ait, *in die coronationis noſtræ, Baro-* An. Chriſti. 955.

---

belli, & pacis, fœderum, ac Legationum, tum leges ferendi, & has confirmandi, conferendi bona, bene de re publica meritos in ordinem Nobilium cooptandi, item regni magiſtratus inſtituendi, feriundæ pecuniæ, aliaque ceteris regibus communia, forte etiam referri poſsit jus indulgendi, & vetandi typographias, quæ, ut rei litterariæ bono inſtitutæ ſunt, ita, cum ſæpe quidam quaſi canalis fiant, quo opiniones, religioni non minus, quam rei publicæ, ac moratæ civitati noxiæ, in vulgus propagari ſolent, merito Principes, ſi modo ſui, ſuorumque, ut debent, curam habere velint, jus ſibi in has ſervarunt. Certe Rudolphus an. 1584. d. 15. Aug. Praga reſcribens, typographias in Hung. ſine facultate ſua erectas, præter Telegdi epiſcopi, vetuit. *Nos volentes eundem epiſcopum — pro noſtro rem litterariam curandi, promovendique ſtudio, de præfatu ipſius typographia, nobis grata, & accepta, ſublatis jam antea, &, ſeriis noſtris mandatis, prohibitis univerſis, & quibusvis typographiis, quæ paſsim ſine licentia, conſenſuque noſtro, in regnum hocce noſtrum Hung. receptæ erant, quas etiam vigore præſentis noſtri diplomatis, ſerio interdicimus, & prohibemus, ſecurum, & quietum — reddere, &c.*

ronibus, & universis regni nostri Nobilibus, ju-
An. Christi. 955. *ramentum praestitum, infallibiliter volentes ob-servare*, &c. *a*) Quin, & a reginis, in prima regum periodo, id praestitum fuisse, veri est simillimum. Certe Elisabetha, Stephani V. regis conjux, juramenti a se praestiti, his verbis meminit: *unde, cum die appositionis coronae capiti nostro, promiserimus juramento, quod jura Nobilium per antecessores nostros, indebite alienata, — reddi faciemus, & restitui*, &c. *b*) Fuit igitur haec consuetudo etiam ante Carolum I. contra, quam scriptor hic aliis persuasum vult, apud nos usurpata.

§. XIX.

Arpadus in iisdem Comitiis, justitiae administrationem, ad stabiliendam rem publicam, omnino necessariam existimabat, quae quidem in principio rudis admodum, & ipsi etiam genti admensa erat, plus tamen rigoris, quam temperamenti habens. *c*) Praecipuas in hac partes tenebant, *Gylas*, & *Carchas*, quae officii, non item personarum, nomina fu-

a) Dipl. 1270. V. Kal. Octobr.

b) Vid. Pray commentar. hist. de vetere reginas Hung. coronandi more Pestini 1792. pag. 9.

c) Leo Sapiens, apud Kollár, amoenit. hist. vol. 1. pag. 25.

fuisse, Porphyrogenita monet. *a)* Quemadmodum Comitiorum, ita judiciorum quoque, alia, atque alia olim institutio fuit. Postquam *Gylæ*, & *Carchæ* nomen obsolevit, Comites palatii, horumque vicarii, *b)* judiciorum arbitri erant. An. Christi. 955.

* Judicia primitus per *sigilli missionem* *c)* fiebant: hoc *præcones* solebant deferre, & qui

a) De administ. c. 40. Nomen *Carchas* etiamnum, sed depravatum, exstat. Decr. S. Ladislai, l. 3. c. 2. ubi *judicis Sarchas* nomen legitur.

b) Ibid. l. 3. c. 3. 25. & 26. Auctor jur. publ. Hung. pag. 75. censet, officium Palatini primum a S. Ladislao Rege institutum fuisse, propterea, quod nemo ad id tempus hac dignitate ornatus fuisse legatur. Sed venire ei in mentem debuerat, S. Stephanum Regem, in præf. ad Decr. l. 2. §. II. monarchiam suam ad normam Augustorum prioris, & sui temporis, instituisse. Cum igitur Impp. Occidentis suos *Comites palatii*, & Orientis *Curopalates* suos habuerint, dubium non est, quin Palatinum quoque instituerit, licet, defectu documentorum, nemo nominatim exprimatur.

c) Decr. Ladislai l. 1. c. 24. item Colomanni l. 1. c. 14. & 23. atque hoc unicum est, quod sub Petro Rege, ex legibus Bajoariorum, ad nos derivatum fuit, ut videre est apud Baluzium, in Capitularibus Francorum.

An. Christi. 955. qui his præfuit, *Comes præconum* dicebatur, *a)* Postea Judices Nobilium idem præstitere. *b)* Viso, cognitoque sigillo, ad diem dictum comparendum erat, qui renuisset, ære mulctatus est. Ceterum, ut de litibus rectius cognosceretur, bis quotannis, ab Episcopis, & Comitibus Synodi habitæ, in quibus partes audirentur, *c)* forte hinc consuetudo manavit, ut omni anno ad festum sancti Stephani regis, Albam regiam Comitia pro celebrandis judiciis olim indicerentur. *d)*

* * Fuit quoque in usu *judicium ferri candentis*, quod in sede episcopali, vel constitutis ad id Præposituris majoribus, ut *Nitriæ*, &

a) Id patet ex sigillo, quod caput *Uri* refert, appensum litteris an. 1255. hac epigraphe: *Comes Tristanus me misit:* litterar. vero hoc initium est: *Nos Tristanus Comes præconum Domini Regis.* Et aliud Capituli Veszprimiensis, angelum exhibens, cum epigraphe: *sigillum citationis.*

b) Litt. an. 1346. *Nos — Vicecomes, Magistri Konya, & quatuor Judices Nobilium, damus pro memoria, quod Comes Theodorus, unus ex nobis quatuor Judicibus, & Stephanus —, quos ad faciendam inquisitionem, cum nostro sigillo transmisimus, ad nos reversi, sigillumque nostrum reportantes, dixerunt* &c.

c) Decr. Colomanni, l. 1. c. 2.

d) Andreæ II. bull. aur. art 1.

& *Posonii*, *a*) item *Budæ* veteris, *b*) præcipue autem *Varadini*, & *Orodini c*) fiebat. An. Christi. 955.

* * * Præter hoc, celebre etiam fuit *judicium duelli*, & jam a condito regno in usu, *d*) quod genti militari velut congenitum, ad tempora Mathiæ Corvini duravit, qui id, ob varias, quæ intervenire solebant, fraudes, condi-

a) Decr. Colomanni, l. 1. c. 22. *Judicium ferri, & aquæ, in aliqua Ecclesia fieri interdicimus, nisi in sede episcopi, & majoribus Præposituris, ut Posonii, & Nitriæ.*

b) Litt. Andreæ II. an. 1214. *Prædium etiam, — quod tempore regis Emerici emerat* (Boleslaus Vaciensis episcopus) *totaliter eum habitatoribus, & terra, pro 82. marcis, a quibusdam mercatoribus de Ruscia venientibus, qui in præsentia Curialis Comitis, — super spoliatione rerum suarum, in Budensi Ecclesia, ferri judicio convicerant* &c.

c) Exempla passim exstant, in ritu explorandæ veritatis per judicium ferri, apud Matth. Bel, Decade monumentor. &c.

d) Dipl. S. Stephani regis, an. 1024. quo Abbati de Zala, si bona illius ite impeterentur, constituit, *ut tali casui obvietur, regia majestas, quoties locus, aut tempus se obtulerit, dictæ Ecclesiæ teneatur de pugili, de sua benignitate providere, & ipsum pugilem expedire.*

dita lege vetuit. *a*) Locus illi fuit in caussis
An. Christi. dubiis. Litigantes aut per se, aut per con-
955. ductos pugiles, tempore, & loco, a Rege, vel Palatino, aliove judice designatis, congredi solebant. Modus quoque dimicandi, & armorum genus præscriptum; modo equites, *b*) modo pedites, ut judices decreverant, manus conserebant. Nonnunquam, præsertim si de impacto alicui crimine lis esset orta, pugili experto, oppositus erat tiro, *c*) & læsæ majestatis reo, armatus nudo. *d*) Sententia pro

---

a) Decr. 6. art. 18.

b) Dipl. Belæ IV. an. 1258. *Quod, cum in persona Ompudini — pro Comite Dionysio, & Laurentio, duellum in armis, & equis adjudicassemus* &c.

c) Litt. Nicolai vicejudicis, Willermi Palatini, an. 1329. *Ipse Joannes — se super duello submisit, — signo duelli, in instanti accepto. Unde nos — duellum equestre ordinavimus, tali modo, quod* 62. *die datarum præsentium, dictus Dominicus, pugile congresso, & Joannes pugile incongresso — aut in propria persona, in area duelli — dimicabunt.* Episcopi, Capitula, Abbates, & Præpositi, universe pro se pugiles conducebant.

d) Dipl. Belæ IV. an. 1246. *Ipsum* (Fulconem, qui tempore irruptionis Tartarorum prædas agebat) *a pluribus super infidelitate, & de crimi-*

pro victore lata est, & victus mulctam pecuniariam solvere debuit, quæ, si simplex erat, An. Christi.
patrio vocabulo, *Birság*, si duplex, *Követség*, 955.
dicebatur. *a*) Qui ex pugilibus causam, projectis armis, prodidisset, omnibus fortunis privatus, simul cum uxore, & prolibus jam natis, & deinceps nascituris, perpetuæ servituti addictus fuit. *b*) Poterant tamen litigantes,

mine læsæ majestatis, gravissime adnotatum, præsentibus Baronibus — nudum judicavimus ad duellum, prout super hujusmodi criminibus, regni nostri antiqua consuetudo requirit.

a) Dipl. Andreæ II. an. 1228. *Item auctoritate regia decrevimus, ut neutra pars* (duelli causa) *judicium dupli, quod vulgo Követség dicitur, solvere teneatur.*

b) Ibid. *Cum igitur pars utraque in terreno sibi assignato, pugiles suos ad dimicandum, in nostram præsentiam constituisset, Achilles filius Csiba, qui pro parte dicti Hectoris, singulare certamen inire debuerat, & suo adversario viriliter, & fortiter resistere, nobis, nostrisque Jobagionibus præsentialiter inspicientibus, tam manifestam proditionem in primo adgressionis assultu, universis suis bellicis armis, hasta, clypeo, ambobus gladiis, baculo, nec non cultello, sponte, — & in instanti depositis, se nolle pugnare, publice proclamavit. Nos igitur, pro tam manifesta, & enormi traditione — communi sen-*

An. Christi. 955.

tes, ante pugilum dimicationem, persoluta tamen mulcta, amicorum interventu, conciliari. a) Si quis vero litigantium cum suo pugile, tempori, & loco designatis, non adfuisset, alter, qui se certamini stiterat, testimonium sibi a Judice, de alterius absentia, dari petiit, & obtinuit, b) causæque æquitas ab hoc stare credebatur.

****

---

tentia definivimus, ut ipse, & uxor ipsius, nec non & liberi, tam masculini, quam feminei sexus, jam nati, & imposterum nascituri, in perpetuam servitutem redacti, cum omnibus rebus suis, tam mobilibus, quam immobilibus, cederent juri Hectoris Comitis antedicti.

a) Litt. Nicolai Palatini, an. 1376. *Quod Petrus, filius Joannis de Panyla, solvit nobis unam marcam pro birsagio pacis duelli, cum Andrea, filio Iwan de Kallo.*

b) Litt. Stephani de Báthor Jud. Curiæ regiæ, an. 1476. *Damus pro memoria, quod — termino constituto, cum suo pugili, in curia regia, in area scilicet certaminis duelli — congredi — fuisset paratus, sed tamen — ad hujusmodi certamen, nec per se, nec per suum pugilem, comparuisset protestatione facta, præsentes litteras nostras testimoniales, — sibi dari debita instantia postulavit, quas eidem duximus concedendas, communi justitia suadente.*

An. Christi. 955.

*** Diversum ab his fuit *judicium Palatinale.* Id ter in anno celebrari solebat, verno nimirum, aestivo, & autumni tempore, *a*) idque in diversis Comitatibus per ordinem, nisi necessitas forte aliud posceret. Modus autem illius hic erat. Palatinus, accepto regis mandato, pluribus Comitatibus e vicinia in unum locum convocatis, primum ad lites cognoscendas se adfuturum significabat, quod jam antea, ut, qui actionem habebant, mature edocerentur, quotannis per litteras regias, ad Capitula, aliaque *credibilia* regni loca, missas, vulgari solebat. *b*) Ubi ad praestitutum locum jam convenissent, primum causae de *jure possessionario*, si quae erant, ventilatae; tum in criminum, ut furti, latrocinii, caedium patratores, falsarios sigillorum regiorum, aliosque gravioris criminis reos, quaesti-

a) Decret. an. 1298. nondum editum. *Statuimus etiam, quod Palatinus, castra tenendo, in campis, & conventibus, & non in villis, vel civitatibus, judicare debeat, vernali, aestivali, & autumnali, & non in hyemali* (tempore).

b) Litt. Capituli Albens. an. 1409. *Noverit vestra Serenitas, quod, cum nos supremo honore receptis litteris vestris annualibus, — ad citationes, inquisitiones, prohibitiones, nec non ad omnia alia, quae talibus in processibus, juxta regni vestri consuetudinem fieri consueverunt, per anni circulum datis* &c.

An. Christi. 955. ſtiones habitæ ſunt, quorum bona, ſi convicti fuiſſent, aut ſemel, ac iterum, tertiumque vocati, non comparuiſſent, Palatinus vel ſibi aſſeruit, vel aliis, niſi cognati redimerent, aut intercederent, donare, aut vendere poterat. *a*) Idem Judici Curiæ regiæ, ſi pro Palatino, aliis negotiis præpedito, has partes judicii obiret, fas fuit. *b*) Inde, reor, veterem conſuetudinem manare, ut inter prærogativas Palatini, jus quoque cenſeretur, XXXII. ſeſsiones aliis conferendi.

Idem

---

a) Litt. Palatini Moys, an. 1273. *Cum nos ex precepto domini noſtri Ladislai regis — ad condemnandos malefactores fuiſſemus ingreſsi, tandem in Comitatu —, furtorum rei, ter vocati adeſſe nollent, — unde dictos — in rebus, & perſonis — duximus condemnandos, & quia talium res, & poſſeſsiones, juxta regni conſuetudinem ad manum Palatini debeant devolvi, terram eorum — quæ nobis ceſsit legitime, non redimentibus cognatis eorum, nec contradicentibus, — Haholdo, precio pro condigno, usque in filios filiorum vendidimus in perpetuum.*

b) Litt. Belæ IV. an. 1263. *Si Nobiles Eccleſiæ Strigonien. in furto, vel ſpolio — ordine juris ſervato, interficiantur, poſſeſsiones taliter interfectorum, non ad Palatinum regni, vel Judicem Curiæ devolvantur, ſed in Eccleſiam.*

Idem jus reperio etiam Joanni de Hunyad, postquam pro pupillo, Ladislao posthumo, Gubernator electus est, certis tamen conditionibus adstrictum, ab regni Ordinibus tributum fuisse. Decreti hac de re conditi, a) verba sunt: *Item dominus Gubernator, his, qui fideliter sacrae regni coronae serviunt, de illis possessionibus, quae deinceps ad sacram coronam, pure, legitimeque, sine cujuspiam alterius jure, per defectum seminis, item propter delationem falsarum litterarum, propter cusionem falsarum monetarum, & fabrifactionem falsi sigilli, nec non propter inductionem extraneae potentiae in hoc regnum, ac positionem ignis, in eodem fuerint devolutae, in quibus scilicet possessionibus, 32. sessiones, & non plures, fuerint, vel fieri potuerint, & etiam in quibus infra eundem numerum 32. sessionum, vel fieri poterunt, facere valeat donationes. Si vero civitates, oppida, & possessiones ultra numerum praescriptarum 32. sessionum, etiam praescriptis modis, ad sacram coronam fuerint devolutae, illas partiri, seu dividere in 32. sessiones non valeat, — sed hujusmodi omnes civitates, oppida, & possessiones indivisae, ipsi sacrae coronae reserventur. Item, Dominus Gubernator, si cui donationem praemisso modo fecerit, amplius eidem donare non valeat.* An. Christi. 955.

E 4 *****

a) Decret. Comitior. an. 1446. d. 13. Jul.

An. Christi. 955. retur, regnum in varias provincias distributum fuit. Has nunc *Comitatus* vocamus, olim autem *Megæ*, ex quo patrium *Vármegye* ortum est, dicebantur. *a)* His coordinandis initium jam Arpadus fecerat, *b)* quem morem ceteri Duces, ut primum ditionem latius proferebant, sequuti sunt, atque hac ratione Comitatuum numerus, secundum augmenta terrarum, sensim accrevit.

* Numerus Comitatuum varie, a variis recensetur, jam auctior, jam minutior. *c)* Sed hi partim solius Hungariæ, partim aliarum quoque provinciarum, quæ sensim regno assertæ erant, rationem habuisse videntur. Accedit, quod sæpe unus in plures divisus fuerit, ut Posoniensis, *d)* aut plures in

---

a) Colomanni Decr. l. 1. c. 12. & 37.

b) Belæ Notarius, capp. 15. 18. 31. & 40.

c) Rogerius in miserabili carmine, c. 10. numerat 72. Codex autem jur. patrii P. II. pag 217. censet 62. De Comitatibus Hung. ante alios erudite scripsit Samuel Timon S. J. sacerdos, Imago nov. Hung. c. 2. & seq.

d) Fuerunt enim olim duo, *minor*, & *major*; ille in insula *Csallóköz*, hic extra illam. Ita litt. Capituli Posoniens. an. 1394.: *in possessione Nemetheth vocata in districtu Csallóköz, in minori Comitatu Posoniensi existente* &c. Item Capituli Strigonien. an. 1493. *quod, quia Si-*

gis-

in unum coaluerint, a) vel pars ex uno exemta, nomine Comitatus fuerit dicta. b) Hodie cum Croatia, & Sclavonia, duos, & quinquaginta numeramus. An. Christi. 955.

§. XXI.

Forma Comitatuum, ut reliqua quoque instituta, simplex admodum in primordio, & genio Nationis militari, accommodata fuit. Cuivis castro, a quibus fere Comitatibus nomen inditum erat, certus terræ tractus, suo quisque limite circumscriptus, addebatur. Huic vir militaris, verisimiliter ex iis, qui, Arpadum sibi, & genti præstituerant Ducem, (§. 5.) aut ex horum posteris, & cognatis; secundum pacta tempore electionis inita, dignationis titulo, præfici solebat. Adjunctus præ-

gismundus Grof — capetias frugum in majori, & minori Comitatibus Posoniensibus, ad summam 200. fl. auri — venderet &c.

a) Hujus exemplum hodie etiamnum exstat, in *Kis*, & *Nagy*, seu minore, & majore Comitatu Hontensi, olim autem etiam in *Jauriensi*, & *Szolgagyőriensi*.

b) Ita Comitatus *Solth*, olim erat pars Comitatus Albensis, ut litt. Capituli Alben. an. 1435. testantur: *vicinis, & commetaneis — dicti Comitatus Albensis, sedis Solth &c.* idem repetitur an. 1409. & 1517. quando hæc pars ab Albensi Comitatu avulsa fuerit, incertum est.

præterea certus militum numerus, publicæ
An. Christi 955. securitatis causa, quorum servitiis pars captivorum ex hostico adducta, certo itidem numero destinata erat, quæ partim ruri colendo, partim rei pecuariæ curandæ adhiberetur. Hæc prima illa, & rudis, sub Ducibus, Comitatuum institutio fuit.

§. XXII.

Postea autem ex regum ordinatione, paullum alia ratio obtinuit. Castro regio præfectus, primum *Comes Parochianus*, *a)* serius post, *Supremus Comes* provinciæ dictus est. *b)* Ab his locum proximum tenuit *Comes Curialis*, *c)* hodie verisimiliter *Vice-Comes*, nomen

---

a) Bull. aur. Andreæ II. an. 1222. art. 5.

b) Supremi Comites in litt. Andreæ II. an. 1234. hac formula exprimuntur: *& aliis quam plurimis castrorum Comitibus*: cum alias hæc in usu esset: *& aliis quam plurimis regni nostri Comitatus tenentibus, & honores.* Proinde iidem, qui olim castrorum, supremi etiam Comitatuum Comites, & castris affixi erant.

c) Dipl. S. Ladislai regis, monasterio de Szala, privilegium concedens, Comitibus *Parochianis* confestim subjungit Comites *Curiales*, qui proximum ab illis locum teneant. Quidam, istos existimant serius deinde Comites *Curiæ regiæ*

men jam ſub initia regni cognitum. *a*) Huic additi erant *Biloti*, alias quoque *Bilochi* dicti, qui nunc Judices Nobilium *b*) ſunt. Iſtis ob negotiorum ſenſim accreſcentium copiam, adjungebantur *Priſtaldi*, ſeu Præſtaldi, utrumque enim in vetuſtis chartis legitur, qui in judiciis Comiti Parochiano, & Curiali, aſsidebant, & non raro donatarios in terræ poſſeſsionem inducebant, illos, ut noſtri Jureconſulti loquuntur, ibidem *ſtatuendo*. *c*) Sæpe

An. Chriſti. 955.

---

gio fuiſſe, ſed hi *Magiſtrum* Curiæ regiæ, cum *Comite* Curiali confundunt.

a) Dipl. S. Stephani regis an. 1037. diſerte *Vicecomitis* meminit.

b) Bilochorum mentio fit Colomanni Decret. l. 1. c. 37. & Andreæ II. bull. aur. an. 1222. art. 5. Præſtaldos vero memorat Decret. S. Ladiſlai l. 2. c 40. §. 1. & 6. item Dipl. Andreæ II. an. 1231. Alii erant Regum, & Reginarum, alii epiſcoporum, & alii etiam Comitum, quorum in vetuſtis chartis crebra mentio fit.

c) Ut donata poſſeſsio certa, & legitima fit, *ſtatutione* eget, intra anni ſpatium peragenda. Hanc homo regius cum Capitulari, in facie loci, vel, ſi ſit periculum, in proximo, convocatis vicinis peragit, contradictores, ſi qui eſſent, cauſam contradictionis reddituros, in præſentiam regiam vocando. Olim hanc homo ſolum regius ſolebat peragere, ubi dein Eccleſi-

An. Christi. 955. [redacted]pe etiam hoc munere Ecclesiastici, sed rari us in principio, fungebantur. *a)* Porro Comes Parochianus, tam juri dicundo, quam militiae praeerat, illud non solum populis castro suo adscriptis, sed etiam *servientibus regiis*, in consortio Curialis Comitis, aliorumque, quos paulo ante memoravi, dicere solitus. Erant autem *servientes regii*, iidem, quos hodie Nobiles vo-

[illegible]

siarum Capitula, fidei credibilitatem obtinuere, adjungebatur etiam Capitularis, tametsi non desint exempla, quae doceant, statutionem a solo etiam Capitulari peractam fuisse. Existimabam in comment. hist. de vetere reginas Hung. coronandi more, pag. 28. me vetustissimum *statutionis* vestigium sub Bela III. ad an. 1186. reperisse, sed multo anterius exhibet Belae II. Dipl. an. 1139. ubi haec disertis verbis leguntur: *Comes autem Curialis erat Jula, qui per Pristaldum suum, nomine Douk, idem praedium — praedicto caenobio statuit.* Illud mihi, velut ob iter, hic visum est monere, litteris regiis donationum, post vastatam a Tartaris Hungariam, quod possessores partim caesi, partim in captivitatem abducti essent, formulam hanc: *Salvo jure alieno*: addi solitam fuisse, ut suum cuique jus postliminii, indemne esset.

a) Dipl. Andreae II. an. 1234. *Praedicta igitur silva — a duobus Praestaldis, Jsov Canonico, & Martino Comite est statuta.*

vocamus, *a)* qui nomen ab eo Comitatu *b)* in quo degebant, universe solebant gerere, & ex primæva sancti Stephani regis institutione, ad profitendam militiam & regni defensionem destinati erant, *c)* sub vexillo regio servientes, *d)* qui in vetustis chartis, *veri*, *pri-* An. Christi. 955.

---

a) Dipl. Belæ IV. an. 1267. quo Nobilium immunitates confirmat: *Quod Nobiles Hungariæ universi, qui servientes regales dicuntur, ad nos accedentes, petierunt a nobis humiliter &c.*

b) Id sigillum litteris an. 1233. appensum docet, cujus hæc est perigraphe: *sigillum. servientium. de. Szala.* Sive Comitatus Szaladiensis.

c) Decr. S. Stephani regis, l. 1. c. 4. *Illi enim sunt regni propugnatores, defensores imbecillium, expugnatores adversariorum, augmentatores monarchiarum* &c.

d) Dipl. Belæ IV. an. 1244. quosdam in insula Csallóköz, ex servitio castri Posonien. in seriem Nobilium transfert, *quatenus ea libertate gaudeant, qua fideles milites, & Nobiles regni nostri, & in nullo alio servitio servire teneantur, nisi in nostro exercitu generali, sub vexillo regio militantes.* Item Ludovici I. an. 1356. *Ut sub vexillo regio, cum eorum proximis, & successoribus universis exercituantes, fidelia servitia nobis, & sacræ regiæ coronæ, temporibus opportunis, ad instar aliorum Nobilium regni nostri impendant.*

primi, & *naturales* Nobiles, militesque de *domo regia*, *a)* pássim dici solent.

An. Christi. 955.

§. XXIII.

Ac hi quidem, licet in decernendis litibus, Comitem Parochianum, Judicem agnoscerent, non tamen eidem, titulo militiae suberant, quam, ut dictum est, solum sub vexillo regio profiteri debebant. *b)* Longe enim alii ab his fuere, qui sub vexillo Comitis Parochiani merebant, *Jobagiones castrenses* propterea dicti. His terrae portio vel prope castrum, vel non longe ab hoc dissita, partim hae-

a) Dipl. Stephani V. regis adhuc junioris, an. 1265. *Ipsos, & ipsorum haeredes, haeredumque successores, a jobagionatu castri Bachiensis eximendos duximus, de nostra gracia speciali, adeo plene, quod de cetero, de domo regia, in numero servientium regalium computentur.* Poterant tamen, obtenta a rege venia, ipsi de suis collegis judicium ferre. Ita *servientes* de Szala, de quorum sigillo supra memini, litem inter *Ochuz* Banum, quem *unum ex nobis* vocant, & inter episcopum Veszprimiensem terminarunt.

b) Litt. Ladislai Chuni an. 1287. *Conferendo eis donum tam solemnis libertatis, qua veri, primi, & naturales servientes regales gaudent, sub vexillo regio militantes.*

hæreditatis, *a*) partim usus fructus solum titulo *b*) designata erat, constituebantque regum militiam ordinariam, & statariam, quæ post Comitem Parochianum, *Majori exercitus*, qualem quodvis castrum *c*) habuit, parebat. Inter hos, & *servientes regales*, medium quasi locum tenebant, *Jobagiones sancti regis Stephani*, qui & *liberi sancti regis* dicebantur. *d*) Simili cum his prærogativa gaudebant Proceres sancti Emerici *e*) Ducis, qui ceteris castri

An. Christi. 955.

a) Litt. Domus Hospital. S. Stephani de Strigonio, an. 1250. *Quod Augustinus, Petrus, & Ambrosius, filii Chumb, jobagiones castri Neogradiensis, terram eorum*, 40. *aratrorum, quam jure hæreditario possidebant, vendidissent — pro* 10. *marcis argenti*.

b) Litt. Caroli regis, an. 1327. quosdam a jobagionatu castri Honthensis eximens, *omnes*, inquit, *terras, — quas usque modo coluerunt, deinceps titulo Nobilitatis, & hæreditatis habeant*.

c) Istorum crebra fit mentio in ritu explorandæ veritatis per ferrum &c.

d) Hos rubrica bull. aur. an. 1222. ad artic. 19. male inter rusticos censet.

e) Dipl. Stephani III. an. 1165. *Ego Stephanus Dei gratia rex Hungariæ, sublimis, ac triumphatoris Geisæ regis filius, paterno succedens solio, istos homines inter suburbanos Po-*

An. Christi. 955.

ſtri jobagionibus quidem gradu ſuperiores, ſed ſervientibus regalibus inferiores erant, ac hoc uno ab illis differre videbantur, quod facilius, quam jobagiones caſtrenſes in ordinem *a*) Nobilium referri ſolerent; licet, priusquam ad hunc gradum traducti eſſent, regem, extra regnum belli cauſa proficiſcentem, perinde ac reliqui jobagiones caſtrenſes, comitari tenerentur. *b*)

* Nobiles *veri*, *primi*, & *naturales*, quemadmodum in regiis litteris exprimi ſolent, vi-

---

Poſonienſis caſtri exiſtentes, — *a caſtrenſi ſervitio ſubtraxi*, *eo tamen tenore*, *ut inter ejusdem caſtri proceres*, *filii ſancti Stephani regis exiſtant*, *ea videlicet cauſa*, *quod relictis ſuis omnibus*, *mecum ubique ſteterunt intrepidi.*

a) Litt. Andreæ II. an. 1217. fidelem *Uruſz*, hodie *Oroſz* dicimus, cum tribus fratribus, horumque poſteris, decernit, *a jobagionatu ſancti regis de caſtro Szaladienſi penitus exemtum*, *cum prædiis hæreditariis*, *jure pertinentibus*, *aurea*, & *perpetua frui libertate*, & *inter ſervientes regis annumerari.*

b) Decr t. ejusd. regis, an. 1231. *Nobis facientibu exercitum extra regnum*, *Nobiles nobiſcum ire non tenentur*, *niſi Comites*, & *ſtipendiarii*, & *jobagiones caſtri*, & *qui ex officio tenentur*, & *quibus amplas conceſſimus poſſeſſiones.*

videntur, ut ego quidem exiſtimo, poſteri eorum fuiſſe, qui egreſsi ex Aſia militiam ſub Ducibus profeſsi, operam ad occupandam Hungariam navarunt, quosve Leo Sapiens, *ingenuos*, & *liberos* fuiſſe, affirmat. *a*) An. Christi. 955.

F 2 Nec

a) Apud Kollar, cit. l. pag. 25. *Hæc igitur gens* (Hungarorum) *virorum copia florens*, *ingenua eſt*, *& libera*. Non piget me hæc repetere, quod ſciam ſcriptores aliquos etiam hodie eſſe, qui inſtituta inter Hungaros, & Saxones Tranſſilvanos, comparatione, illos prorſus incultos, & tantum non barbaros fuiſſe, immerito cenſent. Nam ſi gens Hungara, quam Leo Imperator cominus norat, illius opinione *ingenua*, & *libera* fuit, & ingenuitas barbariei opponitur, non erat profecto tam cruda, & barda, nec tam exiguo numero, ut eam veteres aliqui chronographi, longiſsime ab ea diſsiti, & quidam ex recentiſsimis ſcriptoribus, nobis exhibent. Si in principio piſcatu, & venatu, vitam tolerabant, id commune illis fuit cum aliis gentibus, dum migrabant, & prius quam certas ſedes, & in his ſtabilem civitatem conſtituiſſent. Si qui aliarum Nationum primordia voluerint conſulere, facile intelligent, quam iniquum de nobis judicium, hujusmodi cenſores ferant. Hoc vitio plerumque ii ſcriptores laborant, qui veterum mores, ad noſtram ætatem exigere ſolent.

An. Christi. 955. Nec tamen omnes hac prærogativa gavisos fuisse, suadet mos, in Asia olim, & hodie etiam receptus, ubi milites, ingentem servorum, & calonum numerum solent in bellum ducere. Atque ex his quidem, regum tempore, non plurimos fuisse superstites, credibile faciunt, crebræ, quas Ducum tempore in hosticum susceperant, procursiones, in quibus clades inferri, & reddi solent. Horum igitur defectus, per jobagiones castrorum, ex horum servitio eximendos, supplendus erat, ut eorum, qui ab incunabulis Nobiles erant, numerus augeretur.

** Jobagiones autem hujusmodi, qui castris adscripti erant, *a)* reges non solum in iis, a quibus nomen Comitatus gerebant, sed in aliis quoque ad eorum proprietatem itidem pertinentibus, *b)* tum reginæ etiam, *c)* habuere. Similes item Archi-Episcopi, Episcopi, Capitula, Abbates, & Præpositi, dum res

---

a) Vox *jobagio*, vagi significatus erat; sæpe ipsi etiam regni Barones, alias coloni hoc nomine veniunt, discrimen ab adjunctis personarum, & officii sumendum est.

b) Hujusmodi erant, *Bounch*, *Craoou*, *Zonda*, *Talana*, *Turda*, &c. quorum hodie nomina vix exstant.

c) Litt. Capituli Buden. an. 1275. *Inde — versus occidentem sunt duæ metæ antiquæ, & una no-*

An. Christi. 955.

res integræ erant, nec non Barones regni, & qui amplas possessiones a regibus dono acceperant, a) quos attributo iis fundo, etiam pacis tempore, sub signis servabant, quibus, quod vexillo eorum adscripti erant, *Banderii* nomen inditum est, regesque in bello comitari solebant. Hinc facile conficias, quantus olim militum numerus, si res publica poscebat, ex tot castrorum regiorum, aliorumque jobagionibus, una cum *servientibus regalibus*, sub signa cogi potuerit, ad quem, si ingruente periculo, ut alias monui, cruentus gladius per Comitatus circumferebatur, quanta accessio facta fuerit, pronum est conjicere. Hæc veteris nostræ militiæ ratio, & consuetudo fuit.

* * * Quemadmodum autem jobagiones castrenses, a castri servitio, seu castrensi militia, ad altiorem gradum, nempe Nobilium, transferri solebant, ita non raro per aliorum invidiam ad inferiorem detrusi, rursus in priorem repositi sunt, b) sicut vicissim Nobiles tenuioris census, ob spem lucri, iterum castren-

F 3

nova, ubi metæ populorum reginalium exercituantium finiuntur.

a) Hos Andreas II. in Decr. an. 1231. diserte exprimit.

b) Litt. Stephani V. an. 1269. *In compensationem servitiorum — ipsos — hæredes ipsorum —*

eci-

An. Christi. 955. ſtrenſem jobagionatum amplexi, & Nobilium prærogativa privati erant, ut adeo poſteros illorum neceſſe fuerit, in priſtinam Nobilium conditionem, per reges reponi. *a*) Præcipuam vero cauſam, cur jobagiones caſtrenſes in Nobilium ordinem a regibus adſciſceren-tur, hanc fuiſſe, ut militum numerus augeretur, jam ſupra memoravi, & Andreæ III. regis auctoritate firmari video: *ad noſtram*, inquit, *accedentes præſentiam, humiliter poſtulerunt, ut ob merita eorum ſervitiorum — eos de priſtina, & primaria conditione eorum eximeremus, & in numerum, & cœtum Nobilium regni*

eximendo de numero — noſtrorum ſpeculatorum (erant hi in limitibus regni in hoſtium conatus excubantes, alias Székhelii dicti) *licet primitus jobagiones caſtri — fuerint, & per calumniam inciderint in numerum ſpeculatorum, cum terra — qui eorum, in numerum ſervientium noſtrorum Nobilium, duximus transferendos.*

a) Litt. ejusd. an. 1268. *Cum Petrus, Jacobus, & Benedictus — jobagiones caſtri Bihoriens. qui quondam Nobiles fuerunt, ſicut nobis conſtitit evidenter, ſed per quemdam avum ipſorum, qui cupiditate fuerat imbutus, jobagionatum caſtri aſſumſerat, — eosdem ac univerſos poſteros eorum, per directam ab eisdem lineam deſcendentes, — in numerum ſervientium regalium duximus perpetualiter reſtituendos.*

gni nostri transferre dignaremur, — Nos, ipsos — ac per ipsos eorum hæredes, hæredumque successores, simul cum terra ipsorum hæreditaria, ut NUMERUS BELLATORUM augeatur, in cœtum, & consortium Nobilium regni nostri duximus aggregandos, volentes, ut tam ipsi, quam eorum hæredes, hæredumque successores, illa gaudeant libertate, eoque potiantur honore, quo veri, pari, regni nostri Nobiles, sub vexillo regio militantes, gratulantur, nulla de cetero pristinæ conditionis macula remanente. a)

An. Christi. 955.

Ceterum, longe diversa eorum jobagionum ratio fuit, qui a castrensibus regum jobagionibus, seorsim vexillis Ecclesiasticorum accensi erant. Horum numerus cum sensim nimium accresceret, & dominis suis parum utilitatis afferret, sæpe etiam oneri essent, jussu regum ad inferiorem conditionem reponi, b) paucis demtis, qui id ignominiam suam in-

a) Litt. an. 1299. quibus aliquos in insula Csálloköz, ex servitio Castri Posonien. eximit.

b) Litt. Laurentii de Hedervár Palatini, an. 1267. *Quod, cum dominus rex, percepta, & considerata magna, & inutili multitudine jobagionum equitum, monasterii sui de Tyhon, de quorum numerositate idem monasterium parvam, seu nullam utilitatem reportabat, advocatis ad præsentiam suam tam Abbate, & conventu, quam universis jobagionibus prædictis,*

An. Christi. 955. interpretabantur, in priori statione permitti solebant, ea conditione, ut porro etiam militiam profiteantur, & quotannis certam pecuniæ summam, dominis suis persolvant. *a*)

****

etis, nobis sub vivæ vocis oraculo præcepisset, ut redactis omnibus eisdem jobagionibus, in conditionarios populos, quosdam paucos ex ipsis exceptos, numero scilicet 12. *in jobagionatu, & officio equestri, secundum morem antiquum, relinquere deberemus.* &c.

a) Ibid. *Cum igitur hoc regium præceptum, coram Abbate, & quibusdam monachis — eisdem jobagionibus exposuissemus, ipsi iidem jobagiones a nobis, & per nos a domino rege, supliciter petierunt, ut ne ad popularia, & conditionaria servitia ignominiose redigerentur, aliquam potius summam pecuniæ pro servitio debito, domino suo Abbati solverent annuatim. Ad quorum petitiones, mediantibus nobis, dominus rex inclinatus, ordinavit, & statuit, ut exceptis —* 12. *personis, super sua libertate, seu exceptione, domini regis, & nostras habeant litteras, omnes reliqui tam nunc existentes, quam qui ab eorum successoribus descenderint, in perpetuum per singulas mansiones, singulis annis dimidium Fertonem, domino suo Abbati solvant in duobus terminis. — Hoc etiam adjicimus, quod dominus rex hanc cum eisdem jobagionibus fecit gratiam amplio-*

rem,

An. Christi. 955.

****. Ex hactenus dictis liquet, varios olim apud nos fuisse Nobilium gradus. Primi videntur ii fuisse, qui genus suum ad eos referebant, per quos Arpadus electus erat, (§. 5.) & jam tunc eam conditionem pacti erant, ne a consilio Ducis exclusi, honore regni priventur, quosve Belæ Notarius speciali Nobilitatis prærogativa ornat, primisque officiis in re publica adhiberi solebant. His proximi fuere *servientes regales*, vexillo regio adscripti, utrique quidem ab omni alio, si militiam demas, onere exemti, ac in ceteris immunitatibts pares, *a)* illi tamen dignatione, & externi characteris prærogativa, his superiores. Tertium genus Nobilium, istis inferius fuit, qui in *servientium regalium* quidem cœtum recepti erant, sed non *pure*, & *simpliciter*, ut regum litteræ solent exprimere, cum, præter onus militiæ, servientibus regiis commune, quædam alia etiam onera, nisi regum beneficio diserte eximerentur, præstare de-

rem, quod ratione hujusmodi solutionis, libertati ipsorum, nequaquam generetur, — quin jobagiorum numero censeantur, & exercituales ipsius domini regis sint, sicut hactenus exstiterunt.

a) Has bulla aur. Andreæ II. an. 1222. & Decret. Belæ IV. an. 1267. & Andreæ II. Decr. 1231. complectuntur, quarum alias prolixior mentio fiet.

An. Christi. 955. debuerint. *a*) Atque hi, cum plerumque minoris annui census essent, saepe fundos a potentioribus, in feudi morem colendos accipere solebant, cum onere solutionis, aut praestandi servitii, quemadmodum nempe per pacta utrisque convenerat. *b*) Hoc olim inter *servientes regales*, & alios Nobiles discrimen erat. Sed cum serius post, hujus causa, in-

a) Ladislaus Chunus an. 1274. Marcum presbyterum B. Martini de Scepus, & hujus fratrem Michaelem, inter Nobiles cooptans, addit: *praeterea, si extra regnum Hung. nos exercituare contingeret, ex tunc ad ipsum generalem exercitum nostrum, unum armatum nobiscum mittere teneantur, eximentes etiam eosdem ab omni exactione, seu collecta, exponentes nihilominus, ex gratia speciali, ut nec ad opus castri nostri de Scepes, nec ad danda victualia teneantur.*

b) Litt. Ludovici I. an. 1357. *Quod religiosus vir, Frater Prodimus, prior cruciferorum S. Joannis Hierosolymitani per Hungariam, & Sclavoniam, constitutus, & Frater Donatus — viceprior, — nobis detexerunt, quod plurimi Nobiles, praedia, & possessiones, titulo feodali, ab ipsis conservantes, pacta servitia, & solutiones, quas, & quae tenerentur exhibere ratione earundem, non curarent, eisdemque praediis, & possessionibus uterentur juxta libitum voluntatis.* &c.

inter utrosque simultates, & dissidia, rei publicæ noxia, fuissent orta, sensim usu ipso sublatum fuit, omnesque nunc, qui cœtui Nobilium accensentur, iisdem prærogativis gaudent. Nomen, & genus *Armalistarum*, serius invaluit. Hoc nomine ii veniunt, quibus, dum in societatem Nobilium recipiuntur, Insigne, quod plerumque facti egregii, cujus causa in hunc cœtum recepti fuerint, symbolum est, in ipsis regum litteris depictum, addi solet, quem morem, puto, vix ultra Sigismundi regis ætatem referri posse. *a*) Huc revocari quadamtenus possunt, *Prædialistæ*, *b*) & *Nobiles castrenses*. *c*) Primi generis, Ar-

An. Christi. 955.

a) Hujusmodi enim arma an. 1405. Kalend. Maji contulit familiæ *Théthén*.

b) Litt. Pauli Judicis curiæ regiæ, an. 1251. *Quod inter cetera dominus Benedictus archiep. Strigonien. per modum querimoniæ, eidem domino Belæ regi significare curasset, quod quidam Nobiles, jobagiones Ecclesiæ Strigoniens. exercituantes — a servitio ipsius Ecclesiæ fugientes, liberis Nobilibus se conformassent* &c.

c) Horum vix ulla exstat memoria, nisi forte in Scepusio, inter *Lanceatos*. Hujusmodi olim etiam in Halicia erant, ut, quas subjungo, litteræ testantur. *Nos Szandzylwogius, Palatinus Halissiensis. — Quod considerantes fidelia servitia Nobilis dilecti Sylvanis Podmanszky*,

An. Christi. 955. Archi-Episcopi, Episcopi, Capitula, Abbates, & Præpositi regulares habebant, & sub horum vexillo militabant. Utrisque aliqua quidem cum servientibus regiis sunt communia, hoc tamen ab his differunt, quod per Comitatus, in quibus degunt, taxari possint. a)

§. XXIV.

Hæc, quantum ad servientium regalium, & jobagionum castrensium, militiam, & utriusque discrimen, attinebant. Cuivis præterea castro additus erat *Castellanus.* Hic non modo rerum, quæ castro necessariæ erant, sed terrarum etiam, quarum præcipua fere portio, in quovis Comitatu, castro regio (§. 17.) ad-

szky, quibus sacræ coronæ Hungariæ, nobisque, solicitus est per ipsum, suosque dietenus conari cum duabus hastis servire, — cum consensu, ac propria voluntate inclytissimi Principis Sigismundi regis Hung. — ab una hasta prædicti serviminis, ipsum Sylvanis, suosque legitimos successores, absolvimus, quietamus, & liberamus &c. Dat. & act. Tharnoviæ fer. 6. prox. post Pentecosten, nostri sigilli sub appensione. 1399.

a) Dipl. Mathiæ Corvini, an. 1467. quo lucrum Cameræ in tributum Fisci regalis convertit: *alii autem omnes solvant, sive sint Nobiles castrenses, seu Prædiales Ecclesiarum, qui non habent privilegium Nobilitatis, a regibus.*

adscripta, & regibus propria fuit, administratio, spectabat, *a)* &, ne quid inde avellatur, vel ex alieno, cum alterius injuria accederet, invigilabat. *b)* In his regum œconomia, & pars proventuum sita erat, proinde varias quoque hominum classes, varium item servorum genus, oriri necesse fuit. Vilissimum erat, *mancipiorum*, *c)* quæ, ut plurimum ex hostico adducta erant, & in foro venum prostare olim

An. Christi. 955.

---

a) Veteres donationum chartæ, solebant nominatim terram ex proprietate castri regii exemtam, & in proprietatem donatarii translatam, exprimere. Nemo autem donare potest, quod suum non est.

b) Litt. Sigismundi an. 1417. *quæ possessiones tempore quondam illustris Principis, dominæ Margaretæ, Purgravissæ Nurmbergensis, sororis nostræ carissimæ, aut Castellanorum castri nostri Comaromiensis, ipso domino — archiepiscopo Strigoniensi, de dominio earundem indebite excluso, ad prædictum castrum nostrum Comaromiense, occupatæ, & annexæ exstitissent* &c.

c) Præter mancipia ex hostico adducta, quorum jam S. Stephanus rex, in tabulis fundatæ an. 1015. Abbatiæ, de radice montis ferrei, seu Pécsvaradien. meminit, etiam alias liberi homines in servitutem redigi poterant, ob causas in decretis S. Ladislai, & Colomanni expressas.

An. Christi. 955. olim solebant. *a*) Atque hi erant servi *perfectæ servitutis*, qui nec rerum, nec personæ dominium habuere, quorum aliqua vestigia adhuc seculo XIII. exstabant. Ab his erant servi *glebæ adscripti*, qui cum terra alienari poterant. *b*) Melior erat conditio servorum *castrensium*, qui cuivis castro ab obsequiis fuere. *c*) *Udvornici* ad aulam inprimis regiam pertinebant, ob servitia varii generis, *jobagiones Udvornici*, dicti, *d*) qui ut ministeria vel in ipsa aula, vel extra hanc obibant, ita in varias quoque classes divisi, sua quique nomina sortiti sunt, ut *Tavernici*, qui supellectilis mensalis, *Orozones*, qui atrii regii, *e*) *agazones*, qui rei equa-

a) Litt. Ladislai Chuni, an. 1288. *Item venditor servorum, & ancillarum, dat* (in foro Strigoniensi) 40. *denarios usuales.*

b) Litt. Andreæ II, an. 1214. *Prædium — item contulit, quod tempore regis Emerici emerat totaliter cum habitatoribus, & terra pro* 82. *marcis.*

c) Litt. Belæ IV. an. 1236. & 39. item Ladislai Chuni, an 1274. quas, quod nuda solum nomina contineant, piget exscribere.

d) Litt. Belæ IV. an. 1263. Hujusmodi etiam Episcopi, & Magnates ab obsequiis habere solebant.

e) Horum crebra fit mentio in libro proventuum, & erogationum Ludovici II. an. 1526. eratque il-

equariæ curam habebant, atque ita de ceteris. Qui his præfecti erant *Comitis* titulum gessere, ut Comes *Tavernicorum*, *Orozonum*, qui serius postea *Magistri* Tavernicorum, Janitorum, id enim vox *Oroz* notat, dicti sunt. Hinc *Baronum* regni, a præstandis regi in aula ministeriis verisimiliter initia. *a*) An. Christi 955.

Aliud erat genus *conditionariorum*, qui arbitrio domini variis servitiis cum domi, tum foris adhibebantur. Hi quoque cum fundis do-

illorum officium, palatii regii atrium custodire, ut patet ex epistola, cujus pericopen hic adnecto: *ex antiqua regni consuetudine, incolæ possessionis, sacræ regni Hung. coronæ, Orozfalu vocatæ — juxta eorum privilegia, majestati regiæ servire, & atrium suæ majestatis, præ foribus exterioris palatii custodire debebant, ex quorum numero cum & ego sim &c. Barnabas Oroz de Orozfalu.* Hos quidam male confundunt cum *Oroszonibus*, seu *Ruthenis*, hi enim vilioribus servitiis addicti erant, ut cit. liber erogationum Ludovici II. testatur: *eodem die Ruthenis regiæ majestatis, qui tentoria suæ majestatis, in sepultura Judæorum distenta, dies & noctes custodiunt, ad usum ipsorum dati sunt per duos, fl.* 6.

a) Hoc modo reliqui *Baronatus* regni, videntur orti esse, ut *cubiculariorum*, *pincernarum*, olim Comites *Buchariorum* dicti, an ex Italico *bichiere*, an ex Hungarico *pohár*, nolim disceptare.

donari, alienarique poterant. *a*) Ad condi-
An. Chriſti. tionarios pertinebant quadamtenus etiam
955. *Udvornici* regii, *b*) quos, inſciis regibus, ne-
fas erat, inter Clericos cooptare. *c*) Præter hos erant *Libertini*, qui ex mancipiorum claſſe quidem exemti, non tamen manumiſsi fuerunt. Horum genus duplex fuit: *majoris*, & *minoris* libertatis. Illi fere ad militaria, velut honeſtiora, hi ad domeſtica, & viliora obſe-

a) Litt. Belæ IV. an 1239. *Item donavimus eidem Eccleſiæ — quasdam terrâs — cum ſuis ſervitoribus conditionariis, retiferis, ſcilicet, & falconariis* &c. poſtremi, ne quis erret, ſervi erant, qui dominis ſuis fœnum ſubſecare ſtatis diebus ſolebant, non item, qui aucupio Falconum adhibebantur.

b) Ejusd. litt. an. 1263. *Salvo eo, quod udvornici, & Tavernici, ac ceteri ſervilis conditionis homines, regiæ, & reginali majeſtati ſubjacentes, & ad certa ſervitia deputati, id facere non poſsint.*

c) Decret. Andreæ II. an. 1222. quo privilegia Clero Hung. confirmat. *Iſtud tamen auctoritate regia firmiter præcipimus, quatenus, nullus udvornicorum noſtrorum — ad tonſuram clericalem ab aliquo Prælatorum admittatur.*

sequia adhibiti. *a*) Hos quoque alienare fas erat. *b*) Atque hi omnes generatim *servorum*, sed *imperfectæ servitutis* nomine veniebant, quales, exemplo regum, Episcopi, Abbates, Præpositi regales, Magnates, & qui amplos fundos possedere, ab obsequiis habere solebant. An. Christi, 955.

Diversa fuit *Hospitum* conditio, quo nomine non solum ii, qui aliunde in regnum, figendi domicilii causa venerant, sed Hungari etiam, qui penitus manumissi, ad alios dominos migrabant, indicantur. *c*) Hi potissimum villas, castris regiis adsitas incolebant, alias quoque *urbani*, vel *burgenses*, & *civiles* dicti. *d*) Villas autem hujusmodi, reges, quod privatim

a) Ejusd. litt. an. 1214. *Libertinos contulit minoris libertatis, quorum officium est, stare ad omnem nutum Præpositi, vel Fratrum.*

b) Charta an. 1150. *Libertos vero, quos emit Comes Martinus a Budrugiensibus, qui vocantur, Grab, & Odunat, &c.*

c) Litt. Belæ IV. an. 1240. *Quod accedentes ad nostram præsentiam hospites nostri tam Hungari, quam Teutonici, in suburbio castri de Bors commorantes, nobis humiliter supplicarunt &c.*

d) Litt. Geisæ I. an. 1075. *Item dedi sex domos civium de Borsu. — dehinc per medios agros urbanorum Albensium — ubi finiuntur partes Cseringradensium civium, inter Zounuk &c.*

An. Christi. 955. tim eorum esset peculium, sensim liberas, facta immunitate a) rerum quarundam, declararunt. Inde verisimiliter civitatum, quas *liberas, regiasque* vocamus, incunabula. b) His in territorio regio prope castra, fundi jure proprietatis attributi, quorum titulo varia servitia, & census regibus, vel libera horum dis-

a) Hæc plerumque sita erat in libera electione judicis, & jure patronatus. Eximebantur a jurisdictione ordinariorum judicum regni: aliquando etiam, sed rarius, jus duelli, & gladii, concessum. Sententias tamen de criminibus, quæ mortem merebantur, reges ad se potissimum referri volebant.

b) Jam S. rex Ladislaus in Litt. an. 1082. meminit, *liberæ villæ* sancti regis. Hanc autem *Albam regalem* fuisse indicant, numi S. Stephani regis cum hac epigraphe: *civitas regia*. Hinc posteriores reges, si quam villam ex suis, in seriem civitatum liberarum referebant, exemplo Albæ regalis, plerumque fecerunt. Bela IV. an. 1248. villam — *suorum servitiorum in retributionem — de benignitate regia inclinati, ipsis, & eorum successoribus, perpetuo Albensium civium dedimus libertatem*: hac prærogativa ornavit. Alias etiam exemplo Budensium, Cassoviensium, & Posoniensium civium eadem libertas concessa. Ceterum exstant etiamnum pagi, qui olim in numero civitatum liberarum fuere.

diſpoſitione, vel ex pacto, præſtandus erat, *a*) cui colligendo primitus præcones, qui ſimul mandata Comitum caſtrenſium per provincias circumferebant, præpoſiti erant. *b*) Poſtea autem uſus obtinuit, ut ipſi civium magiſtratus, cenſum regium inirent, proque numero incolarum augerent. *c*)

An. Christi. 955.

Por-

a) Imperatus communiter certus militum numerus, augmentum cenſus pro ratione majoris, minorisve territorii, & incolarum numero, idque, ut Maria regina in litt. an. 1383. teſtatur: *ut ab ipſis, utilitatis, & honoris materia, lucrumque fructiferum, regiæ proveniat majeſtati.* Sæpe etiam munera honoraria, quotannis exhibenda, præſcribi ſolebant. Litt. Caroli regis, an. 1324. *Hoc non prætermittimus, quod — tria munera, — quanto poterunt honeſtiora, annuatim in tribus terminis, nobis præſentare tenebuntur, in aliis autem omnibus iisdem libertatum prærogativis, quibus cives noſtri Budenſes gratulantur, æque gaudeant, & fruantur.* Omitto minutiora, ut, regem, ſi veniat, prandio, vel cœna excipere.

b) Decret. Colomanni l. 1. c. 79.

c) Serius deinde cenſus per *Portas* iniri ſolebat, portam autem Carolus Decret. §. 9. definit, per quam currus fœni, vel frugum invehi poteſt. Sec. XVII. quatuor colonorum, inquilinorum vero duodecim domus, portam conſti-

 tue-

An. Christi. 955. Porro regii proventus, & tributa, olim secundum publicas regni necessitates, & diversam temporum rationem, tam crebro variabant, ut certi aliquid de iis constituere, arduum sit. Quae in vetustis regum, aliorumque chartis reperi, in hanc fere seriem cogi posse videntur.

* Proventuum omnium, praeter *regalia*, quae vocamus, ut sunt auri, argenti &c. salis fodinae, a) & thesauri, fortuito sub terra re-

---

tuebant, 3. fl. aestimatam, tametsi in hoc quoque crebro variatum sit. Nunc quiddam ideale est, & consistit in partitione *quanti*, ut nostri loquuntur, *portionalis*, quod in regni Comitiis decerni solet, & mutationi obnoxium est.

a) De fodinis minerarum vid. Ludovici Decret. art. 13. Sigismundi Decret. 3. art. 13. Wladislai II. Decr. I. art. 30. Salis vero pretium in Comitiis solet constitui. Olim cum rarior esset moneta, etiam regni Barones partim hac, partim in sale stipendia sua accipiebant. Exemplum ex libro erogationum Wladislai II. excitasse, satis fuerit. *Anno* 1494. *d.* 29. *Martii* — *D. Stephanus Zapolya, C. Scepusiensis, creatus est Budae in Palatinum, cui pro annuo salario — ordinati sunt fl.* 4000. *eidem in salibus fl.* 2000.

reperti, a) qui olim pleno jure ad fiscum regium pertinebant, ex terris, quæ ad castra regia in quovis Comitatu spectabant, duæ partes regum, tertia Comitum castrensium, non tamen ex omnibus reditibus, erant, b) ex reliquis vero juris itidem regii fundis, proventus, rex suos fecit, parte aliqua illis, qui eos colebant, vel ex conventione, vel arbitrio suo relicta. Proventus autem hi partim ære, partim rebus, quas natura, accedente hominum industria, ad alimoniam, reliquasque vitæ necessitates profert, quotannis pendendo, consistebant, c) de quibus præstandis cum ne-

An. Christi. 955.

a) Ritus explorandæ veritatis per ferrum candens, §. 348. *traxit in causam — quod fures essent regis, eo, quod thesaurum inventum, cum deberent, regi non indicassent*: alioquin de furto postulari non poterant, nisi similes thesauri olim ad jus regium pertinuissent. Nunc trifariam dividi solent, pars fisco, altera inventori, tertia fundi domino obvenit.

b) Decret. Colomanni l. 1. c. 78. & Andreæ II. an. 1231. *Comites jure sui Comitatus sint contenti, cetera ad regem pertinentia, scilicet, cybriones, tributa, boves, & duæ partes castrorum, ad regis voluntatem, cui volet, distribuantur.*

c) Litt. Belæ IV. an. 1249. *Quod nos in nostra aula — decem, & septem homines, quorum sex*

An. Christi. 955. necessario etiam variorum hominum operæ destinatæ fuerint, verisimiliter ordinandis sensim *urbariis* occasionem præbuere, quemadmodum ex fundis castro regio adscriptis bona, quæ *coronalia* vocamus, probabiliter originem sumserint, *a*) quorum alia regum, alia vero reginarum *b*) erant, &, ne unquam alienari possent, regni Ordinibus, tamquam fideicommissum, credita fuere.

* * Tributorum genus, præter id, quod jam ab exordio regni, ex omni foro juris regii

---

sex singuli, 50. hydrias vini annuatim nobis persolvere tenentur, habere dignoscimur. Et sic de aliis rebus ad aulæ necessitates pertinentibus. Item charta Martini Comitis an. 1150. *A festo S. Martini morantur apud dominum suum cum securi, usque ad Sabbath. Pascæ, domino suo domos parant, unus eorum semper est hebdomadarius, in hebdomada 3. diebus fœnum falcant, tempore messis, 3. diebus metunt. &c.* Hæc ipsa *urbariorum* deinceps norma fuit.

a) Id videtur ex rescripto Honorii III. ad Belam IV. regem juniorem colligi, ut §. XVIII. supra memoravi.

b) Vid. Pray comment. hist. de vet. reginas Hung. coronandi more. Pestini 1792.

gii erat, a) multiplex, & inſtabile fuit. Tres præcipuæ claſſes videntur poſſe conſtitui. An. Chriſti. 955.

1. *Collecta victualium*, quæ olim *Zuluſma* dicebatur. b) Hæc conſuetudo vetuſtiſsima fuit, regnoque ipſi coæva. c) Alia item fuit

a) Decret. Colomanni l. 1. c. 34. *Si quis de propriis, & domeſticis rebus quid in foro vendiderit, lege S. Stephani, tributum reddat.* Similia Belæ III. dipl. an. 1193. & Ludovici I. an. 1365.

b) Litt. Ladislai Chuni, an. 1276. *Quod populi ipſius — collectam victualium, quæ vulgariter ZULUSMA dicitur, ſolvere debentes, — expediti ſint, & exemti.* Vox *Zuluſma* videtur Illyricæ originis eſſe.

c) Dipl. S. Stephani regis an. 1024. quo Abbatiam de Zala fundat: *& etiam a gravaminibus per collectores tam victualium, quam denariorum, ſeu quarumlibet aliarum exactionum, tam in præſenti, quam futuro, Cameræ, & fiſco regali exigendarum, quæ eis poſſent imponi, penitus ſint exemti.* Idem S. Ladislaus rex iisdem fere verbis confirmat: *ita & a vexatione, moleſtiis, & gravaminibus, quæ per collectores tam victualium, quam denariorum, ſeu quarumlibet aliarum monetarum, poſſent eis imponi, & mandari, prædicti Abbas, & Conventus, eorundemque populus, expediti habeantur, & exemti.* Ut adeo, vel ob hanc con-

An. Christi. 955. florenum auri æquabant, a) quod vetera novis conferendo, incertam plerumque computationem reddit. Invenio etiam apud nos argentum *ſtaterale* in uſu fuiſſe. b) Fueritne autem *Stater*, moneta Græcis uſitata, an infectum argentum, quod ſtatera librari ſolet, non habeo, quod pro comperto affirmem. Porro collecta *denariorum* ter quotannis, ſtato tempore fieri ſolebat, c) quæ, ut *victualium* etiam, modo *univerſalis*, modo *particularis*, d) erat; ab illa nec *ſervientes regales* excipieban-

a) Ex diverſitate denariorum neceſſe quoque erat, valorem fl. auri mutari. An 1342. valebat 90. & an. 1405. 100. rurſus an. 1458. 200. An. dein 1462. & 68. denarios 100. totidem ab an. 1490. ad an. 1514.

b) Hieronymus Abbas de Tihan, an. 1270. conditionarios homines ſui monaſterii, a ſervitiis alias præſtari ſolitis, ea conditione eximit, *ut per ſingulos annos, ſeptem pondera ſtateralis argenti nobis, & noſtris ſucceſſoribus per ſingulas manſiones ſolvere teneantur.*

c) Litt. Andreæ II. an. 1212. *Ut nullus in regno Comes — a populo dictæ domus* (Sancti Sepulcri) *illos denarios, qui colliguntur in tribus feſtis, videlicet, nativitate Domini & Paſca, & in feſto ſancti regis, exigat.*

d) Litt. Ladislai Chuni, an. 1283. *Declaramus, ut univerſi populi, cujuscunque conditionis, ho-*

bantur, *a)* Andreas II. tamen, *villas* Ecclesiarum, & servientium regalium *prædia*, ab utraque collecta, *b)* Bela IV. autem, populos servientium ab his oneribus liberavit, *c)* tametsi postea utrumque rursus inductum fuerit,

[redacted]
An. Christi. 955.

a)

---

hospites liberi, vel conditionales, ipsius Ecclesiæ Strigoniensis, ad archiepiscopatum videlicet, & Capitulum pertinentes, ab omni omnino collecta regali tam denariorum, quam victualium, quacunque occasione, seu quacunque causa in regno nostro, GENERALITER, & PARTICULARITER indicenda, liberi — penitus sint, & exemti.

a) Litt. Belæ IV. an. 1243. *Statuimus, quod nullus ipsorum aliquam collectam, vel aliquam exactionem solvere teneatur, nisi ipsa collecta ad servientes regis, & alios quoslibet Nobiles fuerit generalis.*

b) Bulla aur. Andreæ II. an. 1222. artic. 3. *Item nullam collectam, nec libras denariorum* (sed ex hactenus dictis puto rescribendum esse, nec liberos denarios) *colligi faciemus super prædia servientium, — super populos etiam Ecclesiarum — nullam penitus collectam faciemus.*

c) Decret. Belæ IV. an. 1267. *Statuimus — quod collectæ, vel exactiones ratione Cameræ, vel alia ratione, de populis Nobilium, nullo unquam tempore recipi debeant, nec victualium &c.*

An. Christi. 955.

a) ut adeo utraque collecta, pro varietate, & necessitate temporum, in arbitrio regum videatur fuisse.

2) *Lucrum Camerae.* Hujus crebra in codice juris patrii fit mentio, & non postremum inter proventus regios locum habuit, b) *monetagium* exteris dictum. Erat id contributio quaedam ob monetae cusionem, per Comites Camerarum, quotannis prius, quam in desuetudinem abiret, exigi solita. c) Prima illius, quod sciam, mentio fit, in Decreto Andreae II. anno 1231. quo immunitates Nobilium denuo confirmat. d) Ad solutionem illius adstringebantur omnes regnicolae, nisi speciali privilegio exemti fuissent. Ita Bela IV. populos Nobilium liberos ab hoc onere qui-

---

a) Id patet ex litt. Ladislai Chuni, an. 1283. paulum ante excitatis.

b) Du Cange Glossar. latinit. medii aevi, ad hunc artic. Qui *Monetagio* praeerant, Comites dicebantur. Hoc modo an. 1437. Leonardus, Joannes, Bardo, & Jacobus Onoffry, Nobiles de Baymocz, Cusionis monetarum per regnum Hung, Comites fuere.

c) Decret. Caroli Roberti, an. 1342. §. 18.

d) *Item nullam collectam, nullam exactionem, nec lucrum Camerae quocunque nomine* (in vestigiis Comitior. male substituitur, *numero*) *possit censeri, occasione aliqua super homines cujus-*

An. Christi 955.

quidem declaravit, a) verum Carolus Robertus ad omnes rursus extenderat, voluitque in quovis Comitatu a singulis Portis, b) seu Curiis, & sessionibus integris, XVIII. *Denarios*, seu tres *Grossos*, totidem denariis æstimatos exigi. c) Eundem morem Ludovicus I. retinuit. d) Dein vero, ubi minoris valoris moneta e) cudi cœpit, XX. denariis lucrum Ca-

juscunque nationis, vel conditionis colligi faciemus, exceptis illis, qui fisco regio in debito censu tenentur.

a) Decret. an. 1267. *Statuimus itaque* &c. ut prius memoratum est.

b) Decret. an. 1342. §. 18.

c) Ibid. & seq. §.

d) Decret. an. 1351. art. 4.

e) Jam sub Andrea II. ut ex ejus litt. an. 1233. patet, mos deteriorem monetam, si vetus desiit, cudendi invaluit. Eadem ratio, postquam Tartari Hungaria excesserant, sub Bela IV. qui primus etiam ex cupro monetam feriundam curaverat, obtinuit, ut ejus litt. an. 1255. testantur. *Item tempore novæ monetæ, dum celebris est ipsa moneta, de mensura quatuor garlarum, unum denarium recipiant*, (tributi collectores) *cum autem denarii incipiunt decrescere, pro tribus garlis unum denarium. Excipimus autem fabros nostros de Strigonio illos, qui tempore novæ monetæ domi laborant,*

ſ

An. Christi 955.

Cameræ redimi oportuit, qua ratione lucrum Cameræ a quinque *Portis*, erat florenus auri, sub Carolo, & Ludovico, nonaginta, postea autem, ubi vilior moneta erat, centum denariis æstimatus. *a)* Nemo a Caroli tempore ab hoc lucro pendendo immunis erat, nisi pauperes, quos solvendo non esse, publico constabat, *conditionarii* item regis, & reginæ, tum Ecclesiarum actuali servitio occupati; Civitates etiam regiæ, aliique, qui peculiari privilegio gaudebant, ea tamen conditione, ut monetas a Trapezitis regiis cambio expositas, præscripta argenti quantitate, vel, si rudi argento carebant, lucrum Cameræ, ex hujusmodi cambio quæsitum, numerata pecunia redimere cogerentur, *b)* idque singulis annis, dum novæ monetæ cusio instabat, in more fuisse positum, documenta, quæ supersunt, extra dubitationem ponunt. *c)*

Non

si cum uxore, & familia sua in castro (montis Pestiensis, nunc Budensis arcis) *superius morabuntur: cum autem ab opere prædictæ monetæ fuerint expediti, statuimus, quod de mamonis suis tributum solvant, sicut alii.*

a) Decret. an. 1545. art. 40. item Decret. an. 1566. art. 16. & an. 1569. art. 16.

b) Decret. Caroli alias jam cit. §. 19. & 29.

c) Litt. Stephani V. an. 1271. VIII. Kal. Dec. Indictione XIV. anno regni 2. quibus privilegia ho-

Non modica hinc ad proventus regios accessio facta est, verum, ubi res monetaria hominibus lucri cupidis, quemadmodum ab Andrea II. Judæis, credita fuit, *a*) nec raro lucrum Cameræ quæstuosius, quam boni publici ratio sineret, locaretur, multique se ab hoc onere immunes prætexerent, caveri non po-

An. Christi. 955.

hospitibus Saxonibus de Scepus, confirmat hæc lego: *Deinde singulis annis, in Ramispalmarum, monetam nostræ Cameræ regiæ, cum omni reverentia suscipere tenebuntur, & solemniter currere secundum jus, vigorem, & lucrum Cameræ regiæ cambiare universaliter tenebuntur, ita, quod Comes Cameræ, vel sui officiales, quos ad hoc deputaverit, altero dimidio mense, sive sex hebdomadas, planam potestatem habeat, cambiandi jus & lucrum Cameræ prosequendi, de qualibet marca in cujuslibet fori vel emtionis titulo recipiendi unum pondus. Volumus etiam, monetam quintæ esse combustionis: finito autem tempore sex hebdomadarum expresso superius, Comites Cameræ surgent de cambio, cessante omni vigore eorundem, ipsa moneta nihilominus currente per totum annum, usque ad revolutionem novæ monetæ* &c.

a) Litt. Andreæ II. an. 1233. de abusibus tollendis. *Judæos, Saracenos, sive Ismaelitas de cetero non præficiemus nostræ Cameræ monetariæ, salibus, collectis &c.*

An. Christi. 955. potuit, quin abusus, & fraudes, non minore ærarii regii, quam incolarum, damno irreperent. Malo huic Mathias Corvinus mederi volens, anno 1467. consentientibus regni Ordinibus, abolito lucro Cameræ, *tributum fisci regalis*, i) quo a quinque sessionibus integris, nullius fundo, cujuscunque conditionis esset, ne

---

a) Litt. Mathiæ ad Comitatum Posonien. an. 1467. fer. 4. prox. post festum Resurrectionis, ex Cod. MS. biblioth. Capituli Posonien. N. 80. *Animadvertentes id, quod hactenus lucrum Cameræ vocabatur, in maximam diminutionem, & abusum decidisse, ob innumerabiles hominum immunitates tam veteres, quam novas, illud concorditer — statuerunt,* (regni Ordines) *ut memoratum lucrum Cameræ, sicut jam dudum ultro majori ex parte depravatum, ita deinceps — totaliter, & in perpetuum aboleatur, annulletur, & cassetur. — Verum loco ejus alia quædam exactio est unanimiter constituta, tributum fisci regalis in æternum appellanda, ita scilicet, ut — super singulis* 5. *Portis non plus nisi unus fl. tantum semel in anno ubique exigatur de omnium regnicolarum nostrorum, tam Ecclesiasticorum, quam secularium, imo etiam de nostris propriis Comitatibus, & bonis quibuslibet, nec aliquis superinde ullo unquam tempore exemtionis privilegio frui possit.*

ne regio quidem excepto, florenus auri quotannis Fiſco regio penderetur. Quod inſtitutum etſi quidem Ordines perpetuo duraturum conſtituerint, ab obitu tamen regis, paulatim videtur deſiiſſe, aut certe, cum nemo populārium, ſub Wladislao II. hujusque filio Ludovico, ad diſciplinas *montaniſticas* facile animum adjecerit, rurſus lucro Cameræ ad priſtinum morem reducto, cura fodinarum, & res monetaria, exteris conductoribus, majore iſtorum, quam regni, lucro, locata fuit. Hinc *Fuggerorum*, & *Thurzonum*, quondam divitiæ. *a*) Regno deinde ad ſtirpem, & Domum Auſtriacam traducto, iterum lucri Cameræ ſub Ferdinando I. & Maximiliano II. An. Christi. 955.

a)

---

a) Hi metalla Hungarica ut plurimum apud exteros liquare, & magna inde lucri compendia ex his conficere ſolebant. *Thurnſchwam* in ſuis Mſſ. memoriis hæc de utroque memorat. Und die Herrn *Thurzo* und *Fugger* haben in Pohlen bey Crocau eine Hütten gehabt, — auch haben ſie bey Ehrfurt, und Thüringen eine Seigerhütten gehabt zu Hochkirchen, mehr eine Seigerhütten in Etſchland, — allda haben die Herrn *Fugger* etlich ungariſche ſchwartzgeſliſſen Kupfer verſeigert, und verſchmidt, und in Welſchland, und Venedig verſchliſſen.

An. Christi. 955. *a*) memoria recurrit, quod quamdiu durarit, incertum est, nec enim deinceps in posteriorum regum decretis quidquam de eo consignatum reperio. Fortasse, cum Ordines anno 1563. flagitarint, ne lucrum Cameræ iis annis, quibus ceteroqui subsidia decerni contingeret, exigatur, *b*) nullus autem facile annus postea abierit, quo subsidia in bella Turcica, vel intestinos motus non decernerentur, verisimillima conjectura sit, hoc tributi genus sensim penitus obsolevisse.

3. Præter lucrum Cameræ, etiam *vicesima decimarum* ex vetusta consuetudine, ad regios proventus pertinebat. *c*) Idem de *decimis* ab Andrea II. aliquamdiu usurpatum, sed rursus antiquatum reperio. *d*) Uberrimus quo-

a) Decret. Ferdinandi I. an. 1545. art. 40. & Maximiliani II. an. 1567. art. 15. & an. 1569. art. 16.

b) Decret. an. 1563. art. 9.

c) Dipl. Stephani V. an. 1270. XII. Cal. Decembris. *Totam vicesimam decimarum in toto Comitatu Supruniensi nobis provenientem in frugibus, & in aliis, contulimus Abbati, & Fratribus ordinis Cisterciensis de monte sanctæ Mariæ.* Idem confirmat Ladislaus Chunus an. 1272.

d) Dipl. Andreæ II. an. 1231. *Præter vicesimam, quam, ab antiquo reges habent, decimas non exigemus.*

quoque ex decima *porcorum a)* erat proventus, isque juris regii. Aliud tributi genus ex *cybrionibus, b)* & *bobus* sumebatur: *c)* illud ad vineas pertinebat, ex quibus certus vini amphorarum, *urnas* vocamus, *d)* numerus quot- An. Christi. 955.

H 2

a) Ejusd. Dipl. an. 1212. *Nullus in regno nostro Comes — a populo dictæ Domus* (sancti Sepulcri) *decimas porcorum exigat.* Decimam enim illorum regi alias obvenientem, cœnobitis donaverat. Hinc ingentem eorum numerum fuisse oportuit, ut adeo iis pascendis necesse fuerit, greges in silvas, & prata Nobilium crebro immittere, quod dein occasionem dedit legi condendæ, quæ in bulla aurea num. 22. est. *Item porci nostri in silvis, vel pratis servientium non pascantur, contra voluntatem eorum.* Vetus admodum mos hic fuerit, ut videtur ex Geisæ I. litt. an. 1075. confici, ubi hæc: *legem — constitui, ut quocunque porcus regis ad pastum ierit, illuc eant & porci Abbatis.*

b) Bulla aurea Andreæ II. an. 1222. art. 29. *Cybriones, tributa, boves, & duas partes castrorum rex obtineat.*

c) Ejusd. Decret. an. 1231. *cetera ad regem pertinentia, scilicet, cybriones, tributa, boves, — ad regis voluntatem, cui vult, distribuantur.*

d) Dipl. Andreæ III. an. 1291. *Ordinavimus, & concessimus, de vineis ipsorum — ut nullum de-*

An. Christi. 953.

quotannis regi pendebatur: quae autem in contributione boum ratio obtinuerit, non memini, me post Andream II. uspiam vestigium reperisse; nec ausim, documentis destitutus, id genus tributi, ad classem *decimarum* referre. Certiora sunt, quae in Transsilvania, apud Siculos, seu *Székhelyios*, olim in praestatione boum, usitata fuisse, invenio. Hi, cum ob professionem militiae, a certis exactionibus, regi praestandis, liberi fuerint, quoties rex coronari solebat, aut nuptias celebrare, vel primogenitus erat editus, toties etiam bovem a quovis colono solebant exigere, regique honorarium donum offerre, quem signo ustionis impresso, a reliquis secernere moris fuit. *a*) Ex his partem sibi etiam *Vajvodae* Transsil-

debitum, *scilicet Akonis* (nobis urnam notat) *ullo unquam tempore dare*, *&* *solvere teneantur.*

a) Litt. Ferdinand. I. an. 1554. *Quod singuli eorum* (Siculorum) *tempore coronationis*, *ac nuptiarum*, *nec non primogeniti filii regum Hung. unum bovem regi destinassent*, idque ratum habens, addit: *quod ea omnia*, *quae divis olim regibus Hung.* — *in boum per singula capita* (familiarum intellige) *connumeratione*, *vel*, *ut vulgo dicitur*, *ustione* — *praestiterunt*, *semper praestare nobis debeant.*

ſilvaniæ, & horum vicarii vendicare conſueverant. *a*) An. Christi. 955.

Alia item tributi claſsis, erant *Marturinæ*, ſive, ut in vetuſtis chartis crebro vocantur, *Mardurinæ*. Id tributum in principio ad Tranſſilvaniam, & Hungariam pertinebat, *b*) a Co-

a) Litt. Maximiliani, an. 1555. d. 3. Jul. ad Cameram Poſonien. *Scribunt — Vajvodæ Tranſſilvani, antiquitus receptam, & approbatam conſuetudinem ſemper fuiſſe, ut, quotiescunque pro divis quondam Hung. regibus; boves inter Siculos urerentur, ex uſtione illa fl. 200. pro Vajvodis, 100. vero pro Vicevajvodis, cederent. Cujus quidem conſuetudinis hic apud nos prorſus ignotæ, Majeſtas ſua certiorem cupit habere cognitionem, & propterea vos hortamur, — ut, quod vobis de iſta uſtorum boum pro Vajvodis participatione conſtat, — nos primo quoque tempore certiores facere debeatis.* — —

b) Dipl. Belæ II. an. 1138. *In ultraſilvanis partibus ſunt homines, qui debent per annum dare ducentos martures, centum corigias, & unam pellem urſinam, & unum cornu bubalinum.* Et mox ibid. *In Gron — debent dare ſeptuaginta quinque martures:* Rurſus: *in villa Mathela — debent dare annuatim 30. martures.* Cum martures jungantur pellibus, & corigiis dubium non eſt, quin hoc tributi genus in pellibus quoque *Martis* animalis fuerit præſtitum.

An. Christi. 955. Colomanno autem in Sclavoniam quoque traductum fuit. a) Præstari id solebat in pellibus *Martis* animalis, unde & nomen ei inditum. Serius post, cum id genus animalium sensim deficeret, nec ex his solita pellium præstatio, nisi magno temporis dispendio exigi posset, in tributum pecuniæ conversum fuit. b)

Atque hæc, ut quid inter vetera, & hodierna hujus generis instituta intersit, ne ignorarentur, memoranda esse putabam. Nunc regii proventus, ex auri, argenti, æris cyprii, ferri, aliorumque metallorum fodinis, auri item fluviatilis lotura, sale, & bonis, quæ *coronalia* vocamus, aliisque, quæ ex defectu seminis, & nota infidelitatis, læsæque majestatis, ad fiscum devolvi solent, Teloniis, Tricesima, cursus publici emolumento, urbiumque regiarum annua pensitatione, sumun-

a) Bull. aur. Andreæ II. art. 27. *Marturinæ juxta consuetudinem a Colomanno rege constitutam solvantur.* Videtur Sclavonia olim his animalibus abundasse, cum in ipsis regni Insignibus, duos Martes, cum stella cognomine, etiamnum gestet.

b) Decret. Andreæ II. an. 1231. *Pro singulis marturinis, 4. pondera persolvantur, quantumcunque inde provenerit, tertia pars domino fundi, & duæ partes domino terræ persolvantur.* Hunc regem interpretor, illum fundi proprietarium.

muntur. Qui autem, quantive quotannis esse soleant, licet exteri scriptores quiddam in hoc genere conati fuerint, vix tamen certo constitui potest, & forte ex politica etiam ratione intersit, hæc ab exteris ignorari. Ceterum, cum proventus hujusmodi, ab ubertate fodinarum, œconomiæ, & mercimonii augmento, civium affluentium, aliorumque, qui jus domicilii obtinent, numero, & industria, ut plurimum dependeant, certa eorum constansque ratio, & status, vix iniri potest. Magis defixum est, tributum annuum, quod vulgo *portionale quantum* dicitur, idque regis, regnique Ordinum consensu, in Comitiis, decerni solet, proinde mutationi quoque obnoxium est. a) An. Christi. 955.

De *portionali quanto* scriptum olim Leopoldo I. post liberatam a jugo Turcico Hungariam, porrectum fuit hoc titulo: *Modus Hungariam conscribendi, in ordine ad proportionem contributionum.* Adhæsit tamen, incertum qua de causa, in ipso conatu. Rursus alterum: *De noviter constituenda rei publicæ Hungariæ administratione, quantum legibus patriis minus disconveniret.* Scripti hujus materiam auctor bifariam dispescuit. Prior pars *contributionem* in varias classes distributam

a) Id nunc in Hung. eique adnexis provinciis, demta Transsilvania, fere medium quintum millionem efficit.

An. Christi. 955. complectitur; altera *politicæ gubernationis* administrationem cuivis Dicasterio designat. Et hoc neglectum, vel rejectum fuit. Ex posteriori tamen parte, quædam sub Carolo VI. ad formandum Consilium, quod *Locumtenentiale* vocamus, desumta, iisque, quæ jam Ferdinandus I. olim statuerat, simillima sunt. Juvat, ex hujus statutis, notitiæ causa, quædam excerpere. *a*)

„ Inprimis dominus Locumtenens, autoritate nostra, præsit in Consilio nostro, alii Consiliarii nostri, *b*) ordinarie quolibet die, si necessitas, & rerum nostrarum magnitudo postulaverit, bis conveniant apud Locumtenentem, mane & post prandium, horis inferius præscriptis.

„ Quo-

a) Dat. Vien. an. 1549. d. 1. Januar.

b) Constituti erant, Strigonien. archiep. simul Locumtenens; cui ex statu Ecclesiastico adjuncti fuerunt, Jaurinen. Veszprimien. Nitrien. & Vacien. episcopi, tum Paulus Bornemisza, Præpositus Buden. Ex statu civili, Franciscus Révai Locumtenens Palatinalis, Emericus Halassa, Michael Mérei, Gregorius Sybrik, & Paulus Istvanfi. Hi stabilem sedem Posonii habebant; reliqui officiis aliis distenti, ut Comes Nicolaus a Salmis, Thomas Nádasdi, Franc. de Batthyan, Andreas de Báthori, seu vocati, seu non vocati Posonium venissent, quisque pro dignitate sua locum in Consilio occupavit.

„ Quocunque autem die quispiam prædictorum Consiliariorum, horis inferius designatis, non comparuerit, ejus diei salario privetur, si mane non comparuerit, dimidio, si post prandium, item dimidio, si per totum diem, totius diei salario. An. Christi. 955.

„ Quod si quis illorum quæpiam negotia extra Posonium domi curanda habuerit, dominus Locumtenens poterit illi concedere unum, aut alterum mensem, per totum annum, ad quem perinde solvendum ei erit, ac si præsens esset. Si quis vero sine licentia Locumtenentis discederet, vel etiam ultra prædictos duos menses ei concessos abesset, privetur salario, sive provisione sua tanto tempore, quanto abfuerit.

„ Volumus autem, ut Præfectus Cameræ *a*) pro ea fide, quam nobis debet, cum suis Consiliariis, præsentiam, & absentiam quotidie notare debeat, ipso vero Cameræ Præfecto, aliquo casu, absente, secretarius regiminis nostri, hoc ipsum fideliter curare debebit.

„ Mandamus etiam, ut in Consilio nostro servetur bonus ordo, Consiliarii exhibeant debitam reverentiam, & observantiam domino Locumtenenti nostro, quisque eorum per ordinem consideat in suo loco, pro „ sta-

---

a) Id indicio est, Cameram Consilio fuisse conjunctam.

An. Christi. 955.

„ statu, & conditione sua; nec eorum quis-
„ piam ibi deambulet vel susurret, vel cla-
„ mores concitet, aut fabulas inanes narret,
„ sed omnes tacite, & reverenter de rebus,
„ & articulis per dominum Locumtenentem
„ propositis, meditentur, & tractent.

„ Nullus eorum irrequisitus suam opinio-
„ nem proferat, sed dominus Locumtenens
„ in rebus, de quibus quaestio fieri debet,
„ eorum sententiam per ordinem roget, &
„ quisque, ut fuerit rogatus, aut requisitus,
„ ex fide, & jurejurando nobis debito respon-
„ deat. Id autem servetur usque ad ultimam
„ vocem.

„ Quod si aliquis ipsorum Consiliariorum,
„ prolatis prius, ut praemissum est, uniuscu-
„ jusque opinionibus, aliquid replicare, vel
„ novi consilii, aut opinionis, in quaestione
„ proposita, in medium proferre vellet, quod
„ prius non dixerit, patienter audiatur, &
„ postea dominus Locumtenens noster, secun-
„ dum sententiam, & opiniones plurium, &
„ majorum partium, concludat negotium,
„ quod in quaestione vertitur.

„ Haec autem consultatio diebus feriali-
„ bus quotidie fiat, tempore aestivo, ab ho-
„ ra 6. usque 9. &, si iterum magnitudo po-
„ stulaverit, a prandio, ab hora 3. usque 6.
„ hiemali vero tempore, ante prandium con-
„ veniatur hora 7. usque 10. post prandium
„ ab hora 3. usque 6.

„ Si

An: Christi. 955.

„ Si aliquid ardui negotii vel ex com-
„ missione nostra, vel aliunde contigerit, pro
„ quo extraordinarie, & extra horas præ-
„ scriptas conveniendum esset, ad requisitio-
„ nem, & vocationem domini Locumtenen-
„ tis, prædicti Consiliarii mox obedienter con-
„ venire debeant.

„ Quod si aliquid in negotiis nostris, vel
„ regni emerserit, pro quo curando dominus
„ Locumtenens aliquos, vel aliquem ex præ-
„ dictis Consiliariis, in legationem mittere de-
„ bebit, parere omnino ipsi, & negotia nostra,
„ vel regni, fideliter, & diligenter exequi te-
„ neatur.

„ Ut autem omnia honeste curentur, de-
„ beat etiam dominus Locumtenens cuique
„ Consiliariorum nostrorum, suum debitum
„ locum, & honorem tribuere, nec eorum
„ aliquem injuria afficere nulla ex causa, aut
„ aliquid aliud facere, quod non conveniat
„ dignitati, & autoritati nostræ, & ipsius quo-
„ que propriæ existimationi, sub pœna in-
„ dignationis nostræ.

„ Si vero ob contingentem ægritudinem
„ dominus Locumtenenens aliquando consiliis
„ interesse nequaquam posset, constituat ex
„ primis Consiliariis nostris aliquem, qui in
„ sententiis rogandis & consilio agendo suas
„ partes obeat, ne tractatus, & consultatio-
„ nes necessariæ, ob ejus ægritudinem negli-
„ gantur, nihilominus quoque sententia ipsi-

„ us

An. Christi. 955.

„ us D. Locumtenentis in arduis negotiis
„ ante conclusionem requiratur.

Hæc fere præcipua sunt, quæ occasione scripti Leopoldo I. porrecti, ab oblivione vindicanda existimabam; reliqua, quæ magis genio illius, quam nostri temporis accommodata erant, prudens, volensque prætereo. *a*)

PARS

---

a) Cujusmodi erant, ne quis Consiliarius sit a religione Catholica alienus, tum ipsa etiam stipendiorum annuorum ratio. Locumtenens enim 2500. Præfectus Cameræ 800. Consiliarii, 400. Secretarius primus 200. alter 160. & Director causarum 384. fl. habuere.

PARS III.

Religionis Christianæ, & litterarum tenuia initia, quæ illius, & harum fuerit occasio, & progressio: Ducum dignitas in regiam conversa: & hinc externa forma rei publicæ mutata, sensimque ad Europæam accommodata.

§. XXV.

Geisa, quem Toxo ad annum 972. successisse (§. 13.) dictum fuit, ut primum summam rerum adeptus est, diversam a suis decessoribus, in administranda re publica, rationem sibi ineundam proposuit. Cum enim illos in procursionibus ad alienas terras, & spoliis domum referendis, vim omnem posuisse, eadem vero ratione ob acceptas sæpe clades, militiam, populumque sensim quoque diminui observasset, ut vix ditionibus, quas in majorem Austriæ partem hactenus protulerant, tuendis par deinceps esse videretur, suos confestim in principio, ab hoc genere hostilitatis avocandos, & ad amicitiam cum vicinis populis colendam suscepit, *a*) quod non

An. Christi. 972.

a) Notulæ Aloldi ad an. 972. *Hunc* (Geisam) *gratia Dei prævenit, ut prudens consideraret mala maxima, quæ sua gens tot aliis regionibus intulit, & crudeles strages, quas ipsa vi-*

cis-

An. Christi. 972. non modo uberiorem ex hac, quam armis, fructum in rem publicam redundaturum, sed Nationem quoque ipsam, a macula, quam ei tamquam barbaræ, *a*) exteri asperserant, liberari posse, sibi persuaderet. Hoc animo cum esset comparatus, edictum vulgavit, quo exteris liberum, tutumque in Hungariam aditum deinceps patere voluit. *b*) Qua occasione

cissim passa est, & ideo in pace majorem spem habuit, — & —suasit genti suæ, ut arma deponeret. &c. Similia Carthuitius in vita S. Stephani regis, c. 1. *Cum omnibus circumquaque positarum provinciarum vicinis, de pace cœpit attente tractare.*

a) Hoc nomine Hungaros, ut ceteras quoque Nationes peregrinas, compellare, exteris scriptoribus illorum temporum pene familiare erat, nemo tamen, ut Cel. Schlözer, illos cit. op. p. 170. feris silvestribus, comparare ausus est. Wie scheues Wild flüchteten sie abermals vor diesen allgewaltigen Petschenigen her, und in das von ihnen verwüstete Pannonien zurück. In fugam quidem acti sunt, sed fuga poterat, certe debebat humaniore vocabulo exprimi, hac præsertim, quam vivimus, ætate.

b) Carthuituis l. cit. *Statuit insuper præceptum, cunctis Christianis, Ducatum suum intrare volentibus, hospitalitatis, & securitatis gratiam exhiberi.* Cum biographus hic opus suum

ne Otto I. Imperator usus, Brunonem, episcopum Verdensem, Legatum ad Geisam misit, ut hunc cum gente sua, sibi, & Germaniæ, cui hactenus infestissima erat, amicum red- An. Christi. 972.

---

um Colomanno regi dicaverit, disceptatum hactenus fuit, ad cujus Colomanni, regisne Hung. an Galiciæ, Belæ IV. fratris, ætatem pertinuerit. Sed dubium jam sublatum videtur, ope Chronici, quod *Martinus Gallus* de rebus Polonicis conscripsit, & Gedani 1749. editum fuit. Inchoat is opus suum ab an. 840. & desinit in an. 1109. idque an 1118. dicavit Martino, Gnesnensi archiepiscopo. Vixit igitur autor tempore *Boleslai III.* qui Ducatum an. 1103. inivit, quem sibi etiam in scribendo hortatorem fuisse, verbis illis pag. 94. indicat: *insuper etiam copiosa bellorum materia, — ipsiusque Ducis Boleslai probitas, & magnanimitas, audendi fiduciam ministraverat.* Idem hic auctor, l. 1. p. 76. se ad vitam S. Stephani regis diserte refert: *hoc autem* ait, — *certissimum est, quod dicimus, quia — in vita beati Stephani regis Ungariæ scriptum invenimus.* Agit autem hoc loco de legatione a Miecislao Duce, pro impetranda corona, Romam missa, quam Pontifex deinde Stephano Hungariæ Duci misit. Cum igitur desinat in an. 1109. debuit vita S. Stephani regis jam ante hunc, vel certe ante an. 1118. exstitisse, & quia hac-

redderet. *d)* Nec is humanitate ſe vinci paſſus, ipſe etiam Legatos, cum muneribus, quæ velut teſtes ineundæ amicitiæ eſſent, ad Ottonem miſit. Adfuere *Quedlinburgi*, cum Im-

An. Christi. 973.

hactenus alia, quam Carthuitii, a nemine producta fuit, neceſſe eſt, ut hanc Colomanno Hung. regi, qui eodem tempore vivebat, ante dictos annos dicaverit. Proinde ætatem illius, etſi, cujus ſedis fuerit epiſcopus, ignoremus, certam habemus. De fide autem illius, & rerum, quas complexus eſt, vix, puto, dubium obmoveri poſſe. Cum enim in præfat. fateatur, ſe jam fuiſſe *decrepitum*, & hæc ætas plerumque 70. aut plurium annorum eſſe ſoleat, ſi hos vel ab ipſo an. 1109. antrorſum computemus, oportuit Carthuitium an. 1039. proin ab obitu S. Stephani regis anno altero, quin, cum Martinus Gallus non eodem an. 1109. quo Chronicon ſuum finit, etiam ſcribere cœperit, vivo quoque Stephano rege natum, itaque res ſub illo, hujusque patre geſtas, utpote in recenti omnium memoria poſitas, jam tunc litteris complexum fuiſſe, cum multi, qui Stephanum norant, adhuc ſuperſtites fuere. Hæc, ut ſcriptorem, omnium, quos habemus, vetuſtiſsimum, ab injuria, & conviciis aliorum vindicarem.

a) Epiſt. Ottonis ad Piligrinum Patavien. epiſcopum, apud Mabillon, Acta SS. ord. S. Benedicti, Sec. VI. P. I. pag. 81.

Imperator dies Paschæ isthic ageret. *a*) Accepti erant liberaliter, & Imperatore paulum post, Nonis Maji defuncto, ab hujus filio, confirmata amicitia, domum remissi.

An. Christi. 974.

Abhinc exteri, inter quos multi ex Germania, Italia, aliisque regionibus, nobilitate, & militiæ laude insignes, *b*) certatim in Hungariam confluebant, adducto secum non temnendo militum, & volonum numero, quos Geisa liberaliter acceptos, ut plures sensim in suam ditionem pelliceret, possessionibus locupletabat. Atque horum exemplo, & Ducis humanitate, allecti quoque Clerici, ac Monachi, propagandæ religionis causa, frequentes advenerant, *c*) quibus suos etiam Piligrinus Pataviensis episcopus subsidio miserat, quorum studio, brevi effectum est, ut ex Nobilioribus Hungaris, utriusque sexus, prope quinque millia, sacro fonte ablueren-tur,

a) Lambertus Schafnaburgen. ad an. 973. *Otto Imperator senior cum juniore venit Quedlinburg, ibique, celebravit Sanctum Pascha, X. Cal. April. illuc venerunt Legati Italorum, Ungarorum, — cum magnis muneribus.* Similia Saxo annalista, Chronicon Hildesheimense, aliique.

b) Horum nomina Simon *Keza*, & *Thurocz*, in suis Chronicis prolixe recensent.

c) Carthuitius l. cit.

tur, & captivis Christianis, qui ex variis regionibus olim adducti erant, prolesque suas hactenus furtive solum Deo consecrare audebant, jam liberius cultui divino vacare, ædesque sacras, non invitis dominis, exstruere liceret. *a*)

An. Christi. 979. Inter has religionis progressiones, ipse quoque Geisa, suscepto ex *Sarolta*, Gyulæ Præfecti Transsilvaniæ filia, Stephano, Christi-

---

a) Piligrini epist. ad Papam. *Ad quos* (Hungaros) *dum transmitterem satis idoneos viros ex monachis, Canonicosque presbyteros, atque de singulis Ecclesiasticis gradibus Clericos, — tantum divina gratia fructum statim ministravit, ut ex eisdem Nobilioribus Ungariæ utriusque sexus, Catholica fide imbutos, atque sacro lavacro ablutos, circiter 5000. Christo lucrarentur, Christiani autem, quorum major pars populi est, & ex omni parte mundi illuc tracti sunt captivi, quibus nunquam soboles suas licuit, nisi furtive, Domino consecrare, modo certatim, nullo obstante timore, offerunt eas baptizare, & gratulantur, — quod Christiano more oratoria audent construere. — Ipsi enim barbari — quorum licet adhuc gentilitate quidam detenti, nullum tamen ex illorum subditis vetant baptizari, nec Sacerdotibus inhibent, quocunque libet, proficisci. — Factum est ergo, ut pene cuncta Ungarorum Natio sit prona ad percipiendam fidem sanctam.*

ſtiana Sacra amplexus eſt, ſed adhuc neophytus, non pauca ex avitis ritibus, religioni Chriſtianæ admiſcens, *a*) ut adeo, quemadmodum biographus ſancti Adalberti, Pragenſium antiſtitis, prodidit, *b*) *intermiſceretur cum paganiſmo polluta religio*, donec ipſe Adalbertus partim per nuncios in Hungariam miſſos, partim ſuo adventu poſt baptizatum filium Stephanum, patrem quoque in fide nutantem confirmaſſet. Hunc in modum Chriſtiana religio, & cum hac etiam litteræ paulatim radices in Hungaria fixere.

An. Chriſti. 994.

* Non deerant, qui Chriſtianæ religionis initia, maluerint a Græcis, quam Latinis, accerſere, *c*) ſed horum opinioni, quæ levibus admodum, & longinque quæſitis conjecturis nititur, convellendæ, non vacat immorari, quod hanc alioqui jam ante me plures domeſtici ſcriptores, diverſæ etiam religionis, erudite, ſolideque confutarint. *d*) *

a) Ditmarus Chronici l. 7. & Carthuitius l. cit. c. 1. de Geiſa. *Severus quidem, & crudelis, veluti potentialiter agens in ſuos, miſericors autem in alios, & præcipue in Chriſtianos, ritu paganiſmo licet adhuc quidem obvolutus.*

b) Apud hagiographos Antverpien. Tom. III. SS. menſis April. ad d. 23.

c) Godefridus Schwarz. Halæ Saxonum. 1740.

d) Stiltingus Acta SS. ad d. 2. Septemb. Franc. Adamus Kollar, de jure patronatus regum Hung.

An. Christi. 994. ** Litterarum vero sors non alia apud nos in principio erat, quam quæ post collapsum Imperium Romanum, & migrationem gentium, apud alias Nationes innutritas armis solebat esse, quo tempore apud Clerum, & monachos, quibus fere unis veterum monumenta ab interitu vindicata debemus, professio litterarum, & scientiæ vigebant, ludis litterariis sub initium in Capitulis, & cœnobiis ut plurimum constitutis, in quibus prima linguæ Latinæ rudimenta, cumprimis vero religionis adhuc novitiæ, institutiones tradebantur. Serius deinde Sec. XII. & XIII. paulo latius quidem litterarum studia jam pertinebant, ad condiscendas tamen severiores disciplinas, in Italiam, vel Galliam migrandum fuit. Hactenus igitur quasi in diluculo res litteraria apud nos hærebat.

Plenior aliquanto lux postea Sec. XIV. & XV. affulsit, cum variæ scientiarum Academiæ, accersitis undique viris, qui doctrinæ laude alibi floruerant, instituerentur, Quinqueecclesiis quidem a Ludovico I. Budæ a Sigismundo, & Mathia Corvino, cujus bibliotheca per id tempus celeberrima inter Europæ-

---

l. 1. c. 1. Jos. Benczur, Hung. semper libera. c. 1. aliique, qui serius de rebus Hungaricis commentati sunt.

pæas habebatur, *a)* tum Posonii etiam a Joanne Strigoniensi archiepiscopo, ut adeo jam domi haberetur, quod alias foris operose quærendum erat, tametsi nec hæ stabilitatem habuerint, & ob frequentia bella hostiumque in- An. Christi. 994.

a) Multi tamen libri ex hac sub Wladislao II. hujusque filio Ludovico, partim mutuo dati, & non redditi, partim quoque donati, & venditi etiam fuere, ut instar summæ raritatis sit, ejusmodi codicem in Hungaria hodie videre. *Conringius* magnum ex his numerum in bibliothecam Guelpherbitanam, dum de hac pag. 119. agit, illatum testatur. *In quorum*, ait, *conquisitione, etiam illam felicitatem sibi contigisse, impense lætatur Princeps optimus, quod, dum ardua serenissimæ domus negotia, Rudolphum II. & Ferdinandum II. Impp. Vindobonæ adire compulissent, in Hungariæ laciniam celeberrimæ quondam bibliothecæ Muthiæ Corvini, sibi comparare, quamvis magno ære, concessum fuerit. Deprehendere vero in illo Mss. ordine licuerit tibi simul incomparabilem thesaurum, & in Germania quidem nusquam antehac visum, prope* 200. *& quidem magnam partem spissorum, omnique pagina plenissimorum, — primæ magnitudinis voluminum, de arcanis negotiis, ac rebus præcipuis, non duntaxat Germaniæ universæ, aut hujus inclyti Ducatus, sed Galliæ etiam, aliarumque rerum publicarum Europæ* &c. Tanti res nostras exteri æstimant!

An. Chriſti. 994.

incurſiones paulatim defluxerint. Pauca certe ſub Wladiſlao II. & Ludovico, ſcholarum, quæ aliquid celebritatis habuiſſent, veſtigia exſtant, nec alia facile incitamenta diſcentibus ſuggeſta reperio, quam quod ad aulam regiam nonnunquam admiſsi, poſt exhibitum induſtriæ ſpecimen, non penitus indonati abirent. *a*)

Itaque, ſi quis paulum litteratior eſſe, & haberi vellet, ad exteras ditiones, *Bononiam* inprimis, *Viennam*, & *Cracoviam* concedere iterum cogebatur, idque tum præcipue, cum aditus variis religionibus in Hungariam ſec. XVI. patuit, & cum his magiſtri partim Germani, partim Hungari quoque, & Transſilvani, qui ſtudiorum cauſa in Germania morabantur, domum reverſi, ſcholas vel deſertas occuparent, vel novas erigerent, atque hoc modo, cum litteris, etiam doctrinæ ſuæ placita propagando, doctrinæ laudem adeo ſibi jam vendicarent, ut non

a) Exempla hujusmodi plura exſtant in libro erogationum an. 1494. ſub Wladislao II. Ita ad d. 19. Jul. *Eodem die ſcholaribus recordantibus Budenſibus videlicet, & Peſtienſibus, ad relationem Bradach, dati ſunt fl.* 1. *&* *medius.* Et ad d. 6. Aug. *Ad relationem Wer, parvuli ſuæ majeſtatis, ſcholaribus recordantibus ad diverſas ſcholas in ſeſto Transſigurationis Domini, dati ſunt fl.* 1. *& medius.*

non pauci quoque Catholici proles ſuas, illis inſtituendas crederent. An. Chriſti. 994.

Ea res cum regni ordines magnopere ſolicitos reddidiſſet, ne ſpecie eruditionis captandæ, juventus Catholica ſenſim etiam religioni magiſtrorum conſueſceret, regem Ferdinandum I. vehementer obteſtati ſunt, vellet, juberetque, ad inſtaurandam priſtinam, avitamque religionem, bona monaſteriorum, quæ deſerta erant, in erigendas ſcholas, & alendos viros probos, doctosque convertere, qui juventuti præeſſent, eamque litteris ſimul, & orthodoxa religione imbuerent. *a*) Percommode ſecundum deſtinationem Ordinum ac-

a) Decret. XI. an. 1548. art. 12. *Præterea bona, & proventus monaſteriorum, & clauſtrorum, ac Capitulorum deſertorum — ad inſtaurationem, & erectionem ſcholarum particularium, earundemque magiſtrorum, qui docti, & probi ſint, intertentionem, & denique ad bonæ ſpei, ac indolis juvenum, & adoleſcentum, ut bonis litteris operam dare poſſint, promotionem, & auxilium applicentur, & convertantur, quo tali ratione, boni, & docti viri alantur, & nutriantur.* Idem Parochis optabant præſtari, & cauſam utriusque hanc reddunt: *ut populum in veteri, orthodoxa, vera, Catholicaque fide, & religione conſervare, & , ſi qui ab ea deſciverunt in hoc regno, ad eam reducere ſtudeant.*

An. Christi. 994. cidit, quod octennio ante, Ordo Clericorum regularium Societatis Jesu, qui ex instituto utrumque hunc finem sibi præfixerat, auctoritate Pontificum confirmatus, aliquot colonias, a Principibus expetitas, jam in varias ditiones, ipsamque adeo Viennam deduxerit. *a*) Hinc primum Tirnaviam, ac sensim in varia regni loca dimissis, Ferdinandus, ejusque successores, ac inprimis Rudolphus II. bona, & proventus desertorum Claustrorum, *b*) tum ar-

---

a) Viennæ quidem jam an. 1561. præter assertiones theologicas, quæ summa religionis capita, eaque cumprimis, quæ eo tempore in controversiam vocabantur, continent, etiam logicas, physicas, mathematicas, & metaphysicas, tum linguarum Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ, publice disputandas, in Collegio Cæsareo proposuere, quæ Vien. eod an, editæ etiamnum prostant.

b) Longum esset, beneficia regum stirpis Austriacæ, in hunc Ordinem collata, singilatim referre. Quemadmodum ampla erant, ita invidiæ etiam, & litibus occasionem serius postea, præcipue an. 1646. præbuere, cum *jus possidendi* a variis impeteretur, quod quidem eod. an solide vindicavit libellus, qui Vien. apud Cosmerovium prodiit hoc titulo: *Declaratio jurium societatis Jesu, quæ in regno Hung. atque etiam in Transsilvania habet, ad bona stabilia possidenda.*

archiepiſcopi, & epiſcopi, nec paucæ Magnatum familiæ, de ſuo liberaliter tribuerant, cum ut religionem, tum ſcientias quoque, quæ ſuſtentandæ illi neceſſariæ ſunt, inſtaurarent. Eandem ob cauſam, & ex eadem inſtituti ratione, ut pluribus locis juventuti aditus ad condiſcendas litteras pateret, Clerici quoque regulares piarum Scholarum, jus domicilii in Hungaria obtinuere. Quo autem ſucceſſu utrique in promovenda, & conſervanda religionis integritate, quove etiam inſtituendæ in omni genere ſcientiarum, juventutis emolumento, verſati fuerint, & poſtremi etiamnum laudabiliter verſentur, res hujus temporis, ut puto, ſatis ab ſe loquuntur. Atque hæc univerſe, nec enim hiſtoriam Eccleſiaſticam, vel litterariam ſcribendi, ipſa, quam mihi præſtitui, argumenti ratio patitur, de initiis, ac progreſſu religionis, & litterarum per Hungariam, perſtrinxiſſe ſufficiat. De hodierna enim inſtitutione, nihil attinet dicere, quæ, ſi tamen, quod ſentio, fas eſt promere, videtur mihi, agro, cui diverſi generis ſemina, ita confertim ingeruntur, ut aliud ab alio præfocari neceſſe ſit, multum conſimilis eſſe.

An. Chriſti. 994.

§. XXVI.

Religio Chriſtiana, nuper regno inducta, non eum, qui ſperabatur, & ex prima ſui inſtitutione facere debebat, ſucceſſum in principi-

An. Christi. 994. cipio habuit. Quamvis enim Geisa hanc jam professus, & pollicitus praeterea fuisset, se gentem quoque suam ad eam adducturum, *a*) mores tamen magnopere dissentiebant. *b*) Accessit illud etiam, quod, cum religio Christiana, omnes aequali animo complecti praecipiat, is tamen in advenas benignus, in suos autem severus, & pene crudelis esset, *c*) dumque praeterea morbis praepeditus, a re publica abstinere cogebatur, conjux, quam, defuncta *Sarolta*, *d*) duxerat, *e*) pro viro fere im-

---

a) Carthuitius l. cit. c. 1. *Credidit ipse* (Geisa) *cum familiaribus suis, & baptizatus est, & omnes ditioni suae subditos se pollicens Christiano nomini mancipaturum.*

b) Ditmarus in Chron. apud Leibnitz, Tom. III. scriptor. rer. Brunswic. pag. 517. *Hic* (Geisa) *Domino omnipotenti, variisque deorum illusionibus immolans, cum ab antistite suo, ob hoc accusaretur, divitem se, & ad haec facienda satis potentem affirmavit.*

c) Carthuitius l. paulo ante cit.

d) Stemma maternum Stephani, secundum Belae Notarium, hoc est.

Tuhutum.
|
Horca

Gyula.	Zombor.
|	|
Sarolta.	Gyula.
|	|
Stephanus.	Bue, & Bucne.

e) Cromerus l. 3. c. 2. alteram Geisae conjugem, *Ad-*

imperitaret. Hæc apud primores gentis, ritibus avitis adhuc deditos, & feminei dominatus perinde, ac religionis Chriſtianæ impatientes, invidiam primum in advenas concitabant, tum ineundis inter ſe conſiliis, quæ non obſcura exacerbati animi, & futuræ ſeditionis indicia præferebant, occaſionem præbuere. Neque id Geiſa clam erat, qui non tam ſui, auctoritate enim ſuos in metu continebat, quam filii cauſa ſolicitus, de uxore eidem collocanda, cœpit cum Ottone III. agere, ut conjugis futuræ parentela ſubnixus, adverſariorum conatus, ſi qui a ſuo obitu futuri eſſent, reprimere poſſet. Imperator, ut Geiſam, nuper jam inita cum Ottone I. amicitia, Imperio utcunque jam conjunctum, affinitatis etiam vinculo ſibi magis connecteret, autor ei fuit, ut *Giſelam*, Henrici Bavarorum Ducis, poſtea Imperatoris, ſororem, filio ſponſam legeret. Placuit conſilium, & *Giſela* non multo poſt, Stephano in manus convenit. *a*) Eadem de cauſa filiam *Juditham*, Poloniæ Du-

An. Christi. 994.

995.

Adleidam tribuit, quam Ditmarus *Belegnegenam* vocat, tametſi non deſint, qui eandem cum *Sarolta*, ſed diverſis nominibus compellatam fuiſſe exiſtiment.

a) Herman. Contractus ad an. 995. & Ademarus Chabanenſis apud Labbé nov. Biblioth. Mſſ. T. II. pag. 168.

Duci collocaverat, *a*) & alteram *b*) Ottoni *Vrſeolo*, Venetorum futuro Duci deſtinavit, ut plurium Principum, qui Hungariæ finitimi erant, affinitate, filio conſuleret. Nec hac re, quamvis ſucceſsio hæreditaria, Majorum ſanctione (§. 3.) conſtabilita eſſet, filio ſatis proviſum exiſtimans, prius, quam obiit, Primates Nationis convocavit, habitoque cum
Au. Chriſti. 997. iis conſilio, filium ſucceſſorem renuncians, ut ei ſacramentum fidelitatis præſtarent, exegit. *c*)

§. XXVII.

a) Cromerus l. cit.

b) Dandulus in Chronico ad an. 1009. de Ottone Urſeolo agens, *erat quippe*, ait, *Dux annorum octodecim*, *quo tempore Hungarorum regis* (Ducis) *filiam*, *& ſororem Stephani ſucceſſoris traduxit uxorem*, *mulierem utique generoſitate ſerenam*, *facie facundam*, *& honeſtate præclaram*. Ex hac deinde Petrus, Stephani ſucceſſor editus. Præter has, filiam quoque *Saroltam* fertur habuiſſe, quæ poſtea *Abæ* ſeu *Samueli* regi nupta fuit.

c) Carthuitius l. cit. c. 1. *convocatis pater ſuus*, *Hung. Primatibus*, *eum ordine ſequenti per communis conſilium colloquii*, *filium ſuum Stephanum poſt ſe regnaturum populo præfecit*, *& ad hoc corroborandum a ſingulis ſacramentum exegit*.

§. XXVII.

Nec supervacaneam hanc Geisæ curam fuisse, ex eventu patuit. Ab ejus enim obitu *Cupa*, Simeghiensis provinciæ Præfectus, religionis Christianæ, & advenarum acerrimus osor, contemta Stephani ætate, res novas moliri cœpit. Hinc inter Hungaros *Cupæ*, & Germanos *Stephano* addictos, orta primum dissidia, mox in apertam seditionem prorupere. *a*) Dux factionis palam ad tyrannidem aspirans, coacto sub signa non temnendo plebis, ad avitas superstitiones pronæ numero, cædibus late grassatus, obsessoque Veszprimio, apertum bellum Stephano indixit, spe fretus, se, si victoria potiretur, regni possessionem adepturum. *b*) Contra evenit. Stephanus mature collectis copiis, opique cœlesti confisus, & advenarum, inprimis Wencelini ducis, consilio adjutus, rebellem, conserto prælio vicit, & seditiosum vulgus, cæso duce, ad obedientiam reduxit.

An. Christi. 998.

a) Id ipse Stephanus in litt. fundatæ Abbatiæ, S. Martini in monte Pannoniæ, an. 1001. testatur: *ingruente namque bellorum tempestate, qua inter Teutonicos, & Hungaros, seditio maxima excreverat &c.*

b) Ibid. *Cum civilis belli ruina urgeret, volente quodam Comitatu Simegiensi, paterna me sede repellere &c.*

An. Christi. 998. * Quidam existimant, *Cupam* cognatione Stephano conjunctum fuisse, ambiisse praeterea viduae defuncti Geisae nuptias, & post praelium, ut exhibito severitatis exemplo, reliqui a simili ausu absterrerentur, quadrifariam fuisse sectum. Verum de cognatione nihil solidi momenti, praeter suspiciones in medium afferunt, cum veri sit similius, illum ex posteris eorum fuisse, qui *Arpado* duce electo, sibi, posterisque suis partem honoris regni, & in consiliis, (§. 5.) servatam volebant. Nec ambitus nuptiarum viduae suaderi potest, quod Cupa religionis causa bellum moverit, illa autem Christiana esset, & Geisae ad hanc conservandam hortatrix, quin, ut aliqui malunt, *a*) ut hanc amplecteretur, praecipua etiam causa fuerit, ut nihil de eo dicam, quod femina, quae jam prius pro marito rem publicam administraverat, nunc viro dominandi cupido, qui illam in ordinem reduxisset, vix nuptura fuerit. Sectio denique corporis quadrifariam, de qua Carthuitius, aetati illi proximus, nihil memorat, a moribus Stephani magnopere abhorret, de quo Ditmarus, eidem synchronus, scribit: *nunquam audivi quem-*

a) Cromerus l. 3. c. 2. *Ea* (Sarolta) *mortua sororem ei* (Geisae) *suam Adleidam Mieczislaus in matrimonium collocarat, a qua persuasus Geisa, cum Ungaris suis Christianam & ipse religionem, quinto post Polonos anno suscepit.*

quemquam victis tantum parcere, a) quanto igitur magis jam in prælio cæsis.

§. XXVIII.

Sopito, quod religionis causa, ortum erat, civili bello, Stephanus tanto majore studio ad eam constabiliendam incubuit, quanto solertius adversarii hanc oppressum ibant, nihil enim magis ad continendum in officio subjectum sibi populum conferre posse existimabat, quam si religio latius per regnum propagata, solidiores radices figeret. Quare monachis ordinis S. Benedicti, quorum opera hactenus in propaganda religione cumprimis enituit, cœnobium a patre inchoatum, in monte Pannoniæ, ad summum fastigium perducere conatus est, ut votum, quod ante pugnam cum *Cupa* initam, voverat, b) gratus exsolveret, tum de condendis episcopatibus, & , Ottone III. hortatore, de sumenda regia corona, cogitationem suscepit, c) cum ut reli- An. Christi. 999.

a) Chronici l. 8.

b) Litt. Stephani cit. an. 1001. *Votum vovi Sancto Martino, quod si de hostibus interioribus, & exterioribus, ejus meritis victor existerem* &c. Simul decimas rerum omniun eidem cœnobio addixit ex Simeghiensi Comitatu.

c) Ditmarus Chron. l. 4. *Imperatoris autem prædicti (Ottonis III.) gratia, & hortatu, gener Hen-*

An. Christi. 999. ligionem novitiam episcoporum consilio, & studio magis firmaret, tum ut corona insignitus, majorem sibi, pro more illius ætatis in Europa usitato, apud suos autoritatem conciliaret, ipsamque gentem hac ratione cum aliis Nationibus pedetentim sociali vinculo magis connecteret.

*Episcopatus quidem jam hoc tempore a Stephano designatos, non item omnes eodem fuisse erectos, suadent cum ipsi erectionis diversi anni, Csanadiensem enim prope finem vitæ condiderat, tum ipsa etiam civilis, cui Ecclesiastica in designatione limitum, conformanda erat, institutio. Injecerit quoque moram illud, quod, cum non modica Hungariæ portio, jam prius ad *Juvaviensis*, seu Salisburgensis, & *Pataviensis*, nunc Passaviensis, episcoporum jurisdictionem pertinuerit, res ante cum Pontifice transigenda esset, quam, quod animo destinarat, opere ipso perficeret. Fuere autem, quos sensim erexerat, præter Strigoniensem Ecclesiam, quam ceterarum matrem, ac magistram, & archiepiscopali prærogativa ornatam esse voluit, episcopatus, *Agriensis*, *Bachi-*

Henrici Ducis Bavariorum Waic (id est, Stephanus) *in regno suomet episcopales cathedras faciens, coronam, & benedictionem obtinuit.* Bohemis, ut Balbinus indicat, *Waic* Adalbertum notat. Utrumque igitur nomen in baptismo sortitus fuerit.

chienſis, *a)* *Csanadienſis*, *Colocenſis*, *Jaurinenſis*, *Quinqueeccleſienſis*, *Tranſylvanus*, & *Veſzprimienſis*, qui communi ſcriptorum conſenſu, ſua initia Stephano debent. De *Vacienſi*, & *Varadinenſi*, ſolum lis eſt, tametſi veri ſit ſimillimum, utrumque Stephano quoque tribuendum eſſe. *b)* Zagrabienſem vero, Nitrienſem, Boſnenſem, & Sirmienſem, conſtat ſerius fuiſſe conditos. *c)* An. Chriſti. 999.

§. XXIX.

---

a) Hic poſtea in archiepiſcopen converſus, & ſerius Colocenſi unitus, nunc nomen Colocenſis archiepiſcopatus obtinet.

b) Vid. Pray, Diatribe in diſſertat. Ant. Ganoczy, de S. Ladislao, epiſcop. Varadinen. fundatore.

c) Apud Pray, Hierarch. Hung. P. I. & II. De epiſcopatibus Hung. plures ſcripſere, de Strigonien. & Agrien. *Nic. Schmitth* e Soc. J. de Quinqueeccles. *Jos Koller*. ejusd. Eccl. Canonicus, de Varadien. *Ant. Ganoczy* ibid. Canon. de Jaurinen. Alexan. *Károly*, Canon. ibid. de Veſprimien. Jo. Bap. *Róka*, alias *Fuchs*, de Colocen. *Michael* a SS. Trinitate, de Vacien. *Innocent. Deſericzky*, uterque e Piis Scholis. His dein Aug. Mar. Thereſia novos quinque, *Albenſem*, *Neoſolien*. *Roſnavien*. *Sabarien*. & *Scepuſien*. adjecit.

§. XXIX.

An. Christi. 1000. Quare, cum ita jam animo comparatus esset, ut opus maturaret, *Astricum*, quem Colocensi sedi destinaverat, Romam misit, id præcipue apud Silvestrum II. acturum, ut is gentem, & regnum nuper religioni Christianæ initiatum, in Ecclesiæ gremium reciperet, *a)* de-

---

a) Id Gregorio VII. & aliquot deinde Pontificibus occasionem præbuit, ut jus in Hung. sedi Apostolicæ a Stephano collatum fuisse, putarent. Gregorii ad Salomonem Hung. regem, hæc sunt: *nam sicut a Majoribus patriæ tuæ cognoscere potes, regnum Hung. S. R. Ecclesiæ proprium est, a rege Stephano olim B. Petro, cum omni jure, & potestate sua oblatum, & devote traditum.* Carthuitii autem l. cit. c. 2. qui Gregorio proximus, hic enim decessit an. 1085. ille vero, ut alibi ostensum est, an. 1109. jam decrepitæ ætatis, & Gregorio probabiliter coævus saltem aliquanto tempore, erat, hæc solum de legatione *Astrici* memorat: *quibus auditis, valde gavisus Romanus Pontif. cuncta, prout fuerunt postulata, benigne concessit. Crucem insuper anteferendam regi, velut in signum Apostolatus misit, ego, inquiens, sum Apostolicus, ille vero, merito Christi Apostolus, per quem sibi tantum populum Christus convertit. Quapropter dispositionem ejusdem,* pro-

designatos a se episcopatus, auctoritate sua confirmaret, & sibi pro regia inauguratione coronam mittere, non gravetur. Commode Otto Imperator, qui Stephano petendæ coronæ autor fuit, tum in Italia erat, cujus con-

An. Christi. 1000.

prout divina gratia ipsum instruit, Ecclesias Dei simul cum populis, nostra vice jure ordinandas relinquimus. De regno autem jure proprietatis sedi Apostolicæ oblato, ne verbum quidem, qui quod non paucos, qui Stephano convixerant, nosse potuerit, id ex horum fide, ut reliqua illius acta, memoriæ prodidisset, cum nihil causæ, cur id reticeret, habuerit, sedi Apostolicæ ceteroqui apprime addictus. Si vel litteras Stephani ad Papam datas, aliquas certe in tam gravi negotio datas fuisse, credibile est, vel Legati verba ad Pontificem habita, ab aliquo consignata haberemus, tum facile esset, certum in alterutram partem judicium depromere. Quamquam de hoc rursum redibit sermo. Ceterum, sunt, qui ex hac legatione, *jus Patronatus* regum Hung. in Ecclesias repetant, quorum opinioni non refragor quidem, malim tamen id ex comuni jure, *cap. a nobis de jure*: repetere, *patronus efficitur quis Ecclesiam struens.* quod Stephano episcopatuum fundatori, jure, meritoque competit.

An. Christi. 1000. consilio, & cœlesti admonitu, a) Pontifex permotus, coronam, b) quam Duci Poloniæ alias destinaverat, per Nuncium Apostolicum, c) Stephano, in comitatu Astrici, transmisit, facta eidem potestate, ut sui vice Ecclesias regni sui ordinaret, & crucem ante se in signum Apostolatus, præferri curaret.

* Occasione hujus legationis, celebris illa epistola, quam Pontifex ad Stephanum misisse dicitur, scriptores nostros in partes distraxit. Quidam penitus suppositam esse, alii

a) Id Angelico monitu factum, Carthuitius, & Martinus Gallus memorant. Inde reor, morem manasse, ut Insigniis regni duo angeli, instar Telamonum, utrinque adjungerentur, qui in sigillo majestatico, Mathiæ Corvini, an. 1475. flectentes, in Wladislai II. autem an. 1490. stantes visuntur.

b) Scriptores quidam hujus ætatis, coronam, quod inscriptiones aliquot Græcas exhibeat, ex Græcia, non item Roma allatam fuisse existimant. Verum hanc litem RR. Jos. Koller Canonicus Quinque-Ecclesien. peculiari commentario, *de sacra regni Hungariæ corona* an. 1800. ad vivum resecuit.

c) Hunc vetus documentum, apud Bernard. Pez, Cod. dipl. epistol. P. 3. p. 232. ita exprimit: *corona autem regni Hung. per Apostolicum, nomine de Vetta est in Hungariam, per Astricum — transmissa.*

An. Christi. 1000.

alii omnino genuinam, rursus alii, missam quidem, sed serius postea, ab aliquo, parum honoris, & juris regii studioso, interpolatam, existimant. *a)* Ac istorum quidem opinionem, veri simillimam reddit sequens pericope, litteris Pontificis inserta: *regnum, & Nationem Hungaricam, præsentem, & futuram, sub protectionem S. R. Ecclesiæ acceptantes, prudentiæ tuæ, hæredibus, & legitimis successoribus tuis, habendum, tenendum, regendum, gubernandum, & possidendum reddimus, & confirmamus; qui quidem hæredes, & successores tui quicunque, posteaquam per Optimates legitime electi fuerint, teneantur similiter nobis, & successoribus nostris, per se, vel per Legatos, debitam obedientiam, & reverentiam exhibere, seque S. R. Ecclesiæ — subditos exhibere.* Ut enim nihil dicam, quantopere hæc lacinia a veteri simplicitate styli

 a)

a) Litteras aliquas Roma fuisse missas, ipse Stephanus in Tab. fundatæ Abbatiæ de Bakonbél, an. 1037. videtur indicare illis verbis: *Sicut habui potestatem, ut ubicunque, vel in quocunque loco, vellem Ecclesias, vel monasteria construerem, ita nihilominus a Romanæ sedis supremo Pontifice habui auctoritatem, ut quibus vellem Ecclesiis, seu monasteriis, libertates, & dignitates conferrem.* Hujusmodi autem prærogativa non solet vivæ vocis oraculo, sed scripto conferri.

An. Christi. 1000. a) Romanorum Pontificum illius ævi abhorreat, jam illud veritati minime consentit, quod succesſionem hæreditariam, cui jus *primogenituræ* adnexum esse, alias ostensum fuit, (§. 3.) cum libera optimatum electione conjungat. Et quis sibi persuadebit, Stephanum, qui jus succesſionis hæreditariæ, quæ electionem excludit, pragmatica Majorum sanctione firmatam, contra *Cupam* armis tuendam suscepit, nunc nulla de causa voluisse eo, se jure, magno successorum præjudicio, & injuria, privare, regnumque extraneo dominio subjicere? quid, quod ipsi Pontifices, huic parti epistolæ, quantum ad electionem attinet, aperte refragentur? certe Innocentius III. ut supra memoravi, ad Andream II. cum patris votum exequi differret, in hæc verba rescripsit: *ne, si onus, a patre injunctum, detrectaris, paterna te reddas ſucceſsione indignum, & hæreditatis emolumento priveris.* Et Bonifacius VIII. ad Albertum, Rudolphi Imperatoris filium, Hungariæ regnum affectantem: *Hungariæ regnum*, inquit, *ſucceſsionis jure pervenit, electionis arbitrio non defertur:* quæ adductis Silvestrinæ epistolæ verbis prorsus opposita sunt,

a) Redolet enim stylum nostrum diplomaticum Sec. XIII. quo posseſsiones conferri solebant, formula illa usitata: *damus, donamus, conferimus, imo dedimus, donavimus, & contulimus perpetuo habendam, tenendam, & poſsidendam,*

ſunt, & vim omnem enervant. Proinde illud fere certum videtur, dictam pericopen, cetera enim ejusdem epiſtolæ, quæ ad religionem ſpectant, nihil eſt, cur amplecti non poſsimus, ab imperito rerum noſtrarum ſerius intruſam, & Pontificibus nullum aliud, quam quod religionis cauſa in omnes fideles habet, jus in Hungariam, unquam fuiſſe. De jure autem, quod Imperatores Germaniæ ſibi in Hungariam olim arrogabant, cum res, & locus monebit, dicetur. An. Chriſti. 1000.

§. XXX.

Rebus in hunc modum Romæ ex ſententia confectis, Aſtricus rediit, & Stephanus, paulum poſt Strigonii, *a)* ritu ſolenni inauguratus, ſolium, eodem, quod a Majoribus

a) Stephanum fuiſſe Strigonii coronatum, Ladiſlaus Chunus in litt. an. 1274. diſerte prodidit, & firmare videtur vetuſtiſsimum Strigonien. Capituli ſigillum an. 1141. quod archiep. Strigonienſem, coronam utraque manu tenentem, & regem nudato capite adſtantem, exhibet. Hinc jus coronandi reges Hung. a primis regni temporibus, inter prærogativas archiepiſcoporum Strigonien. cenſetur. Ceterum locus coronationis ordinarius, dum res Hung. integra erat, Alba regia fuit, poſtea Poſonium, nunc, ut temporis adjuncta poſcunt, in regum arbitrio eſt.

An. Christi 1000. suis acceperat, hæreditario jure cum titulo a) regis Apostolici, Pontificis Romani autoritate obtento, ad posteros transmisit.

* Abhinc mos obtinuit, ut reges ab aditu sui regiminis, eadem corona incingantur, fuitque hæc consuetudo genti nostræ tam sacra, ut, si regis filium, vivo patre, coronari contigisset, is ab hujus obitu, cum regnum capesseret, rursus coronaretur, alioquin, quidquid ante statuisset, nisi iterum confirmasset, b) infectum haberi solebat, ut adeo jurisdictio

a) An hoc titulo legatus regis Hung. specialem inter alios legatos in publicis congressibus locum teneat, cum hujusmodi prærogativæ, utplurimum a ratione politica, & initis conventionibus, pendeant, non habeo, quod pro comperto affirmem. Olim ut Codex Ms. ceremoniarum sub Julio II. Pont. an. 1504. conscriptus, fol. 369. exhibet, hæc series Legatorum servabatur. Imperatoris, Regis Romanor. Franciæ, Hispaniar. Arragoniæ, Portugalliæ, Angliæ, sed, ut additur, discors cum tribus prædictis, tum Siciliæ, Scotiæ, Ungariæ, huic cum priore lis erat de proedria an. 1479. Cypri, Bohemiæ, Poloniæ & Daciæ, seu Daniæ.

b) Hoc modo Bela IV. & Stephanus V. donationes, quas, cum juniores reges essent, fecerant, rursus ab adito post patrem regno, con-

ctio regia, coronationi videatur innexa esse, quemadmodum Sigismundus, litteris Budæ anno 1388. VI. Idus Decembres editis, testatum reliquit, *a plurimis retro actis temporibus, in quorum memoriam humana mortalitas non novit recordari, ex approbatissima regni consuetudine, hactenus illibate observata, eorundem illustrissimorum regum veri successores per manus — domini archiepiscopi almæ Strigoniensis Ecclesiæ, pro tempore constituti, sacro regio diademate, juridice debent sublimari.* a) An. Christi. 1000.

At-

confirmarunt. Mathias quoque Corvinus anno 1464. an. coronationis primo, donationes prius a se factas, denuo ratas habuit, cetera autem, quæ ad publicam administrationem necessaria sunt, ut constitutos magistratus, factam amnestiam, &c. non item.

a) Apud Pray Hierarch. Hung. P. I. pag. 109. Similia Carolus Robertus ante Sigismundum, an. 1315. apud eund. ibid. *Solium regale conscendentes, ipso novo diademate exstitimus coronati, & licet hujusmodi coronationis modus sufficiens fuisset, ut opinioni tamen gentis Hungaricæ satisfieret, &, ut scandalum de medio vulgi tolleretur, recuperata — ipsa sacra corona, — observataque solemnitate consueta — solium — conscendimus.* Supervacaneam igitur operam ii locant, qui, *utrum in ipsa corona aliquod jus regium lateat?* quærunt. Non quidem in ipsa coronæ materia, sed

An. Christi. 1000.

Atque hæc, quo fieri poterat compendio prius in ordinem cogenda erant, quam res sub regibus gestas, seu illæ intra domesticos limites constiterant, seu cum exteris nexum habebant, harumque causas, eventus, & conversiones, persequerer. Ceterum in tres Epochas opus discrevi; quarum prima a divo Stephano ad Andream III. altera a Wenceslao ad Ludovicum II. & tertia a Ferdinando I. ad Augustam Mariam Thereliam, reges complectitur.



S. STE-

sed in ipso coronationis actu, cui gentis nostræ mos, regni perpetua consuetudo, & regum jam inde a regni primordio consensus, hanc vim, & prærogativam inesse volebant.

S. STEPHANUS.

Ab anno 1000. — 38.

I. Stephanus, cum post repressos nuper factiosos, res domi pacatas haberet, & affinitate Ottoni III. Occidentis, amicitia autem Basilio, Orientis, Imperatoribus conjunctus esset, proinde nihil utrinque metuendum videret, si quod periculum ingrueret, ad ea, quæ dudum ante secum exegerat, studia sua post inaugurationem convertit. Nam religio Christiana recens inducta ut firmiores radices ageret, aliam quodammodo, quam sub decessoribus, gentis indolem, & regiminis constitutionem poscere videbatur. Sub Ducibus enim Natio universe Asiatico more, servorum pene instar, metuque magis, quam amore, regebatur, *a*) quod cum mansuetudini Christianæ parum consentiens esset, & ob supernam seditionem periculo apud gentem armis deditam non vacare intelligeret, concitis episco- 1000.

a) Leo Sapiens apud Kollár cit. vol. 1. pag. 25. *Hæc igitur gens, utpote quæ unius imperio regitur, graves, acerbasque Præfectis suis dat pœnas, & timore magis, quam amore, continetur.*

ſcopis, & Primatibus regni, habitoque cum illis conſilio, perpetuum fœdus cum univerſa Natione pepigit, nominisque ſubſcriptione
1001. firmavit. *a*) Quo conſtabilito, ut ſuos moribus Europæis ſenſim conſuefaceret, cœpit formam paulo aliam monarchiæ *b*) indere; eamque iis legibus *c*) munire, quibus domi, foriſque ſecuritas, & neceſſaria inter imperantem, & ſubjectos, animorum conſenſio ſtabiliretur. Quare temperato, quo Duces utebantur, rigore, genti univerſæ immunitates *d*), quæ

a) Carthuitius in vita S. Stephani regis, c. 2. *Poſt acceptum regalis excellentiæ ſignum, — cum epiſcopis & Primatibus Hungariæ ſtatutum a ſe decretum, manifeſtum fecit, — & ſubſcriptione fœderis non pereuntis poſteris ſuis reliquit ſtabilitum.* Id intercidiſſe, eſt, cur doleamus: ſuperſunt tamen in decretis S. regis præcipua, quæ huc pertinent, fragmenta.

b) Decret. l. 2. in exordio: *idcirco nos quoque*, ait, *Dei nutu noſtram gubernando monarchiam — ſtatuimus genti noſtræ* &c.

c) Ibid. c. 5. Leges ſua auctoritate ſe condidiſſe diſertim indicat: *decrevimus*, inquit, *regali noſtra potentia;* quæ regi ſoli, & uni competit.

d) Ad has regni Ordines ſe referunt in bulla aurea Andreæ II. an. 1222. rurſus in ejusd. Decreto an. 1231. & in Decret. Belæ IV. anno 1267.

quæ cuivis hominum classi, & conditioni *a*) admensæ essent, concessit, quo membra licet inter se disparia, justo tamen ordine sibi innexa, in unum corpus solide coalescerent. 1001.

II. Ante omnia autem ad ea, quæ politicam regni administrationem propius spectant, animum advertit, & antiquos, suique temporis Augustos imitatus, quod optimum utrobique ei visum est, gentis indoli attemperans, delegit. Itaque exemplo e Germania accersito, primum palatio præfecit Comitem, qui *Palatinus*, & *Magnus Comes*, postea dictus est, *b*) regisque lateri in tractandis negotiis aderat, curarum, & consiliorum particeps, primique post regem subsellii, idemque inter hunc & subjectos arbiter, sigilloque re-

a) Non solum Nobilibus, sed diversæ etiam conditionis hominibus immunitates aliquas fuisse concessas testatur Andreas II. in bulla aurea anno 1222. *concedimus tam eis* (Nobilibus) *quam aliis hominibus regni nostri libertatem a sancto rege concessam.*

b) Decret. l. 2. in exord. *antiquos, & modernos imitantes Augustos, statuimus* &c. Palatini in Decr. S. Ladislai crebra fit mentio. In Germanicis documentis sub Ladislao posthumo dicitur, Groß Graf; hinc corruptum illud; *Nadur Ispán*, in *Nagy Ur* vertendum est, quod Cinnamus scriptor Græcus, voce depravata *Urumi* reddit.

regio, a) & dicundo juri præfectus, tum Comitem *Curialem* b), & *Fiscum* regium: c) il-
1001. le primum litibus curialium componendis præerat, serius autem postea ordinarius regni judex renunciatus est; hic *Cameræ*, & proventuum regiorum curam gessit, quæ ministerii pars deinde *Thesaurario* credita fuit. d) His reliquos, more Europæarum aularum ministros, *Baronum regni* nomine cognitos, adjunxit, quorum numerus pro servitiorum copia, & aulæ pompa, apud successores sensim accrevit, officiorumque ratio certis legibus præscripta fuit. e)

Præ

---

a) Decr. S. Ladislai l. 3. c. 3. & Andreæ II. bull. aur. an. 1222. art. 1. §. 1.

b) Charta Belæ II. an. 1136. memorat, quemdam *Kujár*, fratrem *Qbonqus*, fuisse Curialem Comitem S. Stephani regis.

c) Cameræ, & Fisci nomina in tabulis sacrarum fundationum crebro occurrunt.

d) Olim *Comes Tavarnicorum*, a Magistro Tavarnicorum diversus, etiam dicebatur.

e) De his vide Comment. Andreæ Belii de archiofficiis regni Hung. item Samuel. Timon S. J. Imagin. novæ Hung. c. 9. & Christiani Beck specimen II. jur. publ. Austr. cum notis Benczurii, editum ab Ignat. Steph. Horváth Tab. Transdanub. Judic. District. Assessore, Bibliothec. Jurisconsult. T. IV. Vien. 1790.

Præ his tamen, episcopis tamquam religionis custodibus, primum locum tribuit, 1001.
quem sub idem tempus apud omnes nationes Christianas per Europam tenebant. Hoc institutionis modo tres classes hominum secrevit, qui ad conservandam rem publicam, cum usus ferret, sociam ei operam locarent. Primam eorum, qui religionis, sine qua fluxa regni compages est, curam haberent, alteram eorum, qui primos regni magistratus gererent, & attributa sibi auctoritate, tranquillitati publicæ invigilarent, tertiam denique illorum, quorum opera ad propulsandos hostes uteretur. Ita tres regni status, *Prælatorum*, *Magnatum*, & *servientium regalium*, seu Nobilium orti sunt, *a*) quorum diversa cum esset ratio, nec eadem omnibus, secundum designati muneris partes, statio esse posset, natura autem communis administrationis, & negotiorum copia, ac varietas posceret, ut aliqui, cum quibus curas partiretur, regi constanter adessent, hos ex Episcopis, & Magnatibus, qui ætate, rerum usu, consiliique gravitate ceteris præstabant, delegit, ex quibus *Senatum regalem*, *b*) quo in rebus arduis uteretur, constituit.

III.

a) Horum indicia exstant Decr. l. 1. c. 3. & l. 2. c. 2.

b) Senatus, & Consilii regalis mentio fit, Decr. l. 2. c. 14. 19. 20. 27. 29. & 35.

III. Hæc prima, & a decessorum instituto
1001. diversa, moribusque Europæis accommodata regiminis œconomia fuit, ad posteros dein propagata. Mox in militiam, cujus magnum plerumque in utramvis partem momentum in re publica esse solet, curas convertit. In hac *servientes regales*, nobiliorem partem constituebant, *a*) quos tamquam præcipuos in intestinis motibus, & contra hostes exteros, regni propugnatores, *b*) iis prærogativis ornavit, ut militiam solam professi, a ceteris subeundis oneribus, quæ alias ad conservandum commune bonum, cuivis secundum vires ferenda sunt, immunes essent, & regibus arctiore nexu, fideque jungerentur. *c*) Reliquæ militiæ alia a priore itidem præscripta ratio. Cum enim hæc antea in turmas mille-

a) Decr. l. 1. c. 4. *Nobiles*, & *Milites* dicuntur.

b) Ibid. *Illi enim sunt regni propugnatores, defensores imbecillium, expugnatores adversariorum, augmentatores monarchiarum:* paucis verbis omnes dotes, & onera Nobilium complexus.

c) Decret. Belæ IV. an. 1267. *Quod Nobiles Hungariæ universi, qui servientes regales dicuntur, ad nos accedentes petierunt a nobis humiliter, & devote, ut ipsos in libertate a sancto Stephano rege statuta, & obtenta dignaremur, conservare, ut ipsi tanto nobis &* ob-

lenarias, *a*) per octo Tribus diremta, castro cujusvis provinciæ adscripta esset, *b*) illorumque Præfecti potentia sibi credita abusi, fere 1001.
parem cum Ducibus, præsertim sub Gesa, auctoritatem sibi arrogassent, & inter ipsas Tribus, ob æmulationem simultas facile oriri posset, his in unam nominis communicationem conflatis, militiam in plures turmas segregavit, ut, quo pluribus capitibus esset obnoxia, eo minor ad res novandas esset occasio, qua ratione Comitibus castrorum detrectandi imperii facultas succisa, & potestas in plures divisa fuit. *c*) Cuivis enim Castrensi militiæ præterea *Majorem* exercitus adjunxit, cui minoris ordinis Præfecti, & his centuriones, aliique secundum diversos gradus suberant. In his, ut in quavis provincia fixam stationem habebant, regni robur situm erat, quod ut ab hostium incursionibus tutum redde-

coronæ tenerentur fidelius, & affectuosius famulari, quanto preciosioribus vos libertatibus dignaremur. Hinc *Servientes regales* dicebantur olim esse de *domo regia*, ut causam hujus, suam quoque facerent. Vide Notit. præv. §. 22.

a) De his actum in Notit. præv. §. 10.

b) Consule Notit. præv. §. 23.

c) Abhinc enim nulla Tribuum memoria, sive apud domesticos, sive exteros scriptores, occurrit.

deret, limitibus *Marchiones*, qui postea *Comites limitanei* dicti sunt, præfecit. a) His additum speciale militum genus, *Speculatores*, b) & *Velaces*, dicti illi in omne, quod ab exteris imminebat, periculum intenti excubabant; istorum autem pars, eo intellecto, celeribus itineribus per vicinas provincias hostis famam divulgavit, c) pars vero jam ingruentem tam diu velitationibus detinebat, donec alii ad propulsandum periculum justo numero confluerent. d)

1001.

IV.

---

a) Principum, Marchionum, & Majorum exercitus nomina passim leguntur, in lib. de ritu explorandæ veritatis, &c. Centuriones & Decuriones memorat Decr. S. Ladislai l. 2. c. 17. & l. 3. c. 1.

b) Litt. Stephani V. an. 1269. & Car. Roberti an. 1328. patrio vocabulo, ut est Decr. I. 2. c. 17. memorato *Ewrii*, & sub Bela IV. *Székhelyti* dicti.

c) Litt. Ladislai Chuni an. 1283. Serius postea in morem loco invaluit mos, ut gladius cruentus per Comitatus circumferretur, quo signo admoniti, omnes armorum capaces in bellum proficisci debebant.

d) Nisi militia in hunc modum a Stephano fuisset instituta, vix potuisset tam subito militiam totius regni, Conrado II. Imp. opponere, ut Carthuitius l. cit. c. 4. testatur: *contra quem*

rex

IV. Vix dum hanc rei publicæ formam deſignáverat, cum res novæ ex Transſilvania afferebantur, quam Præfecti abhinc, quam *Tuhutumus* ab Arpado ei curandæ fiduciario jure erat præpoſitus, *a)* ſènſim inſtar patrimonii uſurpabant. Præfuit per id tempus provinciæ *Gyula* Stephani avunculus, qui partim religionis Chriſtianæ odio, partim *Cupæ* exemplo permotus, Hungariam infeſtabat. Fruſtra commonito, ut ab inferenda injuria deſiſteret, & Chriſtianæ religioni ſe pateretur initiari, ſine qua videbat nihil unquam pacati ex Transſilvania ſperari poſſe, bellum invitus obmovit, victumque cum uxore, & prolibus in Hungariam abduxit, & provinciæ partim lenitate, partim armorum metu ad fidem adductæ, Epiſcopum ad res ſacras, & ad civiles regio nomine curandas, Præfectum dedit. *b)* Bello hoc defunctus, aliud, quod noſtri

1002.

1003.

rex conſultum habens epiſcoporum, & Principum, ad tuendam patriam armatos totius Hung. extraxit.

a) Vid. Notit. præv. §. 17.

b) Ademar. Cabanen. *Stephanus autem rex Ungriæ bello appetens Ungriam nigram* (Tranſſilvaniam) *tam vi, quam amore ad fidem veritatis totam illam terram convertere meruit.* Provinciæ præfecti dicebantur olim *Vayvodæ*. Vetuſta documenta, ſed non ſatis certæ fidei hos

ſtri *Bulgaricum* vocant, re ipſa autem *Patcinaciticum* erat, contra *Keanum* gerere coactus eſt, quo feliciter quoque confecto, *Brunonem*
1004. epiſcopum Auguſtanum fratri Henrico Imperatori conciliavit, cujus gratia filium biennio
1007. poſt a *Giſela* editum, Henricum nominari voluit, Hungaris deinde ex uſu gentis Emericum dictum, pro quo munere ut ſe Deo gratum exhiberet, nam filios, quos ante ſuſtulit, in ipſa infantia amiſerat, *a*) ſtudium omne ad conſolidandam fidem Chriſtianam convertit, non
1008. ſolum epiſcopatus dotando, *b*) ſed accerſitis etiam aliunde Clericis, & monachis, quorum opera religio latius propagaretur, varia ſacerdotum Collegia, *c*) & cœnobia,

a)

---

hos produnt: *Kuteſt* an. 1080. *Kopulch* an. 1093. *Akuſtos* an. 1094. *Tabar* an. 1140. Non raro etiam filii, & fratres regum provinciæ præerant.

a) Carthuitius l. c. *Judicio æterni* — *quamdam examinationem in filiorum obitu ſibi ſenſit immittere verbera, quos in ipſis infantiæ gradibus infantes, quos dedit, abſtulit.*

b) Exſtant tabulæ fundationis de epiſcopatu Veſzprimien. an. 1008. de Quinque-eccleſienſi an. 1009. item Jaurinen. reliquorum nuſpiam hactenus repertas memini.

c) Capitulum Budenſe fertur an. 1011. condidiſſe, Romanum vero tit. S. Stephani Protomartyris 1012.

d) erigendo, quæ amplis fundis non minus, quam immunitatibus auxit. Incertum tamen, utrum religionis causa, quod nostri scriptores memorant, Romam profectionem susceperit, cum & Natio in fide nondum satis firmata, & recens instituta rei publicæ forma regis præsentiam domi magis necessariam fecerint, quam ut tam longinque a regno abesse posset. 1015.

V. Utrique enim, ne, si in principio remissior videretur, sensim defluerent, providendum erat. Jam ab obitu parentis usu compererat, quam arduum esset, ut populus tot linguarum, & diversæ indolis in societatem animorum conspiret, multaque universim Nationi ex crebris in hosticum procursionibus adhæsisse, quæ ipso tempore corroborata, vitiis continuum quasi fomentum dabant. Quare, 1016.

d) Abbatia Pécs-Varadie. alias de radice montis ferreì dicta, licet ante inchoata, primum an. 1015. finem accepit. Nec viris solum, sed feminis etiam cœnobia condiderat. Præcipuum erat in valle Veszprim, Græcis monialibus cultum. Diploma Græcum vide apud Pray in vita B. Margaritæ, Belæ IV. filiæ. Fuit autem eo tempore Græca Ecclesia Latinæ unita. Alterum in Diœc. Varadinensi, de *Tormova* vocatum, de quo Geisa I. an. 1075. in diplom. hæc: *In piscina, quæ Vojozer vocatur, dedi duas partes, nam pars tertia est Abbatissæ de Tormova in confinio Bihor civitatis,*

1016. re, ut his mature mederetur, conventum regni coegit, collatoque cum Episcopis, & Primatibus consilio, leges condidit, &, ne quis excusationi locus esset, per provincias vulgari fecit, *a*) quarum pars Ecclesiasticæ, pars vero civilis institutionis sunt. Illæ huc fere redeunt: ante omnia, ne religionis ministri alienis a proposito suo curis distinerentur, statuit, ut rex fundos Ecclesiis attributos ab aliorum rapacitate, tamquam suos, tueatur; horum invasores non solum sacris omnibus interdicti essent, sed indignationem quoque regis experirentur, tum si quis palatinalium regi consilium, eos ab Ecclesiis averruncandi, suggereret, confestim ab aulæ ministerio removeatur; Episcopi decimas rite perciperent, quas si quis pendere renuisset, nonam in mulctæ locum solvat: iidem populos sibi creditos secundum Ecclesiæ instituta regant, hi vicissim illis obtemperent, refractariis in or-

a) Sunt, qui leges has anno quidem 1016. conditas, sed primum an. 1035. vulgatas existiment. Non est autem credibile, regem prope finem vitæ tam necessarium formandæ rei publicæ institutum distulisse. Illud veri est simile, regem habito sæpius regni conventu, leges tempori opportunas sanxisse, quæ dein a compilatore, ut distortus materiarum ordo indicat, temere in unum confusæ fuerint.

ordinem cogendis Comites Paochiani auxilio sint, &, ne Ecclesiasticorum fama, nominisque existimatio, sacro ministerio apud gentem in fide novitiam pernecessaria, malevolorum obtrectationi pateat, nulli Laico testimonium adversus illos præbere fas sit; si quid tamen litigii inter hunc & Clericum intercederet, id judicio Ecclesiastico dirimatur. a) Hæc legum, quæ ad politiam, & immunitatem Ecclesiasticam spectant, summa erat, reliquæ vero, quæ ad morum disciplinam pertinent, & partim tempori, partim genio Nationis in principio accommodatæ erant, sero post penitus abolitæ, vel ab Ecclesia immutatæ fuere. b)

1016.

VI. Par in condendis civilibus studium, & curam posuit. In his ferendis nihil consultius ei visum, quam ut fundorum possessionem, quæ a prima terrarum partitione, c) instabilis erat, & fere Ducum arbitrio definiebatur, certa lege firmaret. Hac enim ratione futurum videbat, ut, quo quisque illius, quod publica sanctione cuique proprium fie-

 ret,

a) Decret. l. 2. c. 1. 2. 3. 12. & 52.

b) Hujusmodi illa l. 2. c. 28. fuit, quæ uxoribus, si mariti e regno fugissent, libertatem dat, cui vellent, nubendi, hanc contra maritis, si redissent, negat.

c) Recole, quæ in Notit. præv. §. 17. dicta sunt.

1016. ret, certior redditur, eo minus cupiditate in hosticum procurrendi ageretur, & arma ad communem salutem, ut suum, tamquam boni publici partem, tueatur, conversurus esset. Hac de causa inductus, petitioni senatus, qui Nationis interpres erat, consensit, a) ut quisque

a) Decr. l. 2. c. 35. *Consensimus igitur petitioni totius senatus, ut unusquisque dominetur propriorum, similiter & donorum regis, dum vivit, excepto, quod ad Episcopatum pertinet, & Comitatum, & post ejus vitam filii simili dominio succedant, nec pro nullius causa reatus, detrimentum bonorum suorum patiatur quis, nisi consiliatus mortem regis, aut traditionem regni fecerit, vel in alium fugerit provinciam, tunc vero bona illius in regiam veniant potestatem, filiis innocentibus remanentibus.* Facultas dominandi propriorum a rege concessa, necessario arguit, hanc prius non exstitisse, alioquin ridiculum fuisset, id sanctione publica concedere, quod jam antea cuivis proprium erat; quo fit, ut, quae prius possessa erant, feudum fuerint cum jure solum usufructuario. Quare cum rex monarchiam suam ad normam Augustorum instituerit, horum quoque morem imitatus, feuda, quae prius *vitalitia* erant, in *haereditaria* convertit, non abolito tamen feudi onere militiam profitendi, qui mos apud Francos labente seculo IX. in Germania se-

que eorum, ex quibus antea usumfructum habuerat, &, quæ dein a rege obtenturus esset, 1016.
tamquam rei propriæ posthac dominetur, eodemque jure filii parentibus succedant, nec ullus bonis privari unquam possit, nisi quis mortem regi machinatus fuerit, vel regnum proderet, aut in aliam provinciam fugeret, tum bona primum rursus in regiam potestatem, filiis tamen innoxiis, venirent. Atque hinc concessa Nobilibus proprietas possessionum hæreditaria, & statuta crimini læsæ majestatis, ac notæ infidelitatis pœna, originem habent. Quemadmodum autem utilitati non minus, quam securitati Nobilium, ut sibi eos magis obstrictos redderet, providit, ita fundis quoque regiis, & Ecclesiarum consulens, *regalium* proprietatem sibi immunem a) servatam voluit, vetuitque, ne quis inde quidquam surripere ausit, neve ullus favorem regis ad aliquid ex his obtinendum, importune aucupetur. b) Comites Castrorum proventibus regiis præfecti, siquid per fraudem ex his suum fecissent, non modo repetundarum damnati sunt, sed duplum quoque illius, quod in-

seculo X. sub Conrado I. alibique invaluit. Vid. Baluzium in *Missis Dominicis*. Du Cange art. *feudum*, *allodium* &c. in Glossar. medii ævi.

a) Confer Notit. præv. §. 17.

b) Decr. l. 2. c. 6.

1016. interverterant, reddere debebant. a) Ad hæc, ut animorum consensio inter regem, & subjectos, quo nullum fortius ad servandam rem publicam vinculum esse potest, firmior esset, assentatores, qui, versutis mendaciis ultro citroque diditis, id solvere niterentur, partim pecunia, partim lingua mulctari jussit. b) Atrox quidem pœna, qua tamen satis caveri non potuit, quin apertæ inter reges, & regum familiam, tum subjectos etiam crebro simultates, & ex his tristia subinde bella orirentur.

VII. Ne autem vitia impunitate latius in rem publicam manarent, leges pœnales pro varietate delictorum, præsertim homicidiis, & furtis, constituit. Utrumque enim hoc malum, postquam excursionibus in hosticum, &, quæ ex hoc referre solebant, spoliis, modus fuisset positus, pene in morem jam abierat, cum non deessent, qui jacturam hanc domi ex alieno sarcirent, & in servos suos cædibus grassarentur. Ab his igitur ut suos deterreret, quoniam religio Christiana nondum eis ita illuxerat, ut hujus ductu gravitatem illorum rite agnoscerent, severitate utendum censuit. Qui cædem imprudens patrasset, ne impunitas aliis exemplo esset, duodecim *pen-*

sas

a) Ibid. c. 42.

b) Ibid. c. 53. & 54.

ſas auri ſolvit, a) ſi liber ſervum e vita ſuſtulit, vel alium ſervum domino debuit reddere, vel lis depenſo precio transacta eſt, b) qui prudens, volensque necis auctor fuit, centum, & decem penſas auri ſolvere debebat, ex his quinquaginta fiſco regio obvenerant, decem cauſæ arbitris numeratæ, reliquum trucidati parentibus datum. c) Nonnihil mitius cum viris primi ordinis actum: Comes necem uxori inferens, quinquaginta, Nobiles vero decem, & plebejus quinque juvencis, mulctati ſunt. d) Poſtea tamen, cum hæc indulgentia infirmum frænum videretur, nulli, qui reus homicidii erat, veniæ locus datus, ſed mors dictata eſt: e) qui alterum membro mutilaſſet,

1016.

a) Ibid. c. 13. In quem locum editor Codicis juris patrii hæc addit: *penſa dicitur fuiſſe numus aureus denariorum* 40. alii malunt *penſam* auri eſſe unciam, quemadmodum *penſam* argenti. Si autem penſa auri ſit æqualis unciæ, non unus numus aureus, ſed plures uni unciæ reſpondent.

b) Decr. l. 2. c. 13.

c) Ibid. c. 16.

d) Ibid. c. 14.

e) Ibid. c. 46. vel ex hoc loco patet, Decreti l. 2. ex pluribus diverſo tempore habitis regni conventibus compilatum fuiſſe, nec enim veriſimile eſt, eidem crimini in eodem conventu tam

set, pœnam talionis subiit, a) si evaginato
1016. gladio alium vulnerasset, etsi vulneratus consanatus fuisset, integram homicidii pœnam, si nullum vulnus inflixit, dimidiam luit. b) Furtum universe gravissime vetitum: mulier semel, iterumque id patrans, a marito redimenda fuit, si tertium id commisisset, venumdanda, servi & rem sublatam reddere, & quinque juvencos addere debebant, si neutrum præstare possent, nasum, si rursus patrassent furtum, aures, si tertium, vitam amisere. c) Liberi contra, si damnum ex furto ortum ære non poterant pensare, venumdati sunt, si post eodem crimine tenerentur, iisdem, quibus servi, pœnis scelus luebant. d) Hæ fere sunt leges, quas plectendis criminibus, bono reipublicæ idoneas existimabat. Crudæ quidem illæ primo obtutu videri possunt, sed si quis temporis illius rationem habeat, si præterea indolem gentis cum novella religionis plantatione volet contendere, ita necessarias fuisse fateri cogetur, ut tunc nihil magis

---

tam diversas pœnas fuisse dictatas, ut nihil dicam, quantopere sacra profanis sine omni nexu permixta sint.

a) Decr. l. 2. c. 47.

b) Ibid. c. 48. 49.

c) Ibid. c. 39.

d) Ibid. c. 41.

gis opportunum condi potuerit, *a*) quæ ipſæ tamen ſerius poſtea ſecundum eam fere ratio- 1016.
nem, qua religio majora ſenſim incrementa ſumſerat, & morum cultura ab Aſiatica conſuetudine receſsit, etiam mitigatæ fuere. *b*)

VIII. Ut legum obſervantia ſuos coercitos voluit, ita non minorem mancipiorum curam habendam eſſe exiſtimabat. Conſtituta enim utcunque jam religione, indignum cenſuit, ut captivi Chriſtiani, qui olim ex variis Europæ nationibus bello capti erant, inter mancipia cenſerentur. Libera dominorum in eorum vitam poteſtas jam lege quidem conſtricta erat, ſed cum durius tamen haberentur, quam ipſa ceteroqui humanitas ſineret, rationes ſecum inibat, ut hac quoque parte tolerabiliorem vitæ conditionem eis reddat. In libertatem penitus aſſerere, poſtquam cuique rerum ſuarum proprietatem decreverat, & divitiæ plerorumque in captivorum numero conſiſterent,

a) Hæc ſi D. Sacy *hiſt. générale de Hongrie* T. I. pag. 362. perpendiſſet, non has velut injuſtas, abſurdas, & contradictionum plenas judicaſſet, quarum fere plerasque in Capitularibus regum Francorum, alibique reperire poterat. Sed ſcriptor hic, dum vetera ad ſui temporis mores exigit, Hungariam nobis exhibet, qualis eſſe potuerit, non item qualis fuerit.

b) Compilator Decreti regis Colomanni in exordio.

rent, nec æquum, nec consultum videbatur. Itaque, ne possessores de damno, injuriave queri
1016. possent, omnes, quos quidem nancisci poterat, iis solum, qui Ecclesiarum servitio addicti erant, exceptis, numerato precio redemit, servisque suis *conditionariis*, a) accensuit, addita rerum, quas sibi extra servitii tempus, industria sua compararent, proprietate, unde æs colligere, & se in libertatem asserere aliquando possent. Precium redemtionis, conjugato cum prolibus, centum, cælibi autem, viginti quatuor Byzancii, b) constitutum fuit, poterat tamen horum defectus diuturniore servitio compensari, c) addidit deinde legem, qua vetuit, quemquam liberum posthac in servitutem redigi. d) Reliquorum, qui Christiani

---

a) Confer Notit. præv. §. 24.

b) Moneta aurea Græcis usurpata, quæ nomen ab eo Imp. cujus effigiem referebat, obtinuit. Occurrit crebro apud nos in vetustis chartis emtionum, & venditionum. Nondum enim apud nos eo tempore moneta aurea regum in usu erat.

c) Chronic. Simonis de Keza circa finem, ubi de *Udvornicis* agit.

d) Decr. l. 2. c. 20. *Quoniam igitur Deo dignum, est, & hominibus optimum, unumquemque in suæ industriæ libertate vitæ cursum ducere, secundum regale decretum statutum est, ut*

ani non erant, & Nobilibus obnoxii, ſors erat deterior, qui perpetuam ſervitutem cum futura generatione ſervire cogebantur, mitius tamen hi quoque habiti, poſtquam religioni Chriſtianæ initiati fuiſſent.

IX. Non minor ei advenarum cura fuit, 1017. inter quos etiam regii ſanguinis Principes, Edmundus, & Eduardus, Angliæ regis filii, erant, quos, cæſo a Danis eorum patre, in Sueciam primum, poſtea in Hungariam delapſos benigne accepit, & deſponſa quoque Edmundo filia ſua, inſtar filiorum liberaliter habuit. *a)* Qua benevolentia multi ex Italia, Germania, aliisque Nationibus, qui omiſſo 1019. maritimo itinere, Stephani indultu, per Hungariam alias profecti in Palæſtinam *b)* erant, uber-

ut nemo Comitum, vel militum poſthac aliquam liberam perſonam ſervituti ſubdere audeat, &c.

a) Aelredus apud hagiogr. Tom. III. SS. menſis Junii ad diem 16. Bromptonus, ſcriptores coævi.

b) Horum exemplo etiam Hungari ſacra loca frequentare cœperunt, quorum gratia Conſtantinopoli Eccleſiam rebus neceſſariis proviſam, & Jeroſolymis quoque addito cœnobio fundavit, quemadmodum eadem de cauſa Romæ collegium XII. Canonicorum exſtruxerat. De Jeroſolymitano vide documentum apud Pray Diſſert. de S. Stephano rege. pag. 148.

ubertate soli, & regis liberalitate allecti, in regno domicilium figere cupiebant. Gratum
1019. id erat Stephano, & rebus suis opportunum, quod hac ratione non solum accessio ad populum, crebris in hosticum procursionibus alioquin diminutum, fieret, sed sensim etiam artes *a*) aliunde regno inveherentur. Itaque sponte advenientes benevole accepit, & ab aliis jussit hospitaliter haberi: *b*) his, qui ingenuis artibus, vel opificiis, & mercatui dediti erant, locum in villis, quae castris adsitae, & regii juris erant, *c*) tribuit, qui autem militia, cujuscunque Nationis essent, inclaruerant, apud se retinebat, cum ad aulae splendorem maxime pertinere arbitraretur, si

a) Artificum hujus temporis memoria passim occurrit in tabulis sacrarum fundationum, praecipue aurificum, quorum opera calices, aliaque sacra vasa, quae cultui divino destinata erant, ex auro, & argento confecta legimus. Pannorum subtilium ipse rex in donatione coenobio S. Adriani de Szala facta mentionem facit: mercatum autem produnt vestes sacrae Ecclesiarum gemmis & unionibus turgentes, credo, Venetorum opera, qui tunc fere soli mercatu orientali florebant, allatos, etsi aliqui suspicentur non vane, olim etiam in quibusdam Hung. lacubus uniones repertos fuisse.

b) Decret. l. 2. c. 22.

c) Recole, quae in Notit. praev. §. 34. dicta sunt.

ſi plures, ut linguis, ita conſuetudinibus, & genere armorum, horumque tractatione diverſos in regno ſuo haberet, quorum exemplo, crebroque cum aliis uſu, ſuos exteris magis ſociales redderet, eorum vero, qui Nationem ob relicta olim apud ſe hoſtilia monumenta, odio, & deſpicatui habebant, arrogantiam reprimeret, & inveteratam de Hungarorum ferocia opinionem, animis eorum paulatim eximeret. Reliquos, qui ex vulgo, & majore numero adveniſſent, reique agrariæ, ac ruralium negotiorum gnari erant, in vaſtis, & infrequentibus provinciis collocavit. Regina mariti exemplum imitata, ipſa quoque colonias ex Germania in Hungariam deduxit, *a)* & in promovenda religione nil inferior rege, qui per idem tempus familiæ divi Benedicti cœnobium de Szala, amplis fundis dotatum, condiderat, *b)* ſuam in ornandis, & locupletandis Eccleſiis munificentiam exeruit. Ita utriusque ſtudio regnum populo auctum, religio latius firmari cœpta, invecta artium, & mercimonii notitia, & uſus, pro-

1019.

a) Teſte Andrea II. in litt. an. 1230. *quod nos — hoſpitibus Teutonicis de Zatthmar Némethy, — qui ſe dicebant, in fide dominæ reginæ Keyslæ ad Hungariam conveniſſe, talem dedimus — libertatem* &c.

b) Katona hiſt. regg. Hung. Tom. I, pag. 313.

propagata agricultura, & Natio, advenarum consuetudine, sensim ad civilem Europaeorum, antiquata, quam ex Asia attulerat, institutionem traducta fuit.

1020. X. Coordinato in hunc modum, legibusque firmato regno, filium Emericum jam in adolescentia progressum, quem hæredem unicum habebat, sensim, ut regimini idoneum redderet, formare cœpit; permultum enim referre existimabat, ut successorem, qui suis vestigiis inhærens, ea, quæ ipse hactenus operose cœperat, eodem studio pertenderet, post se relinquat. Ante omnia igitur, quoniam religioni adhuc teneræ consultum quam maxime cupiebat, amorem fidei Catholicæ, ejusque, quantum in se esset, incrementum ut procuraret, tum episcopis, qui fidei quædam quasi columnæ sunt, debitum honorem impendat, hortatus est, voluitque inprimis, ne eorum, qui ab Ecclesia Catholica dissident, consiliis, quibus nova Ecclesiæ plebs a pietatis cultu defluere, vel dissipari posset, memor exempli paterni, aures unquam præbeat, persuaderetque sibi, religionem illud esse vinculum, quod subjectos firmissimo nexu cum imperante connectit. Et, quia regni salus non solum religione, & potentia, sed salubribus etiam consiliis, tamquam suis fulcris initur, suasit, ut, memor se ejusdem cum iis, quibus præfuturus esset, humanæ conditionis esse, Principum, Baronum, Comitum ac Nobilium, quorum

rum sit, regem, & regnum contra quosvis hostes tueri, animos conciliet, & patrum, fratrumque loco habeat, quæ seniores darent, præferret consiliis juniorum, tametsi nec horum, si usus ferret, & rebus opportuna essent, aspernanda censeret, jus omnibus sine partium studio, & ex æquitatis legibus diceret, denique universim meminisset, ne suis superbe imperitaret, nec quemquam servi nomine compellet, vel in servitutem redigat. Ad hæc, exterorum quoque, si in regnum venirent, peculiarem curam haberet, quorum consuetudo, armorum peritia, artesque regno non solum ornamento, sed utilitati etiam essent, proinde id præcipue daret operam, ut regnum novis semper hominum accessionibus augeret. *a*) 1020.

XI. Imbuto his documentis filio, sponsam sensim parare, & aliunde deligere constituit, ut vicinorum parentela, regnum ab exterorum incursionibus tutum ei relinqueret, essetque ab obitu suo, qui moris paterni tenax, designatam ab se regni constitutionem, & novitiam religionem, sanguinis nexu exteris illigatus, conservare, ac tueri posset. A Germania quidem, quod Henrico cognatione 1021.

a) Hæc toto Decreti libro 1. qui potius liber monitorum ad filium, quam Decretum, dicendus est, uberius persequitur.

junctus, & Adelhais a) ex forore fua, Ducis Venetorum conjuge neptis, Adalberto Auftriæ duci, hoc anno nuptui locata effet, b) nihil inimicum hac parte metuendum videbat, cum
1024. repente mors Imperatoris Henrici intervenit. Itaque cum ob hanc caufam, tum quod non pauca, quæ ad ftabiliendam religionem cœperat, perficienda effent, altero abhinc anno, de conjuge filio decernenda, deliberationem refumfit.
1026. Lecta eft virgo ex regali profapia, Petri Crefcimiri, Croatorum regis filia, moribus fponfo fimillima. c) Qua conjunctione non folum vicinæ gentis amicitiam fibi, regnoque conciliaverat, fed fpem quoque optimam pofteritatis fuæ concepit. Verum Emericus, quamquam ducta uxore morem patri gefferit, quia tamen eo imprudente voto caftimoniæ fe olim obftrinxerat, d) non invita, quod poft mortem cognitum eft, conjuge, thorum illibatum fervavit, exemplum Henrici Im-

a) Alii *Froizam* dicunt; verifimiliter ex vetufto Germanico *Fronwe* domina, nomen proprium effingentes.

b) Aloldus ad h. an.

c) Joan. Tomco Marnavicsius in fœcunditate fanctitatis Illyricianæ pag. 231. fe ad monumenta Dalmatica refert, quæ fi promififfet, forte aliis etiam rebus lucem allatura erant.

d) Biograph. S. Emerici apud Pray Differt. de S. Emerico. p. 92.

Imperatoris, avunculi sui, ut credibile est, imitatus. Hoc uno spem patris, & Nationis, juvenis cetera moriger, & a quo optima quæque exspectari poterant, frustratus est.

XII. Hactenus, quod pari cum Germanis, Græcis, & Polonis studio pacem coluerit, omnia inde a Transsilvanico bello regi pacata fuere, & tempus coordinando regno impensum, at utroque tam occidentis, quam orientis Imperatoribus, & Boleslao Polonorum rege, defunctis, quies paulum post intercepta fuit. Occasionem præbuere, qui per Hungariam magno numero Jerosolymam proficisci solebant, quos Stephanus, cum inter hos etiam ex sacro, & profano ordine primarii viri essent, honorifice acceptos, muneribusque donatos, a se dimisit. a) Hac ejus liberalitate dum plures allecti idem iter frequentarent, Bajoarii specie peregrinationis usi, limites Hungariæ populari cœperant, quibus rex vicissim, militia Bavariæ immissa, talionem reddi jussit. Hæc prima, sed a Bavaris data belli instantis causa erat. b) Mox altera a Werinhario Argentino episcopo, quem Conradus Imperator Constantinopolim legaverat, oblata fuit. Cum enim is simulato Jerosolymam itinere, missionis suæ causam te-

1027.

1028.

a) Ademarus in Chron. ad h. an.

b) Wippo scriptor synchronus in vita Conradi Salici.

tegeret, & majore numero, quam ceteroqui
1028. Legatis mos sit, in Hungariam veniret, Stephanus, seu vereretur, ne Conradus adversum se apud Romanum Argyrum, qui Basilio interea successerat, aliquid moliretur, sive metueret, ne tantus comitatus, qui castrorum fere speciem referebat, exemplo Bavarorum, hostilitatem in regno exerceret, Legatum, quod nulli oratorum hacteaus fecerat, porro proficisci vetuit. a) Hac repulsa Conradus
1029. suam dignitatem læsam ratus, contemtum bello vindicare statuit. b) Itaque, ut primum a Ro-

a) Idem ibid.

b) Aloldus, Bavariæ hæreditandæ causa bellum utrinque exortum esse ipdtat, quasi Stephanus pro filio suo Emerico Bavariam repetierit, quod erroneum esse constat ex Adelboldo Trajectensi episcopo, qui Bavariam eo tempore non successionis, sed electionis jure gubernari solitam perhibeat. Alii contra malunt mortuo Bavarorum Duce, Emericum nostrum quorumdam Procerum suffragiis, Brunone Augustano episcopo subornante, electum fuisse. Id minus credibile est. Cum enim præter Emericum alius Hungariæ necessarius hæres non superesset, Germani autem Bavariam Hungariæ nunquam conjungi passuri fuerint, inanis ea electio, constitutionibus Imperii Germanici adversa, & Hungariæ ob continua, quæ obmovenda erant, bella, etiam noxia erat futura.

Romano itinere Ratisbonam rediit, facto necessario apparatu, copias sequente anno Hungariæ infudit, vastitatem ad Arrabonem fluvium circumferens. Neque Stephanus ad arcendum hostem moratus, contractis universis copiis, & indictis toti regno supplicationibus, ac jejunio, a) Imperatori obviam profectus est, qui cum ob densos saltus, & fluvios ultro progredi non posset, incendiis late grassatus, spoliisque onustus in Germaniam rediit. Stephanus, qui sua solum tueri, non aliena impetere, cupiebat, receptu Imperatoris usus, maluit hostem amica compositione sibi conciliare, quam armis lacessere. Qua de causa Legatos ad eum misit, quo absente, & inscio, Henricus ejus filius, ex Principum Germaniæ consulto, pacem cum rege confecit. b) Quæ conditiones fuerint, incertum est, verisimile tamen, regem ea parte Austriæ, quam Geisa illius pater adhuc tenebat, c) limite ad *Hornsteinium* d) constituto, decessisse, magis e re publica, & commodo Hungariæ futurum ratus, id, quod considerata Imperii Germanici ditionum constitutione, 1030.

 ali-

a) Wippo l. c.

b) Carthuitius in vita S. Stephani. c. 4.

c) Recole ea, quæ in Notit. præv. §. 16. de præcipua parte Austriæ dicta sunt.

d) Ibid. de limite *Zorukew* per S. Stephanum constituto.

aliquando reddendum erat, amitti, quam regnum, quod ad sui stabilitionem durabili pace egebat, continuis vicinorum infestationibus objici.

1031. XIII. Bello hoc defunctus, regno se abdicare, hujusque administrationem in filium transferre cogitabat, a) ut eum sub suo ducatu sensim regimini aptaret, videretque, qua ratione institutis suis, & paternis vestigiis olim inhaesurus esset, cum optimi parentis destinationem mors filii, IV. Nonas Septembris, b) intercepit. Non poterat regi, dum spem posteritatis suae in illo sibi succisam vidit, magis acerbum vulnus infligi, ex quo moerorem animi, pauloque post, cum ceteroquin jam antea valetudo ejus tentaretur, etiam morbum contraxit. Accesserat praeterea solicitudo de successore, cujus fidei, ac prudentiae religionem, quae nondum satis firmas in gente radices egerat, & qui regnum iis institutionibus, quibus filium informaverat, regeret, satis tuto posset committere. Supererant plures regii sanguinis Prin-

a) Thurocz. P. II. c. 33. & Dandulus apud Muratorium scriptor. rer. Ital. Tom. XII. pag. 234. *Multis nationibus subjugatis, cogitavit renunciare seculo, & filio Almerico, aeque litterato, & sancto committere gubernacula regni.*

b) Hunc annum emortualem Chron. Hildesheimense, aliique, diem autem Calendarium Missal. initiantis seculi XIII. notant.

Principes, *Vazul*, seu Basilius, Michaele, Geisæ Ducis fratre, natus, tum ex patruo Ladislao Calvo filii, *Andreas*, *Bela*, seu *Adalbertus*, &, ut non nullis videtur, *Leventa*, a) ac denique *Petrus* ex sorore nepos. Quem ex his deligeret, concitis episcopis, & regni Primatibus consultabat. *Basilius*, quem ob licentiorem vitam, Nitriæ in custodia tenebat, nec firmandæ religioni, nec sustinendis regni curis idoneus, ceteris autem *Petrus*, quod regi nexu sanguinis propior, & in regione dudum ad religionem Christianam traducta, natus, & educatus esset, præferendus videbatur. b) Hunc igitur ad se evocatum, militiæ præ- 1031.

a) Hoc nomine rex Andreas fratrem suum in dipl. anni 1056. compellat: *ego autem Andreas rex, & frater meus Dux Adalbertus — prædictas ordinationes suscipimus, & fieri permisimus* &c.

a) Sunt enim, qui hunc cum Bela eundem esse putent. Certe Aloldus illius temporis scriptor, Andreæ semper *Leventam* conjungit, Belam vero nuspiam memorat, quem Albericus monachus, quoties illius meminit, semper *pugilem* vocat. Sic ad an. 1061. *in Hungaria regnauit Bela pugil, annis quatuor*, & ad an. 1078. *in Hungaria regnavit S. Ladislaus Belæ pugilis filius*. Vox enim *lebentare* medio ævo significabat *prosternere*, Hungaris etiam olim usitata. Vid. Pray Differt. de S. Ladislao pag. 102.

præfecit, quo certiorem & regni possessionem, & mores Nationis paulatim familiares redderet.

1032. XIV. Filium non multo post consequuta est mater Gisela, regis soror, Ottoni Venetorum Duci olim nupta, sed ob seditionem populi in exilium acto, & Constantinopoli defuncto in Hungariam ad fratrem reversa. *a*)

Ab

---

108. Sunt etiam Turcis Luctatores, quos *Leventi* vocant. Conf. Nicolai de Nicolays, les navigations, peregrinations &c. en la Turquie &c. Antverp. 1577. pag. 161.

a) Conjecturæ hujus, nec enim aliud est, æquum est, ut rationem reddam. De matrimonio inter Giselam, regis sororem, & Ottonem Venetorum Ducem, & de hoc per seditionem in exilium acto, scriptores Veneti, Dandulus, & Laurentius de Monacis, consentiunt, iidem Constantinopoli illum obiisse memorant. Itaque huc illum cum familia, quid enim exulis uxor inter mariti inimicos faceret? venisse certum est. Frater illius Joannes, uxorem habebat Basilii Imp. neptem, Argyropoli Patricii filiam, qui Ottonem, ut Sagorinus scriptor coævus in Chron. Veneto, pag. 113. memorat, Constantinopoli olim liberaliter habuit, & muneribus donatum a se dimisit. Apud hunc igitur tutum cum familia perfugium obtinuit, eodem hoc agente Imperator Romanus Argyrus apud Vene-

Ab hujus adventu Proceres in partes distrahi cœpere, quorum contrariæ molitiones etiam eos, 1032.

---

netos effecit, ut Otto ab exilio revocaretur; sed ante, quam Legati pro eo reducendo adessent, obiit. Mortuo marito, quo vidua, & Hungara, se conferret, nisi in Hungariam, ubi fratrem regem, filium militiæ Præfectum, & in vicinia Austriæ Marchionem generum habebat? Hæc sola ratio superest, qua domestici scriptores cum exteris, qui tam contraria de Gisela regina narrant, conciliari possint. Illi hanc, quam alias a pietate laudant, in cognatos regios sæviisse Petri causa referunt, hi contra, ut Hermann. Contractus scriptor synchronus, *pietatis operibus intentam*, & Bergomensis, *in Hungaria consenuisse*, perhibent. Dissentit autem Albericus monachus, cujus hæc sunt: *sed illa Gisela regina, ut dicunt, multas malitias in terra illa* (Hungaria) *fecit, & extremum post mortem S. regis, meritis exigentibus, interfecta fuit.* Quæ cum uni, eidemque personæ convenire non possint, duæ Giselæ secernendæ sunt, una, quæ *piis operibus intenta consenuit in Hungaria*, altera, quæ *ob multas malitias interfecta est*, illam Stephani conjugem, hanc vero ejus sororem fuisse oportuit, quæ filii causa, ut ei regnum firmaret, in Vazulem, & regios cognatos sævierit, illa nullam sæviendi causam habuit, parum enim illius

post

eos, qui ex familia regia spem successionis
1032. habebant, pene in exitium adduxerant. Pars enim illorum, qui Petrum velut exterum aversabantur, Basilio, pars contra voluntati regis obsequuti, Petro studebant. His mater istius se conjunxerat, quae, ut filii aemulum regimini ineptum redderet, emta perfidorum opera, illum oculis privari jussit. Nec deerant e palatinalibus, qui, incertum, a quo, & qua de causa subornati, regis ex morbo decumbentis vitae insidiarentur. Forte atrox facinus etiam perpetratum fuisset, nisi is, qui id in se receperat, dum ingruentibus tenebris cubile regium subiit, gladio in terram prolapso proditus esset. Deprehensus in attentato scelere procidit in genua, detectisque complicibus veniam rogavit, & impetravit. Ex ceteris habita quaestione, poena sumta est.
1033. *a)* Regis periculum, & occoecatus Basilius, reliquos regiae familiae cognatos admonuit, ut securitati suae consulerent. Andreas igitur cum fratre suo, ne impotentis feminae ambitioni occasionem in se quoque saeviendi praeberent, conscio, aut suadente Stephano, in Po-

post Emerici filii mortem intererat, Petrusne, an alter regii sanguinis Princeps regno potiatur. Vide Pray Differt. de S. Ladislao pag. 130. & Dan. Cornides, genealog. regum Hung. pag. 299.

a) Carthuitius l. c. c. 5.

Poloniam ad Regem Miecislaum se subduxerant, qui cum per id tempus expeditionem in Pomeranos defectionem molientes pararet, Bela, ut erat præ fratre suo armorum cupidior, se eidem adjunxit, & Duce Pomeranorum, singulari certamine cum eo congressus, interfecto, plurimum momenti ad victoriam contulit, præmiumque fortitudinis, filiam regis *Richezam*, addita Pomerania, obtinuit, matrem olim duorum Hungariæ regum, Geisæ, & Ladislai, futuram. Inde Bela ob militarem virtutem, ex qua ei *Pugilis* nomen *a*) inditum, magni apud Polonos præ Andrea fieri, qui laudem fratris natu minoris suam vilipensionem interpretatus, in Russiam, matre enim Russa uterque prognati erant, secessit. *b*) 1033.

XIV. Interea autem, dum illi apud exteros perfugium quærunt, Stephano domi bellum cum *Achtumo* obortum fuit. Præerat is pla- 1034.

a) Jam supra memoratum est ex Aloldo synchrono, & Alberico monacho, Belæ, jam *Pugilis*, jam *Leventæ* cognomen promiscue datum fuisse, hinc verisimiliter factum, ut posterioris ævi scriptores, *Leventam* a Bela distinxerint. De filia regis Poloniæ, ei in conjugium data, Thurocz P. II. Chron. c. 38. Cromerus hist. Pol. l. 3. & Schier regin. Hung. pag. 64. memorant.

b) Thurocz. l. c.

1034. plagæ illi, quæ, a Tibisco in Valachiam ultra *Severinum* porrigitur, & cujus pars hodiernum *Banatum* Temesiensem efficit. Qui postquam baptismum *Vidini*, Græcum ritum sequutus, susceperat, paulatim imperium cum suis detrectare cœpit. Rex veritus, ne ob vicinam Græcanici Imperii, ea pars sensim a regno avellatur, neve hanc refractarius ob fidei communionem sibi asserens in clientelam Græcorum concederet, ad obedientiam revocandum censuit, non tam religionis caussa, hanc enim ut repererat, jure civitatis frui permisit, quam ut jus in eam ditionem a Majoribus suis aquisitum *a*) tueretur. Missis igitur copiis, resistere ausum instaurato prælio vicit, quo in pugna cæso, & pacata provincia, episcopatum in urbe *Morisena*, hodie *Csanadinum* dicunt, quemadmodum dudum

1035. ante animo conceperat, erexit, *b*) eique Gerardum, quem Venetiis olim appulsum, ob præclaras virtutes, filio suo Emerico modera-

ra-

c) Porphyrogen. de administr. Imp. c. 40. Belæ Notarius c. 57. & S. Gerardi biograph. his verbis: *serviebat namque eidem viro* (Achtuno) *terra a fluvio Keres, usque ad partes Transsilvanas, & usque in Budin, & Zeren.* Recole dicta in Notit. præv. §. 16. Nam ab eo tempore ad Stephani ætatem, nemo memorat, hanc partem ditionum ab Hung. avulsam esse.

d) Biogr. S. Gerardi c. 8. &. 11.

ratorem quondam dederat, eique ſedi jam alias deſignaverat, præfecit. *a*). Abhinc regem ægritudo animi, quam ex filii morte contraxerat, & diuturnus corporis languor tribus reliquis vitæ annis, continenter fere lecto affixerat, nec tamen propterea quidquam eorum, quæ ſeu ad civilem, ſeu ſacram rem publicam pertinere videbantur, intermiſit, *b*) poſtremo, ubi mortem ſibi ſenſit inſtare, convocatis ad ſe epiſcopis, & Magnatibus, quos præ ceteris religioni addictos norat, Petrum, nepotem ſuum, regni ſucceſſorem declaravit, *c*) gravique oratione eos cohortatus eſt, ut, ſi regnum ſalvum cuperent, ante omnia fidem Chriſtianam auctoritate ſua, qua in vulgus plurimum valerent, tuerentur, tum inſtitutorum 1035.

---

a) Idem. ibid. Ceterum de victo Achtuno, & erecto Csanadien. epiſcopatu certa chronotaxis figi non poteſt, id unum ex biographo videtur poſſe effici, utrumque ad poſtremos regis vitæ annos referendum eſſe.

b) Anno enim 1036. Hungaris Romam peregrinaturis hoſpitium Ravennæ erexit. Apud Katona hiſt. reg. Tom. I. pag. 432. Anno 1037. Cœnobium Bakonbeelienſe. Vide Pray Diſſert. de dextra S. Stephani. pag. 145.

c) Chron. Mellicenſe. *Primum tractavit de ſubſtituendo rege pro ſe, Petro videlicet, ſororis ſuæ filio, quem in Venetia genitum ad ſe vocatum, jam dudum exercitui ſuo præfecerat Ducem &c.*

rum suorum, quae alterum servandi regni fulcrum essent, memores, ea instar depositi fideliter custodirent, positisque partium studiis mutuam inter se, & cum advenis concordiam alerent, universe autem populo justitiam, quam ipse post religionem, inter regiminis curas primo semper loco habuisset, secundum aequitatis leges administrarent. Obiit
1038. XVIII. Kalendis Septembris, Albae regiae in condita ab se Divae Virginis Ecclesia, magno omnium luctu, & totius regni concursu tumulo illatus.

Inter reges sui temporis, qui populis, diuturna consuetudine, jureque pactorum inter se jam antea conjunctis, praeerant, unicus, qui conditoris monarchiae, & Legislatoris nomen obtinuit. Huic Hungaria debet, quod sensim reliquis Europae regnis nexu politico jungeretur, gens autem ipsa moribus, lingua, cultu, religione, habituque a ceteris diversa, & a primo sui ex Asia adventu ob crebras hostilitates aliorum provinciis illatas, fere exosa, detersis gentilibus naevis, & temperata armorum ferocia, exteris Nationibus paulatim socialis fieret. Huic illud etiam acceptum referre debet, quod, ut erat Princeps natura perspicax, in rebus deliberandis mirae prudentiae, & in statuendis providus, in semel constitutis autem firmus, constansque, eam regno, perlatis legibus, formam dederit, ut singula civium membra, licet certis limiti-

tibus discreta, justo tamen inter se æquilibrio, cum imperante connexa, personarum, & re- 1039.
rum securitatem, domi, forisque, mutua opera sibi præstarent. Hanc ille normam posteris, tamquam hæredium, reliquit, a qua quoties deinde recessum est, toties quoque æquilibritatem turbari, &, hac turbata, subjectos inter se, & cum regibus, certo semper rei publicæ detrimento, collidi, necesse fuit.



PETRUS.

Ab anno 1038. — 1041.

1038. I. Stephano non invitis quidem regni Ordinibus successerat, sed nec ea, qua ille, rerum gerendarum prudentia, nec in suos auctoritate, animique moderatione præditus, patuitque confestim in principio, quam male exspectationi de se conceptæ responsurus esset. Giselam enim defuncti viduam, quam Optimates ei consiliorum moderatricem adjunxerant, *a*) vixdum elapso ab obitu mariti
1039. anno, illiberaliter habitam, in custodiam dedit. *b*) Proceres indignum facinus execrati, regem officii, & episcopi datæ fidei, admonuere. Obsurduit ad hæc ille, a Budone quodam, e palatinalium numero, subornatus, quod ut ab iis cognitum est, & rex pœnam ex eo se-

a) Joan. de Gvercse, apud Kerchelics Notit. Prælimin. Dalmatiæ. &c. pag. 101.

b) Brunerus annal. Boic. P. II. l. 5. ex Chronico Altahensi. Si conjectura, quam supra de Gisela Petri matre depromsi, locum habet, credibile est, hanc præcipue in causa fuisse, cur vidua Stephani in custodiam daretur; quod existimaret, sibi, velut defuncti regis sorori, & Hungaræ, jureque materno magis competere, ut filio in administratione regni adjutrix esset.

ſumere negligeret, aſſentatorem fruſtillatim concidunt, & viduam reginam in libertatem vindicant, quæ, ne inter regem & ſubjectos porro diſsidii occaſio daretur, vitam deinceps privatam agens, piisque operibus intenta, conſenuit, a) ab obitu Veſzprimii condita. b)

1040. II. Diſsimulatione hac, quam in ſumenda pœna, alieno plane tempore, & irritatis animis, adhibuerat, autoritas regia paulatim minui, mox, cum inſtitutorum Stephani, qui exteros quidem benigne haberi, ſuos non item contemni voluit, immemor, alienigenas domeſticis in publica rerum adminiſtratione, præferret, etiam vilipendi cœpit. Acceſsit paulum poſt ad contemtum dignitatis regiæ etiam odium in perſonam conceptum, quod contraria omnia moribus Stephani illum agere viderent, ejusque, ac familiarium ſuorum vagam libidinem averſarentur, ut adeo ſenſim exacerbati, de eo exauctorando conſilia inter ſe conferrent. Id ille ſubodoratus, ſtudia

a) Hermanus Contractus. *Hujus* (Henrici Imp.) *ſoror Giſela, Stephano regi Ungarorum — in conjugium data, eleemoſynis, ceterisque bonis operibus inibi intenta, conſenuit.*

b) Teſte lapide ſepulcrali apud Pray Diatribe in Diſſert. de S. Ladislao rege &c. pag. 124. Fabulæ proximum eſt, Paſſavii Abbatiſſam ſanctimonialium fuiſſe. Id. ibid. pag. 168. — 210.

dia illorum alio avertere cogitans, copias, ut Bretislao Bohemiæ Duci, contra Henricum Imperatorem, auxilio esset, & militiam prædarum spe, sibi conciliaret, in Noricum duxit. *a*) Interea autem Optimates absentia ejus usi, *Abam*, qui Stephani sororem in conjugio habebat, regem optarunt, cui cum Petrus ab expeditione redux, impar resistendo
1041. esset, ad Henricum Imperatorem, precariam opem quæsiturus, confugere statuit, cui, studio affinis sui, Alberti Austriæ Ducis, conciliatus est. *b*)

SA-

a) Hermann. Contractus ad hunc an. & Hildesheimenses annal. ad seq.

b) Hermann. Contract. *Primo ad Marchionem Adalbertum, sororis suæ maritum profugus venit, indeque ad regem Henricum veniens, pedibusque ejus provolutus veniam, & gratiam imploravit, & impetravit.*

SAMUEL, alias ABA.

Ab anno 1041 ad 1044.

I. Henricus, Petri ſortem miſeratus, & gratiam pro maleficio referens, ſuppetias, quamprimum bello Bohemico defunctus eſſet, ſe ei laturum ſpoponderat. Samuel vero, qui, quid in Germania Petrus moliretur, non ignorabat, non tam in eo erat, ut ſibi poſſeſsionem regni apud ſuos firmaret, hoſtemque, ſi quid moveret, poſitis opportune ad limites præſidiis, aditu prohiberet, quam inconſulto propoſito, bellum in Auſtriam traduceret. 1041.
Conſilium, ut temere, & ad irritandum hoſtem cœptum eſt, ita exitum quoque infelicem habuit. *a)* Ex hoſtico magna ſuorum jactura rejectus, multum de exiſtimatione nominis domi amiſit. Inde ſenſim tepere, avertique multorum ab eo animi, quod non ſolum in Petri fautores, ſed primores etiam gentis, quorum potentia ſe de ſolio deturbari metuebat, crudeliter ſæviret. *b)* Itaque, dum Impera- 1042.

a) Idem ad an. 1042. Aloldus contra ad ſeq. & Schaffnaburgenſis ad 1041. Certior tamen Hermanni chronotaxis eſt.

b) Biograph. S. Gerardi apud Hagiograph. ad d. 24. Sept. *heu! ſanctis quadrageſimæ diebus honeſtiſsimos ſui conſilii viros, ſudibus, & pališ, velut immunda animalia, interſicere auſus eſt.*

perator Petrum reducens, cum exercitu Hungariæ ingrueret, &, post Hamburgum, & Posonium occupatum, vastitatem ad Gramum amnem circumferret, plerisque suorum diffidens, non ausus congredi, & ex eventu pendens, de retinendo regno anxius hærebat, quod Hungaros quidem in recipiendo Petro non consentire Cæsari, sed ejusdem consilio inductos, in Principem, qui ex Stephani avunculi posteris a) apud Bohemos exulabat, inclinare videret. Non tamen removendi hujus etiam obicis spem omnem ponebat, quod multos adhuc suis partibus addictos haberet. Eventus spei respondit.

1042.

1043. II. Vix enim Cæsar militem in Germaniam reduxerat, cum nihil moræ interponendum ratus, collectis, ut poterat, subito copiis, rivalem suum Bohemiam repetere coegit. b) Quo exacto, ne Cæsari occasionem rede-

a) Ditmarus apud Leibnitium T. 1. Scriptor. Brunsvicen. l. 8. p. 420. affirmat, Stephani avunculum, & nomen *Procnui* ei fuisse. Sed cum alium Stephano avunculum, præter *Gyulam*, quem bello Transsilvanico cum filiis captivum abduxerat, non fuisse constet, hunc autem ad hoc tempus supervixisse, vix credibile sit, veri est simillimum, Principem hunc, vel ex ejusdem filiis, vel nepotibus fuisse.

b) Herman. Contractus ad hunc an.

redeundi in Hungariam præberet, &, ut ipſe, eo ſibi conciliato, ſuos, nec enim ſatis tutæ 1044.
res domi erant, in officio continendi tempus nanciſceretur, Legatos Goslariam miſit, qui cum Henrico de pace ineunda transigerent. Obſtabat Petrus, qui Cæſarem, ne ſe deſerere vellet, obteſtabatur, ſpemque non obſcure oſtentabat, ſe, ſi dimiſsis re infecta Legatis, rerum potiretur, Hungariam jure fiduciario ei ſubditurum eſſe. Credidit Cæſar, conſtitutionum, in quas Natio, jam a primo ſui in Hungariam adventu, mutua ſtipulatione conſenſerat, ignarus, & rurſum infeſtus Hungariæ incubuit. Rex, cum & ipſe imparatus, & optimatum plerique factionibus inter ſe distracti eſſent, non ad vim propulſandam, ſed pacandum Imperatorem, animum convertit, iterumque Legatos cum muneribus ei obviam miſit, qui conditiones pacis proponerent; inter quas illa præcipua erat, qua Germanos, qui captivi erant, gratuito ſe dimiſſurum, &, quos reddere non poſſet, ære penſaturum, præterea eam Auſtriæ partem, quæ usque Leitam fluvium, adhuc Hungarici juris erat, ſponte ceſſurum, receperat. Conditiones juramento firmatas Cæſar ratas habuit, acceptisque obſidibus in Germaniam reverſus eſt. a)

---

a) Idem ad an. 1043. *Henricus rex iterum Pannonias petens, ab Ovone vix pactum, ſatisfa-*

III. Pax tamen diuturna non fuit, quod
1044. nec captivi Germani ex pacto dimissi essent, nec Austriæ pars reddita. Conditione igitur non servata, bellum necessario instabat, ad quod gerendum, cum ipse Imperator ob non impletam a rege fidem, tum a Proceribus, Petro addictis, qui ad eum transfugerant, incitatus, ultro ferebatur, iterumque in Hungariam profectus, regem, superato Raba fluvio, cum ingenti exercitu obviam habuit. Mox consertæ manus, diuque pugnatum, sed, dum in medio certaminis æstu, regem magna suorum pars desereret, Cæsar III. Nonas Julias victoria potitus, & rex in fugam conjectus est, quem Petrus non multo post e fuga retractum, ne sibi deinceps turbas conficeret, decollari jussit. *a*)

PE-

ctionem, obsides, munera, regnique usque ad Litha fluvium, partem accipiens, discessit.

a) Herman. Contractus, Schaffnaburgensis, & Chro. Augustanum.

PETRUS RESTITUTUS.

Ab anno 1044. — 1046.

I. Victor Cæſar, reſtituto in ſolium Petro, & relicto eidem ſecuritatis cauſa militari præſidio, poſtquam diſsidentes a rege animos compoſuiſſe ſibi viſus eſt, ex regno excesſit. 1044.
Simulata tamen potius, quam vera, conciliatio erat, nec idem omnium de reſtituto rege ſenſus, & Proceres ipſi, ut in alterutram partem ſtudiis ſuis ferebantur, ſpem inter & metum pendebant. Non latebat id regem, qui, ut animos inter ſe diſtractos magis in fræno continere poſſet, Cæſarem ſequente anno honoris cauſa in Hungariam invitavit, 1045.
re autem ipſa, ut, quod antea ad illum transfugiens pollicitus erat, regnum clientelari jure ei ſubderet. Venit Cæſar ad diem Pentecoſtes magno ſtipatus comitatu, acceptusque a rege honorifice, muneribus, inter quæ lancea quoque cæſi Samuelis, ſpolium e prælio relatum, erat, *a)* excultus fuit. Mox ei Hungariam fiduciario jure obnoxiam fecit, & ab

a) Hanc Cæſar poſtea Pontifici donum miſit. Id deinde errori occaſionem dedit, quaſi Hungaria juri Pontificio obnoxia fuerit reddita.

ab eodem, Proceribus, qui aderant, fideli-
1045. tatis juramentum edentibus, viciſsim ad dies vitæ gubernandam recepit. *a)* Cæſar, his peractis, dataque univerſim lege Bajoarica utendi poteſtate *b)* in Germaniam reverſus eſt.

II. Nihilo tamen magis pacatam Hunga-
1046. riam reliquit. Potiores Optimatum, Petro jam ante infenſi, nunc vero, cum viderent, ſibi extraneum etiam jugum eſſe impoſitum, penitus ab eo averſi, de injuria Nationis libertati illata palam querebantur. Juſta forte que-

a) Hermann. Contract. & Marianus Scotus ad h. an. Hinc apud Scriptores Germaniæ opinio invaluit, quaſi Hungaria ſit feudum Imperii Germanici facta. Verum quidem eſt, regnum Cæſari a Petro oblatum, verum item, Proceres, qui actui huic intererant, fidelitatis juramentum præſtitiſſe, ſed non erat conſenſus omnium communis, quod tamen ad legitimum homagium requirebatur, ut Notit. præv. §. 5. ſtatutum fuit, nec in Petri arbitrio id ſitum erat, cum enim Hungaria fuerit regiæ familiæ hæreditaria, ut in Notit. præv. §. 3. dictum, ex hac autem ſuperfuerint Andreas & Bela, horum conſenſus præcipue neceſſarius ad hunc actum fuiſſet.

b) Aliqua, ut in judiciis Sigilli miſsio, quemadmodum ex decretis S. Ladislai, & Colomanni patet, a Bajoariis ad nos pervenere.

querela erat futura, nisi ipsi, institutorum Stephani regis immemores, dissensionibus suis occasionem præbuissent. Cum sensim querelis suis plures in suas partes pertraherent, consilia de Andrea, ad quem ex Principibus regii sanguinis jus succeſsionis pertinebat, accersendo, & tradendo eidem regno inter se conferebant. Hac de causa clam Legatos ad illum in Rusſiam misere, qui ei regnum offerrent. Cujus ut primum Petro indicium ab exploratoribus factum est, non modo auctores, quos nancisci poterat, immaniter excruciari juſsit, sed, dum Cæsareo Germanorum præsidio immodice confideret, in omnes nullo habito discrimine desæviit. Tanto magis sibi acceleravit exitium. 1046.

Conjurati enim magno numero ad Andream, qui de eventu dubius in regni limitibus hærebat, confluxere, sensimque pluribus catervatim accurrentibus, primum Csanadinum, mox Pestinum iter arripiunt. Huc ubi ventum, quid animo destinassent, planius, quodam *Vatha*, homine nocentiſsimo, duce usi, Andreæ declarant, se non aliter cum eo adversus Petrum pugnaturos, nisi abolita religione Christiana, & advenis neci traditis, avita sacra restitueret, seque pristinis moribus sineret vivere. Arduum erat insanienti turbæ resistere, quæ, si id diserte negaretur, quidvis patratura erat. Itaque, ut tempori serviret, diſsimulandum tantisper putabat, quod vetare

tare non potuit, certus animi, se, ubi rerum
1046. potitus fuerit, opportunam malo medelam positurum. Illi taciturnitatem ejus, consensum interpretati, promiscue in Christianos, præcipue Sacerdotes, inter quos Gerardus Csanadiensis antistes cum duobus aliis episcopis, erat, tum in advenas, & Hungaros Petri asseclas, cædibus grassari, templa diruere, sacraque omnia profanare cœperunt, qua barbarie multi deterriti a religione defecerant, & Petrus, qui se inprimis designari videbat, fuga in Austriam evadere meditabatur, verum præventus a conjuratis, e fuga retractus, Albamque ductus, mox oculis privatus, misere dein in carcere contabuit. *a*) Mira tam exigui temporis intervallo, nec enim integri novem anni, ab obitu Stephani abierant, sub duobus regibus Hungariæ vicissitudo, quam tamen consequi necesse erat, quod neuter institutorum illius, quibus religionem cum re publica, domesticos cum exteris, ad regni felicitatem, & augmentum, sapienter copulaverat, fidelis custos, nec ea, qua ille, in gerendo imperio prudentia, nec in formandis subjectorum, & flectendis eorum animis dexteritate præditus esset. AN-

a) Thuroczius Chron. P. II. c. 39. & 41. Lambertus Schaffnaburgen. Chron. Augustan. & Australe. Hac occasione videtur Gisela Petri mater, velut malorum omnium causa, per tumultum occisa fuisse, ut Albericus monachus scribit, cujus verba ad an. 1032. Not. *a* excitavi.

ANDREAS I.

Ab Anno 1046. — 1061.

[redacted]

I. Sopito fenfim tumultu, ut feditionem ab adito regno penitus comprimeret, auctores illius, ne impunitas eorum aliis exemplo effet, undique conquifitos, fupplicio addixit, tum graviſsimo edicto ftatuit, ut, qui ad priftinos gentis ritus tranfiiffent, fine mora ad religionem Chriftianam reverterentur, & fecundum Stephani regis inftituta vitam, moresque conformarent, ni facerent, tergiverfationem, & pervicaciam pœna capitis luant. *a*) Habuit mandato fuo obfequentes, five priorum pœnitentia, five, quod creditu pronius eft, metu pœnæ permoti effent. Ita rebus domi utcunque compofitis, ad pacandum Imperatorem, quem non dubitabat Petri caufa in Hungariam rediturum, ftudia fua convertit. Etfi quidem fciret, nihil propterea, quod Petrus regnum ei obtulerit, juri fuo, qui confenfum fuum non præbuiffet, derogatum effe, ne tamen Hungariam, quæ, ad confanandum vulnus, tempore egebat, novo rurfus bello objiceret, per Legatos eidem nunciavit, fe communi omnium voluntate regnum adiiffe, fum- 1047.

a) Aloldus ad hunc an. & biographus S. Gerardi, c. 21.

sumsisse de conjuratis, qui Petrum exauctorarunt, supplicium, si qui adhuc superessent, se illius potestati traditurum, censum præterea annuum, ut scriptores Germani perhibent, a) pollicitus.

1048. II. Cum exitus Legationis incertus, & domi plus negotiorum esset, quam ut iis expediendis regi tempus suppeteret, fratrem *Belam*, militiæ laude clarum, e Polonia accersiit, cum ut curas cum eo partiretur, tum ut ejus opera, si bellum a Cæsare instaret, uti posset. Ut primum aderat cum sua familia, Ducis illum titulo, attributa Hungariæ tertia parte, ornavit, quæ beneficentia, ut ad conciliandam fratri auctoritatem in principio spectabat, ita deinceps, cum sensim usu roboraretur, perpetuum fere semen discordiæ inter regiam familiam jecit. Interim Legati nihil pacati a Cæsare afferebant, qui, quod res in Lotharingia, Flandria, & Hollandia componendæ essent, interea Adalberto, Marchioni Austriæ, in mandatis dedit, ut collecta militia Hungariam infestaret, sed, cum illum
1049. rex, communitis regni limitibus, aditu prohiberet, spacium interim nactus est, Cæsarem iterum legatione conveniendi, necdum enim res domi a nuperna seditione satis firmæ videbantur. Misit igitur, qui rursus annuum censum Cæsari pollicerentur, modo a bello absti-

a) Herman. Contractus ad an. 1047.

tineret, sineretque Hungaros jure suo frui. Frustra & hic conatus erat. Cæsar obfirmato in bellum animo, Gebehardum Ratisbonensem episcopum, sequente anno arma in Hungaros sumere jussit. Nec hic magis faventem fortunam expertus est. Regni quidem fines, Hungaris sponte cedentibus, ingressus, prædam abegit, verum, ubi reditum parabat, discedentem aggressi, prædam excutiunt, & in Bavariam procurrentes, ingentem captivorum numerum reducunt. a) Cæsar parum felici suorum successu irritatus, ipse gerendi belli curam suscepit, mandavitque, ut Gebehardus cum Bretislao Bohemiæ Duce, ubi Hungariam ingressi fuerint, Septemtrionalem Danubii ripam interea populentur, dum ipse per Carinthiam profecturus, se illis conjungat. b) In tam propinquo periculo *Bela* regi autor fuit, ut, corrupta in limitibus pabulatione, intersitos ad occasum amnes præsidio militari communiret, quo hostis ipsa diuturnitate, & annonæ penuria fractus, sponte recederet, pugnæ autem copiam omnino negaret. Ratum habuit rex consilium, prius tamen adeundum per Legatos censuit Leonem Pon-

1050. 1051. 1052.

a) Thurocz Chron. P. II. c. 42. ad an. 1048. Aloldus ad an. 1049. Herman. Contract. ad an. 1050.

b) Idem ad an. 1051.

Pontificem, cujus intercessione sperabat, Cæ-
1052. sarem ad mitiora consilia flectendum esse. Non abnuit Pontifex, missoque Hugone, Cluniacensi Abbate, in Hungariam, suadebat regi, ut censum a Petro promissum, Cæsari penderet, *a*) ita futurum, ut pax facile coalescat. Non alienum quidem se a pendendo censu rex futurum responderat, si Cæsar bello abstineret, sineretque Hungaros jure suo frui; diversam enim Hungaris regni constitutionem, a Germanorum sanctionibus, esse, apud quos dignitas regia jure electionis nitatur, apud Hungaros contra ex Majorum instituto, *b*) hæreditaria regiæ familiæ esset, cujus jura violare, aut alienare, se, & fratre suo, majorique regni Ordinum parte, non consentientibus, Petro nequaquam integrum fuisset.

III.

---

a) Wibertus S. Leonis IX. biographus apud hagiogr. Tom. II. act. SS. ad 19. Apr. *Non modicus ei (*Leoni IX.*) inerat fervor in augenda re publica. Idcirco Hung. Principes a Romano nuper Imp. dissidentes, multiplicibus Legatis adierat, ne detrectarent, solita subjectione, Imperatori prisca persolvere tributa, quod & consenserant, si præteritorum commissorum eis concederetur indulgentia.*

b) Vide Notit. præv. §. 3.

III. Reverso cum his responsis Hugone, Cæsar irritatus, ad instaurandum bellum se rursum accinxit. Pontifex vero, qui probe intelligebat, Hungariam ad religionem, quæ nuper intestinis factionibus non leve discrimen adierat, consolidandam quiete egere, ipse munus pacificatoris suscepturus ad Cæsarem profectus est, ut eum ab inferendo bello abstraheret, sed Cæsar magis suorum, quam ejus consilio obsequutus, deductis in Hungariam copiis, & commeatu, quod omnia in limitibus vasta fuisse reddita comperisset, secundo Danubio navibus subvecto, Posonium obsedit, quo si potiretur, bellum in regni mediterranea traducere parabat. Verum, cum & obsessi locum fortiter tuerentur, & naves annonariæ urinatoris ope submersæ fuissent, soluta obsidione redire coactus est. Rursus igitur Pontifex pacis ineundæ, & tributi, quod rex quotannis pendendum promiserat, acceptandi consilium ingerebat. *a*) Non abnuit Cæsar, sed Andreas nec tributi quidem, quod Cæ-

1052.

a) Si quod unquam jus sedi Apostolicæ in Hungariam fuisset, Pontifex certe nunquam tanto studio acturus erat, ut rex tributum Cæsari pendat; ex quo liquet sequentium deinde Pontificum prætensionem in Hungariam nullo fundamento niti.

Cæsar prius respuisset, mentionem jam sustinuit, qua re Pontifex se delusum arbitratus, parum aberat, quin regem sacris interdiceret, nisi & Cæsar tot expeditionibus frustra susceptis, & rex iis propulsandis, defessi, suapte animum ad pacem adjecissent, quæ, etsi hanc Conradus Bavariæ Dux in Hungariam profugus interturbare conaretur, in has conditiones sequente anno coaluit: rex cessionem illius partis Austriæ, cui Aba nuper renunciaverat, ratam haberet, & Cæsari in bello, demta Italia, socius armorum esset: Cæsar vicissim nihil sibi deinceps juris in Hungariam arroget, &, ut fœdus firmiore vinculo necteretur, filiolam suam regis filio Salomoni, quem non ita pridem susfulerat, despondere; quibus utrinque mutua stipulatione initis, rex Legatos ad Cæsarem, qui Triburiæ de filio suo nondum trimulo sibi in successorem designando agebat, cum amplissimis muneribus misit, qui conjugii sponsionem firmarent. a) Hunc in modum Hungaria, si quid juris in eam Germaniæ ex Petri cessione aliquando accessisset, in pristinam libertatem asserta, b) & rex ocium nactus est, ut, constabi-

1052.

1053.

a) Hermann. Contractus ad an. 1052. & 53. Aloldus ad an. 1052.

b) Wibertus Scriptor synchronus in vita Leonis Papæ IX. c. 8. apud. Hagiogr. Antverpiens. T. 2.

ſtabilita pace, curas ſuas in regni emolumentum deinceps converteret, tametſi parum abfuerit, quin hanc importunus Conradi Bavariæ Ducis in Hungariam adventus rurſum interciperet, qui, cum a Cæſare Ducatu privatus eſſet, vindictæ actus ſtudio, nihil non egit, ut Hungaros ad reſumenda in Cæſarem arma concitaret, quod cum regi, conciliato recens fœdere, non ſolum æquitati parum conſentiens, ſed dignitati etiam ſuæ indecorum eſſe videret, neque tamen extorri, ſuæ olim ſortis memor, deeſſe vellet, partem copiarum, ut iis ſuo periculo uteretur, conceſſit, quibus ille adjutus, & in Carentanos movens, provinciæ quidem illius partem ſubegit, non tamen retinuit, brevi Cæſaris ſubornatione, veneno per coquum cibis ingeſto exſtinctus, *a*) cujus obitu una orituri rurſus belli ſuſpicio evanuit. 1054.

IV. Rex hoſpite, ſi victurus erat, ſibi periculoſo liberatus, cogitationes omnes ad reparandam rem publicam, quæ ſub utroque deceſſore vitium acceperat, convertit, in eam 1055.

O 2 præ-

2. April. ad d. 19. *ſed quia factione quorundam Curialium — ſunt Auguſti aures obduratæ, ideo Romana res publica ſubjectionem Hungariæ perdidit.*

a) Annal. Hildesheimens. & Marianus Scotus ad h. a.

præcipue curam intentus, ut constitutam a
1055. Stephano regni compagem, civilibus motibus luxatam, redintegraret. A religione igitur, cui ipse in principio indulgentia sua vulnus inflixisset, Stephani exemplo auspicatus, viros religiosos, conditis *Tyhonini*, & *Vissegradi* cœnobiis in regnum accersiit, qui collapsam religionem doctrina, & exemplo instaurarent, & hac instaurata domi quies stabiliretur. *a*) Tum ut securitati quoque suorum ad limites Moraviæ consuleret, nam versus Germaniam, confecta nuper pace, res satis tutæ erant, Wratislaum, Bretislai defuncti natu minorem, quem natu major Spitigneus Bohemorum Dux Moravia exuerat,
1056. data ei in matrimonium filia suæ Adelheide fratri conciliavit. *b*) Restabat ea pars, quæ inter Savum, & Dravum sita, turbis domi exortis, a Crescimiro II. Croatorum rege avulsa erat, rursus Hungariæ asserenda. Id negotium Palatino *Radoni* datum, qui eductis copiis brevi eam provinciam recuperans, *c*) Croa-

a) De Tyhon exstant Tabb. fundation. an. 1055. & de Wissegrado memorat biogr. S. Gerardi.

b) Cosmas Pragens. & annalista Saxo.

c) In dipl. fundation. an. 1057. *monasterium meum S. Demetrii super Savam fl. quod multis bellicis laboribus cum tota provincia illa sanctæ coronæ rectificavi, & iterum aquisivi &c.*

Croatos ultra Bacuntium omnem retrusit, &, ne deinceps liti esset obnoxia, cœnobium S. Demetrii in eodem, quo Syrmium olim stetit, loco, jurisdictioni Quinqueecclesiensis episcopi subjectum condidit, & Rex sequente anno in regni conventu Albæ celebrato ratum habuit. 1057.
a) Indixerat hunc, cum ut rerum proprietatem, si quæ fors tempore dissidii domestici, rapacitate aliorum distractæ essent, cuivis asssereret, tum ut jus successionis posteritati suæ firmaret, b) nec enim ullus decessorum, filium, qui ex Stephani, c) & Majorum constitutione, d) hæres regni esset, superstitem reliquerat. Hac de causa filium Salomonem,

O 3 non-

a) In eod. dipl.

b) Ibid. rex confirmans donationem Palatini addit: *maledictionem — incurrant omnes nostri successores regiæ posteritatis* &c. qui donationem irritam facerent. *Posteritas regia* ex se se indicat successionem hæreditariam, ut regni OO. an. 1307. publico decreto statuerant. Vid. Notit. præv. §. 3. conditione. 1.

c) Filium enim suum Emericum Decret. l. 1. c. 1. sibi successorem verbis illis designavit: *quando summa concedente potentia post me regnabis.* Rursus c. 3. §. 3. 4. & c. 4. §. 4. item c. 6. §. 4. filio de Hungaria loquens semper addit; *regnum tuum.*

d) Vid. Notit. præv. §. 3. condit. 1.

nondum septem annos natum, exemplo Hen-
1058. rici Cæsaris, qui filium quadrimúm Germaniæ regem dederat, anno insequente inaugurari, & matrimonii sponsionem cum Sophia Henrici III. filia olim initam, rursus cum Henrico IV. in confinio Hungariæ conveniens firmari voluit. *a)*

1059. V. Rebus in hunc modum cum regni Ordinibus, & Cæsare compositis, spes erat, Hungariam sensim respirare, & ad eum, quem Stephanus designaverat, statum reponi posse, nisi Bela regis frater, qui prius cum filiis Geisa, & Ladislao, coronationi Salomonis consenserat, malevolorum suggestione in transversum actus, regnum sibi præ infante deberi existimasset. Inde simultas primum, dein, cum alter ambitione, suspicionibus alter agitaretur, etiam odia inter fratres orta, quæ mox in apertum bellum erupere. Bela enim insidias veritus, has enim sibi a rege strui, susurratores in vulgus sparserant, in Poloniam evasit. Perculit regem fratris fuga, vidensque bellum rursus civile instare, ne gemino premeretur, nam Græci quoque pacem violatam questi, arma parare nunciabantur, Isaacum Comnenum missa legatione pacatum, ab Hun-

a) Schaffnaburgensis, Aloldus, & Annalista Saxo.

Hungaria avertit. *a*) Hoc periculo liber, cum in fratris molitiones intentus, comperiſſet, illum finibus Hungariæ, Polonorum auxilio ſuffultum, appropinquare, ipſe etiam copias contraxit, & filio ſecuritatis cauſa Melicium cum theſauro domeſtico ad Erneſtum Marchionem Auſtriæ transmiſſo, *b*) ſuppetias a Cæſare flagitavit. Neque is ſororis, Salomoni deſponſæ, cauſa moratus, Wilhelmum Thuringiæ Marchionem, &, cum Eppone Citicenſi epiſcopo, Ducem quoque Bohemiæ, addito Bavarico exercitu, in Hungariam, ut regi auxilio eſſent, properare juſsit, qui, ne exſpectato quidem Bohemo, magnis itineribus profecti, poſtquam ſe regi conjunxerant, transmiſſo Tibiſco, ad quem Bela cum ſuis conſtitit, cum eodem congreſsi, magnam in principio ſtragem edidere, ſed, ubi Bela feſsis recentes identidem ſubſtituiſſet, multique ad eum confugerent, magna clade victi, &, obſepto reditu, aut cæſi, aut capti ſunt. Rex in medio prælii æſtu equo delapſus, ægreque fratris iræ ſubductus a ſuis, non multo poſt obiit, Tyhonini tumulo illatus. *c*)

1060.
1061.

a) Scylitzes. pag. 633. & Zonaras l. 18. pag. 270.
b) Aloldus ad h. a.
c) Schaffnaburgenſis. Annaliſta Saxo. Thurocz P. II. Chron. c. 44.

BELA.

Ab Anno 1061 — 1063.

1061. I. Victor a pugna eo plures ex Hungaris sibi faventes habuit, quo magis militarem in eo animum suspiciebant, nec quidquam in mora fuit, quin eum, licet Salomon legitimus hæres esset jam coronatus, & superstes, eique Tutor ob sanguinis nexum esse debuisset, regem salutarent. Hoc uno fortasse usurpatoris labem detergere possit, quod confestim a conscenso solio ad coordinandam rem publicam, quæ multiplex vitium traxerat, studium omne contulerit. Rem agrariam imprimis, quæ per civiles discordias neglecta squalebat, instaurare, rerum venalium precia defigere, suum publico foro constituere diem, mercatorum avaritiam, & nummulariorum fœnerationem comprimere, monetæ feriundæ justius priore pondus constituere, Byzantinis aureis aditum ad regnum aperire, omnia denique, quæ collapsa erant, cura sua complecti cœpit, quodque mirum videri potest, eorum, qui Salomonem in Austriam comitati sunt, fundos ab injuria immunes præstitit. Quo quidem factum, ut regnum respirare aliquantum videretur, nec tamen propterea, ut patrii scripto-

res

res volunt, *a*) ad eum felicitatis statum pervenerit, ut vicinis regionibus potuerit anteferri. 1061.
Nec enim regna intestinis dissidiis, & externis bellis diu agitata, triennio non integro ad priorem felicitatis statum reponi solent, aut possunt.

II. Religio quoque, quae dissidiorum tempore propemodum collapsa erat, illum non leviter solicitum habuit, sed remedio ad eam reparandam usus est, quod a lenitate Christiana prorsus abhorrebat. Cum enim in hunc finem, pagatim duos, qui aetate, & consilio aliis praestabant, Albam coire jussisset, *b*) ut cum Episcopis, & Primatibus ea de re communiter deliberaret, illi autem pristinos ritus, & sacra reduci non tam peterent, quam postularent, rex tridui spacium, si forte ad se reversi, collatis inter se consiliis, mentem mutarent, indulsit, quo elapso, cum illi in sententia perstarent, immisso, quem interea adesse jusserat, milite, refractarios promiscue caedi, &, qui fuga evadere non poterant, in eos flagris animadverti imperavit. *c*) Triste ex-

a) Thurocz. Chron. P. II. c. 45.

b) D. Gebhardi hist. Tom. I. pag. 460. putat, plebem hac de causa accitam esse, ut eam in regiminis consortium rex admitteret, quod huic, qui Salomonem, legitimum regem solio excluserat, nec in mentem venire potuit.

c) Thurocz. P. II. Chron. c. 46.

exemplum, quod sola illius temporis crudi-
1061. tas excusare queat. Quae saevitia, ut regno ob tumultuantem plebem utilis erat, ita religioni parum commodabat, quod hanc plerique deinceps ob metum simulate magis, quam vere, profiterentur.

III. Plebe ad officium revocata, ut suis
1062. posteris, si quid Imperator Salomonis causa moveret, regni possessionem firmaret, exterorum Principum amicitiam nuptiis sibi conciliare studuit. Id in causa erat, cur Jojadam filiarum alteram, quam anno priore Wilhelmo Thuringiae Marchioni desponderat, hoc e vivis sublato, Udalrico illius cognato, Carentanorum Marchioni, *a)* alteram vero Helenam Zvonimiro, praepotenti Toparchae, & Bano Croatiae, postea autem regi, collocarit. *b)* Neque sic tamen securitati suorum satis consultum putabat, quamdiu Salomon cum praecipuis Nobilibus apud Ernestum Marchionem in Austria morabatur. Hac solicitudine ut se liberaret, armis rem agere decre-

a) Schaffnaburgensis ad an. 1062. & Annal. Saxo ad eund.

b) Parum refert, Helenane, an Leppa, vel Sophia fuerit vocata, de quo disceptatio est inter Dan. Cornides genealog. reg. Hung. p. 343. & Steph. Katona hist. reg. T. I. p. 186. &c. Satis est, aliquam Belae filiam Zvonimiro nuptam

crevit, ut vel successionis spem Salomoni succideret, vel Marchionem, ad tradendum sibi æmulum cogeret. Ipse copias in Austriam ductabat, verum ab Ernesto, cujus tutelæ Andreas filium crediderat, non sine clade repulsus est. Inde bellum ex Austria in Hungariam traductum, perrupti, quos Bela munierat, aditus, & Mosonium ab Hungaris, qui Salomonem comitati erant, quibusve alii se conjunxerant, assultu captum. *a*) Quod ubi regi, qui per id tempus conventum in Demes agebat, nunciatum est, ulcisci injuriam parabat, in ipso tamen hoc conatu, domus, vel, ut alii malunt, solii ruina oppressus, sequente anno obiit. *b*) 1062.

SALO-

ptam fuisse, ut Joan. de Gvercse apud Kerchelics Notit. prælim. p. 101. Dlugossus hist. Polon. l. 4. & Thurocz. Chron. P. I. c. 56. testantur, qui etsi tempore multum distent, credibile tamen est, illos hæc ex vetusto documento sumsisse.

a) Aloldus ad an. 1062.

b) Id. ibid. Filios Geisam, Ladislaum, & Lampertum reliquit.

SALOMON.

Ab an. 1063. — 1074.

I. Bela exſtincto, Geiſa ejusdem filius, le-
1063. niore, quam pater fuerit, ingenio, æquitatisque amantior, ne ambitione Hungariam novis calamitatibus involveret, miſſa ad Imperatorem Legatione, ſolium legitimo hæredi Salomoni, conſentientibus regni Ordinibus, ſe ceſſurum nunciaverat, fidelitatem pollicitus, ſi modo parem natalibus honorem ſibi, & fratribus tribueret, malleque ſe fide, & charitate in Patriam, quam armis, cum eo contendere. Accepta eſt benigne Legatio, & Henricus cum exercitu in Hungariam profectus, Salomonem, cui ſororem ſuam jam pridem deſponſam, nunc conjugem dederat, Albam regiam deduxit, & rurſus corona incinctum, paterno ſolio reſtituit ſublatis omnibus impedimentis, quæ regi, regnoque deinceps præjudicium creare, & malum accerſere poſſent. *a)* Cæſare in Germaniam reverſo,

a) Schaffnaburgenſis ad h. a. *Heinricus — Salomonem in ſolium patris reſtituit, juncta ei in conjugium ſorore ſua, ablatisque omnibus, quæ regi ſcrupulum movere, vel regni ſtatum labefacta-*

ſo, concordia inter regem, & Duces non diu conſtitit, quod non deeſſent, præcipuus ex his *Vidus* erat, qui regi crebro ingererent, quanta cum injuria, Ducum pater eum ſolio privaverit, vix meliora ab ejus filiis ſperari poſſe, ſi majori natu eorum, cum titulo Ducis, tertiam Hungariæ partem ceſſerit, hoc patri illorum vires, & animum adjeciſſe, ut arma in fratrem, & legitimum regem corriperet. Credidit adoleſcens, nondum artes palatinalium expertus, & utrumque contra, quam ex pacto conventum erat, Geiſæ negavit, qui, quo res tandem evaſura eſſet, intelligens, cum fratribus mature in Poloniam ſe ſubduxit. Rex cognatorum ſortem miſeratus, copias, quas in Ruſſos paratas habebat, illorum gratia in Hungariam duxit, ubi cum

1063.

1064.

factare poterant, in pace remeavit ad Gallias. Hinc liquet, Henricum patris ſui renunciationem juris feudalis, quod ſibi antea in Hungariam arrogaverat, ſolenniter confirmaſſe. Ita locum illum accipi oportere, res ipſa loquitur. Aliter tamen D. Gebhardi hiſt. Hung. T. I. p. 462. cenſet. Mir ſcheint es, daß dieſe Stelle ſich auf die Hinwegſchaffung der verdächtigen Perſonen, und einiger Fehler in der Verfaſſung, die zum Zwiſt zwiſchen den König, und den Stände den Anlaß geben konnten, beziehet. Nihil magis citato loco diſſonum dici potuit.

cum plures ei se ex Hungaris conjunxissent,
1065. rem praelio decreturus erat, nisi episcoporum opera pax coaluisset. Geisae titulus Ducis cum tertia Hungariae parte tributus, utque concordia stabilior esset, sequente anno Jaurini, praesentibus regni Ordinibus, velut fidejussoribus, confirmata est. Geisa tamen veritus, nequid suspicionis adhuc in animo regis resideret, illum Quinqueecclesias deduxit, coronamque ei imponens, sincerae, quantum in se erat, conciliationis testimonium exstare voluit. a)

II. Stabilita utrinque concordia, facilius
1066. & cura rei publicae domi suscepta est, & foris hostibus obviam itum. Ac hujus quidem occasio paulum post se obtulit, cum rex Croatiae in Carentanos ob avulsam a suo regno Marchiam movens, re improspere gesta, suppetias ex Hungaria flagitaret. Nihil finitimo, ac pacato ceteroquin regi negandum Salomon censuit: missi cum necessariis auxiliis Geisa, & Ladislaus, qui brevi, recuperata Marchia,
1069. Carentanos ad sua reverti coegerant. b) Pari felicitate tertio post anno contra Moravos, qui Trenchiniensem plagam populabantur, res gesta, &, retruso hoste, damnum populatione vicissim Moraviae illata pensatum. c)

Ma-

a) Thurocz. Chron. P. II. c. 47.
b) Chron. Carinthiae l. 7. c. 32.
c) Thurocz cit. l. & c.

Majore periculo cum Cumanis sequente anno dimicatum. E Moldavia erumpentes, ultraque Samusium amnem progressi, ferro & igne late omnia vastabant. In hos ipse rex, cum utroque Duce movens, quinto post die, jam cum copiosis spoliis receptum parantes reperit, eosque, licet securitatis causa montem insedissent, difficili certamine victos, excussa omni præda in fugam egit. a) Victoriæ præcipua laus penes Duces, præsertim Ladislaum fuit, qui cominus hosti congressus, quatuor neci dederat, magnam inde fortitudinis opinionem in exercitu consequutus. Verum communis hæc de utroque Duce virtutis existimatio, regis animum tacite visa est exedere, & sensim novam discordiæ sementem jecit. 1070.

III. Non ante tamen in apertum prorupit, quam altero abhinc anno Bisseni, transmisso Savo, ingentem hominum, pecorumque vim ex Hungaria abegissent. Rex injuriam ulturus, coactis ad signa copiis, cum utroque Duce Savum trajiciens, Belgradum obsedit. Jam in tertium mensem producta erat obsidio, cum obsessi, urbe, & arce conflagrantibus, vitam, & libertatem pacti, deditionem fecere. Dimissorum potior pars, licentiam militum veriti, Geisæ, & Ladislai, pauci contra regis, fidei se crediderant. Id causam præbuit invidiæ. Accessit mox altera, dum Græ- 1072.

a) Thurocz. c. l. c. 49.

Græcorum Imperator veritus, ne Hungari occupato Belgrado, sensim illius etiam ditionibus propinquarent, misso in Hungariam Legato, Geisæ amicitiam imprimis ambiret. Salomon præteritum se, minorisque a Græco, quam Geisam, fieri videns, consilium de eo, fratribusque illius perdendis iniit. Utrumque igitur, instigante Vido, adesse jussit, ut victoriæ superioris anni fructum, in Serviam secum profecturi, prosequerentur, re ipsa autem, ut eos in sua potestate haberet. At illi rem subodorati, id consilii inter se injerant, ut Geisa quidem cum copiarum parte ad regem in bellum proficisceretur, Ladislaus vero cum alia, & Lamperto, in Hungaria resisteret. Hæc cautela Duces servavit. Rex nihil in Geisam, qui fratres vindices domi reliquerat, ausus statuere, ultra Belgradum cum eo Nissam profectus, postquam ab incolis ejus urbis muneribus excultus, eam Serviæ partem, quæ ad Moravam fluvium procurrit, juri Hungariæ asseruisset, a) animo non minus, quam ante, a Ducibus alieno, reversus est. b) Exstantiora erant hujus indicia, quam ut

1073.

a) Hujus causa sæpe dein regibus Hung. cum Orientis Impp. armorum collatio fuit, ut in rebus gestis Geisæ II. & Stephani III. memorabitur. Certe Cinnamus non diffitetur, Stephanum III. a Dese Despota Serviæ *suum dominum* fuisse appellatum. Sub Bela III. quoque fl. Morava limes fuit ditionis Hungaricæ, ut suo loco dicetur.

b) Thurocz. c. l. c. 52.

ut Geisam diu latere potuerint, qui, postquam ad vim, si inferretur, propulsandam, aliunde 1073. opem conquirendam necessarium esse videret, Ladislaum in Russiam, Lampertum ad Polonos, auxiliorum causa, misit, Rex vicissim ex Germania suppetias exspectabat. Ex his molitionibus dubium non erat, quin res ad civile bellum spectare videretur, cum episcopi, missis ultro, citroque nunciis, delecta ad conciliationem adsita Strigonio insula, dissidentes rursus pacarunt. *a*)

IV. Opportunum id rebus Geisæ fuit, qui parum spei, ob consultorum, qui Salomonem obsederant, machinationes in hac concordia reponebat, tempusque interea nactus 1074. est, ut Ladislaum, qui vacuus a Russis redierat, ad Bohemos pro auxiliis mitteret, quibus tanto celerius egebat, quanto occultius sibi insidias a Vido, qui regem in omnem partem versabat, strui, certis nunciis comperit. Cum homini nequissimo dolus, quo Geisam inter venandum intercipere cogitabat, non successisset, ad alias artes conversus, primos militiæ illius ductores, auro corruptos, in suas partes pellexit, eo consilio, ut, si prælium conferendum fuerit, cum turmis sibi creditis, deserto domino, ad regios deficerent. His sibi conciliatis, non desinebat regem urgere, ut prius, quam Ladislaus rediret, nec enim clam erat, cur

ad

a) Thurocz. P. II. Chron. c. 52.

ad Bohemos missus fuerit, arma in Geisam corripiat. Persuasit tandem, & ipsa hyeme prope Tibiscum ad manus utrinque ventum. In ipso prælii initio perfidi ductores cum suis, elevato clypeo, id signum proditionis erat, ad regios transfugerant, a quibus, quod tessera proditionis ignota illis esset, pene omnes deleti sunt. Geisa proditum se videns, magnaque suorum parte mulctatus, Tokainum, fratrem interea præstolaturus, se recepit. Aderat opportune, cum pugnam devitans Tokaino Vacium se conferret, & rex euntem è vestigio sequeretur. Vix tantum temporis superat, ut se cum Ladislao, & quos adduxerat, Bohemis conjungeret, cum acre prælium collatis signis exortum, & pari utrinque pertinacia productum est, ad extremum cæsi maximam partem regii, inter quos Vidus quoque, discordiarum seminator, fuit, aut capti sunt, fugientibus tamen, ne tot civium sanguis funderetur, parsum. Rex, ubi conclamatum esse vidit, primum ad matrem, & conjugem Mosonium, mox Posonium se subduxit, a) sero consilia palatinalium damnans, quorum artes, quas ab obitu Stephani in alenda inter reges, & subjectos discordia ad faciendum lucri compendium adhibere solebant, si ei per ætatem nosse licuisset, nec regno privandus, nec vita deinceps extorri agenda fuerat.

1074.

GEI-

a) Idem ibid.

GEISA I.

Ab anno 1074. — 1077.

I. Profligato Salomone, quam moderato ani-
mo esset, palam fecit, cum regnum faventi- 1074.
bus, quin cogentibus etiam regni Ordinibus,
pene invitus acciperet, &, causas delati sibi
regni ad Pontificem Gregorium VII. perscri-
bens, serius postea, rogatusque se coronari
pateretur. Interea Salomon jacturam regni
ægre ferens, nec matris, ac conjugis, quæ il-
lum, ut instaurata cum cognatis amicitia, as-
sentatores ab se removeret, hortabantur, con-
silio aquiescens, crebris nunciis ab Impera-
tore Henrico auxilium semel, iterumque fla-
gitabat, annuam tributi pensionem, & sex mu-
nitissimas regni urbes, in argumentum fidei,
se in ejus potestatem daturum pollicitus. *a*)
Cæsar affinis calamitatem miseratus, congre-
gato exercitu in Hungariam movit, quem ubi
Geisa appropinquare cum Salomone intelle-
xit, eodem, quod pater suus Andreæ consi-
lium dederat, usus, quidquid in limitibus
alimentorum, & pabuli fuit, ne hostibus usui
essent, ad mediterranea convehi jussit, qua
providentia id consequutus est, ut Henricus
percussa inter Danubium, & Vagum usque

a) Schaffnaburgens. ad an. 1074.

Nitriam regni parte, magnam suorum fame,
1074. & pestilentia enectorum jacturam passus, nullo, præter vastitatem, insigni facinore patrato, redire cogeretur. *a)*

II. Vix Cæsar, re, cujus causa in Hungariam venerat, infecta redierat, cum Gregorius VII. Pontifex, quæ interea vicissitudo Hungariam exagitaverit, ex Geisæ litteris edoctus, gravem epistolam ad Salomonem dedit, qua illum erroris admonet, quod regnum a Germanorum rege, velut regulus beneficiarius receperit, cum ignorare non possit, id olim a Stephano rege beato Petro oblatum, Ecclesiæ Romanæ proprium esse, *b)* id ipsum

---

a) Idem ad an. eund.

b) Dat. Romæ V. Kal. Nov. Indict. XIII. Lib. 2. epist. 13. *Nam sicut a majoribus patriæ tuæ cognoscere potes, regnum Hungariæ, sanctæ Romanæ Ecclesiæ proprium est, a rege Stephano olim beato Petro cum omni jure & potestate sua oblatum, & devote traditum.* Id Pontifex vel non genuino sensu accepit, vel certe ignoravit, quibus conditionibus Natio supremam potestatem in Arpadum, hujusque familiam transtulerit. Neque enim proprietas, si quæ Ecclesiæ Romanæ in Hungariam fuisset, cum jure successionis hæreditariæ nostrorum regum, quod a Natione acceperant, & ipsi deinde Pontifices agnoverant, componi potest, nec Ste-

ſum quoque Henricum Imperatorem, poſtquam Petrum ſolio reſtituerat, corona, & lancea *a*) Romam miſsis fuiſſe teſtatum, proinde, ſi tuto, diuque regnare cupiat, Hungariam apoſtolicæ, non item regiæ, majeſtatis beneficium agnoſceret.

III. Eadem de cauſa ſequente anno ſemel, iterumque ad Geiſam, velut regni uſurpatorem ſcribens, Ducis ſolum, non regis nomen ei tribuit, *b*) monetque, Hungariam, quemadmodum alia quoque regna, libertate ſua frui oportere, nullique regi alterius regni, quam Eccleſiæ Romanæ obnoxiam eſſe, interea tamen, cum rerum 1075.

 nunc

Stephanus regnum ſine ſucceſſorum ſuorum, quin & Nationis præjudicio, Eccleſiæ proprium offerre, & tradere potuit. Alioquin, cum idem Pontifex ad Philippum I. Galliæ, & Alphonſum VI. Caſtiliæ, reges in eadem fere verba ſcripſerit, ut eſt apud Harduin Collect. Concil. Tom. VII. & X. conſequens eſſet, Galliam, & Caſtiliam jure proprietatis ad Eccleſiam Romanam ſpectare. Nulla igitur alia hic ſubjectio intelligi poteſt, quam qua reges Catholici, velut membra Eccleſiæ, ſummo illius capiti obſtringuntur.

a) Lancea, quæ Samueli regi in prælio ademta fuit, non erat ſignum regni proteſtativum, & corona, quoniam Andreas poſtea, quin ea reddita fuerit, coronatus eſt, alia eſſe debuit ab ea, qua reges noſtri coronari ſolent.

b) Dat. Rom. X. Kal. Apr. & 18. Kal. Maji. apud Harduin. Tom. VI. Concil.

nunc potiatur, diligentem Ecclesiarum, & religionis curam gereret, se daturum operam, ut lis inter illum, & Salomonem secundum æquitatem componatur, cupere præterea, ut, quo in Ecclesiam animo esset, opere ipso testatum faciat. Utrum hac testificatione Pontifex clientelæ professionem a Geisa Ecclesiæ Romanæ præstari, an aliud, voluerit, incertum est, illud contra minime dubium, Salomonem, cum ab Henrico, qui simulato ad eum in Hungariam reducendum itinere, in Saxones moverat, *a*) nulla spes regni recuperandi affulgeret, Geisæ hac conditione conciliatum fuisse, ut ipse quidem urbes in limitibus regni versus Austriam possideret, Geisæ autem regnum pleno jure cederet. Facta in hunc modum conciliatione, uxor Salomonis in Hungariam rediit, & Geisa, quod hactenus, Salomone invito, religioni sibi duxerat, coronatus, Ducatu in fratrem translato, regnum jure adiit.

1075.

1076. IV. Non diu tamen pacato ei esse licuit, quod Salomon, ut erat animi inconstantis, haud multo post facti pœnitens, res novas moliri inciperet, ad quem refrænandum, ne quies publica rursus interciperetur, missus Ladislaus, dum illum castro Posoniensi inclusum obsidet, concordia studio Desiderii Colocensis episcopi, iterum bono rei publicæ coaluit, quæ

a) Schaffnaburgensis ad an. 1075. & 76.

quæ ut ſtabilis deinceps eſſet, & regnum, quod a Petri tempore turbis inteſtinis exagitatum erat, reſpirare poſſet, Geiſa regia ſe dignitate abdicare conſtituerat, quod dum per nuncios ad Salomonem miſſos agit, morte præventus, Hungariam paulo minus quidem, quam ſub deceſſoribus ab obitu Stephani fuerit, infelicem, non in eo tamen, in quo ſub illo erat, ſtatu reliquit, a) malo jam abhinc, quam tertia regni pars cognatis regiis obtigerat, ſenſim invaleſcente, quod, inconſulto hoc in familiam ſtudio, non ſolum potentiam, & cum hac auctoritatem regiam tertia ſui parte diminui oportuerit, ſed occaſio etiam palatinalibus utriusque partis data ſit, ut gratiam contrariis utrinque ſtudiis captando, familiam quoque regiam in partes diſtraherent. 1077.

a) Thurocz. Chron. P. II. Filios ſe habuiſſe, ipſe an. 1075. in Tabb. fundatæ Abbatiæ de juxta Gron teſtatur apud Pray Hierarch. Hung. P. I. pag 335. quos tamen patri præmortuos fuiſſe, veri eſt ſimile, eosque ex prima conjuge, cujus nomen incertum, ſuſtuliſſe. Altera fuit *Synadene* Græca, ex ſorore Niceph. Botoniatis, poſtea Imperatoris, edita, quam Scylitzes pag. 678. edit Venet. *Crali* Hung. collocatam eſſe ſcribit. Vid. Dan. Cornides geneal. reg. Hung. pag. 33. Steph. Katona hiſt. reg. Hung. Tom. I. pag. 282. Pray Diſſert. de S. Ladislao pag. 88. ejusd. Diatrib. in Diſſert. de S. Ladislao &c. pag. 108.

S. LADISLAUS I.

Ab an. 1077. — 1095.

1077. I. Geisa exstincto, regnum ad Salomonem, legitime coronatum, ex instituto Majorum pertinebat, id sine dubio etiam consequuturus, nisi regni Ordines votis suis in Ladislaum, defuncti fratrem conspirassent, sive metu adducti, ne Salomon injuriarum memor, vindictam sumeret, sive existimarent, regno ad pristinum statum reducendo, opus esse viro, qui prudentia, & fortitudine, quæ in Ladislao enitebant, labefactam rei publicæ molem a ruina servare possit. Quidvis horum fuerit, Ladislaus certe coactus, nec alia de caussa regni gubernaculum suscepit, quam ut restituta domi, forisque tranquillitate, id legitimo hæredi cederet. Hoc animo se comparatum, missa ad Pontificem Legatione, significaverat, a) a quo dum interim responsa venirent,
1078 ipse religioni, quæ tot bellis a pristino vigore non parum defluxerat, studium omne impen-

a) Id videtur confici ex epistola Pontificis ad Nehemiam Strigonien. archiep. data, apud Harduin collect. Concilior. T. 6. col. 1369.

pendit, laudatus propterea ſequente anno a Pontifice, data ad eum prolixa epiſtola, non *Ducis*, ut quondam Geiſae, ſed *regis* nomine inſcripta, *a*) quo ſatis declaraſſe videtur, ſe 1079.
Ladislaum, deſerta Salomonis cauſa, legitimum regem agnoſcere, & a proſequendo in Hungariam prætenſo alias jure, omnino deſtitiſſe. Supererat Henricus Cæſar, quem, ne, ſi Salomonis patrocinium ſuſciperet, regnum novis belli calamitatibus iterum premeretur, Legatione, ſed irrito *b*) conatu, pertentandum cenſuit, quod is graviſsimo inter ſe, & Pontificem orto diſsidio, mentem aliorſum convertere opus haberet, nec Salomonis cauſa, cui toties fruſtra opem tuliſſet, vires, alibi magis neceſſarias, diſtrahere vellet.

II. Cæſare igitur bello partim apud Saxones, & Thuringos occupato, partim novis 1080.
iterum cum Pontifice difficultatibus implicito, cum nihil ab occidente negotii regno futurum videret, curas in orientem convertit, ubi cum de Imperii ſumma inter Nicephorum Botoniatem, & Alexium Comnenum orta eſſet contentio, & Michael Ducas, inter utrumque medius, ad recuperandum ſolium, Ducem Apuliæ Rogerium in auxilium vocaſſet, atque hac occaſione urbes juris Hungarici trans

a) Apud eund. T. eod. col. 1416.
b) Chron. Auguſtan. ad a. 1079.

trans Savum, defectionem molirentur, Ladislaus ſuperato cum copiis flumine, usque Niſsam progreſſus, Syrmium transſavanum, a) cum urbibus Iſtro adſitis rurſus in poteſta-
1081. tem redegit. b) Reverſus ab expeditione, Boleslaum, Poloniæ Ducem, ſanguine ſibi conjunctum, ad ſe confugientem hoſpitio accepit, & liberaliter aliquamdiu habuit, ſubvereri tamen cœpit, ne ſibi, quod hominem, quem Pontifex Sacrorum communione interdictum Ducatu exauctoraverat, apud ſe retineret, negotium conficeretur, cum illum hoſpes ipſe paulo poſt amentia correptus, mortemque ſibi conſciſcens, hac ſolicitudine liberavit. Triſti hoc caſu, & Polonorum præterea, ac Germanorum factionibus, quorum illi, expulſo legitimo domino, in partes ſcindebantur, hi autem Henrico Cæſari Rudolphum oppoſuerant, admonitus, ne Hungaria ſimi-

a) Geminum fuit olim Syrmium, unum cis, alterum trans Savum, ut patet ex litteris Gregorii IX. an. 1229. d. 3. Martii, apud Pray Diſſert. V. in annal. vet. Hunnorum p. 84.

b) Cinnamus l. 5. *Hungarorum gens ſæpe Romanos fines incurſavit, & paulo ante, quam imperaret Alexius Comnenus, Syrmium cepit multis trans iſtranis urbibus expugnatis, Næſum usque pervenit.* Cœpit autem Alexius Comnenus imperare an. 1081.

ſimili malo rurſus corriperetur, abdicare ſe regia dignitate, regnumque Salomoni reddere conſtituerat, niſi Optimates variam hujus indolem veriti, iterum obſtitiſſent, concordia tamen, ſi poſſet, inter utrumque ut conciliaretur, agebant. *a*) 1081.

III. Vixdum ſtudio Antiſtitum coaluerat, cum rurſus inconſtantia Salomonis abrupta eſt, qui cum inſidias Ladislao ſtruxiſſe compertus eſſet, ne quid ultra vitæ illius nocere poſſet, ipſoque tempore miteſceret, Wiſſegradi in cuſtodiam datus, nec prius ex hac dimiſſus eſt, quam ſequente anno Legatus Apoſtolicus, ad Stephani, & Emerici, qui prodigiis late jam inclaruerant, levanda corpora, in Hungariam veniens, utrumque cœtui Sanctorum adſcripſiſſet. *b*) Liber e cuſtodia cum rege in Hungaria aliquamdiu moratus, Ratisbonam ad conjugem abiit. Quo animo rex ſine regno ab ea acceptus fuerit, *c*) pronum eſt conjicere. Rejectus igitur, variisque erroribus actus, ad Cumanos in Moldaviam pervenit, hujusque Ducem, ſpe obtinendæ Transſilvaniæ, ad arma Hungariæ inferenda concitabat, verum acceleratione La-

1082. 1083. 1084. 1086.

a) Thurocz. Chron. P. II. c. 56.

b) Pray Diſſert. de S. Stephano rege, & de ſacra dextra ejusdem regis.

c) Berthold. Conſtantiens. ad a. 1084.

Ladislai factum, ut amissis pluribus Cumanorum millibus, in fuga salutem quærere cogeretur. Hac clade irritatus, animoque in desperationem jam præcipiti, arma in Bulgariam altero mox anno, iisdem sociis, intulit,
1087. sed & hic a Græcis victus, a) periculoque ægre subductus, videri deinceps desiit. b) Inter

a) Thurocz. l. cit. & Anna Comnena p. 150. Venet. edit.

b) Domestici Scriptores, Simon de Keza, & Thurocz, serius postea in Hungaria illum visum esse, memoriæ Polanæ autem in Istria sanctimoniæ fama clarum obiisse perhibent. Vid. Pray Differt. de S. Salomone rege Hung. Contra vero Berthold. Constantiens. & annalista Saxo, in prælio cum Græcis commisso, cæsum memorant. Verum Anna Comnena, quæ eodem tempore vixit, & res in vicinia gestas, melius, quam illi, scire poterat, nihil de cæso Salomone, licet illum prælio interfuisse scribat, meminit, solius *Tzelgu*, Scytharum Ducis cædem refert. Hinc, dum fama de infelici pugnæ exitu, cæsoque Scytharum Duce ad Germanos penetravit, hujus vero nomen ingnorarent, scirent autem Salomonem prælio interfuisse, hunc illi erronee substituerunt. Quare, cum communis opinio de cæde Salomonis in Germania obtineret, facile ejus conjux persuaderi potuit, ut Wladislao Poloniæ Duci nuberet.

ter hæc, cum in Germania res, mortuo etiam Gregorio VII. non meliore, quam ante, loco 1088.
essent, & Principes Imperii indicto colloquio cum Cæsare agerent, ut eum Ecclesia in gratiam rediret, Ladislaus quoque missis illuc nunciis, se eorum, qui cum legitimo Pontifice sentirent, partes amplexurum, & viginti millia equitum, si opus esset, in hunc finem subsidio missurum pollicitus est. *a*)

IV. Ut grata erat Imperii Principibus 1089.
subsidiorum pollicitatio, ita, cum hæc in aliud tempus differenda judicarent, regi, ob vicinæ Croatiæ motus, domi peropportuna. Obierat Croatarum rex Zvonimirus, relicta vidua Ladislai sorore, *b*) qui cum nullum marem hæredem haberet, Stephanus, regia itidem progenie editus, regium titulum cum potestate sumsit. Hoc quoque brevi defuncto, Optimates tyrannidem affectantes, ut quisque altero potentior erat, ita regnandi cupidine abrepti, alios oppressum ibant. Ex

a) Berthold. Constant. ad. a 1087. Nostri hac occasione Imperium Germaniæ Ladislao oblatum scribunt, quod tamen Scriptores Germani temporibus illis proximi ignorant.

b) Quidam Helenæ, alii Leptæ nomen illi tribuunt. Vid. Thurocz Chron. P. II. 56. Anton. Ganoczy Dissertat. de S. Ladislao, pag. 99. Steph. Katona hist. reg. Hung. Tom. II. pag. 186. Dan. Cornides, genealog. reg. Hung. pag. 343.

[redacted] Ex his, qui illorum injuriis præcipue patuit, 1089. cum sponte, tum viduæ Zvoinimiri, ut videtur, consilio adductus, Ladislaum adiit, quo loco res Croatiæ, & viduæ sint, aperit, modum illius occupandæ explanat, persuasit denique, ut, collecto exercitu, Dravum flumen transiret. *a)* Occupata, per quam iter erat, Sclavonia, superatisque, quas ferreas vocant, alpibus, in Croatiam promovens, cum Principes populi se se mutuo atfererent, consertis aliquot præliis victor, partem regni mediterraneam in potestatem redegit. *b)* Maritimam quoque tentavit, *c)* sed, accepto nuncio, Cumanos in Hungariam irrupisse, viam relegens, magnis itineribus ad Te-

---

a) Dipl. Andreæ II. an. 1217. *Cum S. rex Ladislaus, primus transierat Dravæ fl. & partes sibi Sclavonicas, regno primum occupavit adjecto &c.*

b) Archidiac. Spalatens. c. 17.

c) Id videor mihi conjicere ex vita S. Christophori apud Farlati Tom. V. Illyrici sacri, pag. 231. in qua legitur, tempore Arbensis episcopi *Domanæ*, qui circa hæc tempora vivebat, *ingens Unagrorum gens — mœnibus ejusdem urbis* (Arbæ) *appropinquasse*, eamque expugnasse. In *Unagris*, reor Ungaros latere, licet scriptores Veneti velint ex iis *Nortmannos*, vel *Croatas*, formare. Quam violente!

Temesium fluvium contendit, ubi, dum hostem sui securum reperit, nihil tale opinantem subito aggressus, majorem partem delevit, *a*) ceteris, quos in captivitatem redegerat, ut regnum populo augeret, stationem in Cituorum insula defixit. *b*) Cumanis repressis, mox Bessi altero anno Hungariam invaserant, &, actis spoliis, magnaque virorum, ac mulierum copia abacta, reditum parabant, cum illos rex eadem celeritate, qua ante Cumanos, consequutus, eademque felicitate, & recepta præda, internecione prostravit. *c*) 1090.

(V.) Triplici bello, eoque diversis partibus intra breve temporis spacium feliciter gesto, defunctus, Croatiæ, a qua importune avocatus erat, moderandæ Almum, ex Lamperto fratre nepotem suum, regem præfecit, 1091.

a)

---

a) Thurocz l. c. c. 57. Archidiac. Spalatens. c. l. c. 17.

b) In dipl. S. Ladislai, quod Andreas II. an. 1223. transumsit, fit mentio terræ monasterio S. Martini montis Pannon. donatæ, cum suis metis in Cituorum insula, ubi hæc: *inde vadit ad sepulcrum Paganorum, & ibi habet metas* &c. Bela IV. alibi vocat *sepulcrum Cumanorum*, hodie *Pogán árok* audit.

c) Dandulus l. 9. c. 8. Thurocz Chron. P. II. c. 57.

a) & anno insequente, ut religionis non mi-
1091. nor, quam rerum civilium, cura haberetur, condito Zagrabiae b) episcopatu, antistitem, linguae gentis gnarum constituit, qui populum ignorantia adhuc laborantem regeret. Croatia hoc modo coordinata, ut res etiam Hungariae, diuturno intestini dissidii, ac bellorum tempore labefactas, repararet, convocatis primum Szabolcsam, postea ad montem Pannoniae, Episcopis, & Optimatibus, leges, partim a Stephano conditas instauravit, partim his novas adjecit. Tres libri earum supersunt, c) primus ad externam religionis disciplinam, reliqui ad civilem institutionem pertinent. Illo, quod non sit hujus instituti, omisso, hos solum, quoniam habitum illius temporis, moremque quandam imaginem

a) Lucius de regn. Dalm. l. 2. c. 1. Cod. Ms. Thuroczii. Biblioth. Vatican. apud Lucium *Memorie istoriche di Tragurio* &c. pag. 88. in additam. Almum diserte filium Lamperti Ducis vocat.

b) Kereselich hist. Eccles. Zagrabien. Pray Hierarch. Hung. P. II. pag. 327.

c) Liber primus diserte an. 1092. exhibet, reliqui non item, ob argumenti tamen similitudinem jungendos putavi, cum facile eodem anno tres conventus, pacato regno, celebrari potuerint.

nem exhibent, operæ precium eſt, ſummatim delibare. Cum furtorum, & cædium licentia, etſi his jam Stephanus graves pœnas ſtatuerit, magiſtratuum negligentia, paſsim ita invaluerit, ut ne Clerici quidem immunes eſſent, e bono rei publicæ viſum eſt, paulo gravius in hæc crimina animadvertere. 1091.

VI. Communi igitur voluntate ſancitum eſt, ut, ſi quis proximus Principum furti reus eſſet, niſi in Eccleſiam, aut regis curiam confugiſſet, reſte enecetur, nec aliter vitæ data venia, niſi fidejuſſorem haberet, cujus imprudentia, vel ſocordia ſi fur evaſiſſet, utroque exteris vendito, bona fiſco regio obvenere. Servus in primo furto comprehenſus, naſum amiſit, ſola fuga ad Eccleſiam, Curiam regiam, vel epiſcopum, pœnæ quidem moram fecit, ſed ex loco perfugii deinde retracto fauces eliſæ ſunt. Gravius cum liberis actum, qui, etſi commiſſo furto ad Eccleſiam ſalutis cauſa confugiſſent, inde tamen educti, non ſolum oculis privati ſunt, ſed filii etiam, filiæque eorum, ſi decennium ſuperabant, in ſervitutem redacti, bona amiſere. In minore furto, tam liberi, quam ſervi, jactura unius oculi ſcelus luebant. Nec judicibus parſum: qui fures, ſeu hi liberi, ſeu ſervi fuerint, pœna conſueta non affecere, amiſsis rebus omnibus venumdati ſunt, filiis tamen, & filiabus, nihil detrimenti propterea illatum. Nobilis, ſi a parentibus furti cauſa captus eſt, cuſtodiæ

tradebatur: in Clericos minoris furti reos,
1092. magistri virgis domi animadvertebant, majoris autem furti notatos, episcopi gradu suo dejectos, judicibus tradidere. *a*) Perinde graviter in cædium patratores animadversum. Qui alium gladio jugulasset, carceri mancipatus est, & bona illius trifariam divisa, ex his duæ partes cognatis jugulati tributæ, tertia filiis, & uxori cædem patrantis relicta est, si bona tanti non fuere, libertatem amisit. Nobilis, vel miles, domum alterius Nobilis invadens, si, pugna commissa, uxorem illius flagellasset, duas omnium, quæ habebat, partes amisit, tertia uxoris, & prolium erat, si tantum non aderat, ut trifariam dividi posset, raso capite per forum publicum ductus, flagellisque cæsus, ac demum venditus est. *b*)

VII. Ut autem regia mandata universe inviolata manerent, pœna pro varia hominum conditione statuta est; episcopis judicio regis dictabatur, Comites, & Centuriones, præter amissam dignitatem, quinquaginta *pensas* solvebant, totidem milites, sive Nobiles, si quid adversum egissent, neve excusationi locus esset, quasi mandata regia sero nimis ad provincias perferrentur, cursores placuit constituere, quibus obvio cujusvis equo, præter

a) Lib. 2. Decr. capp. 1. 2. 6. 9. 12. & 13.

b) Decr. l. 2. c. 11.

ter eorum, qui ad episcopi, vel Comitis curiam ibant, sed non ultra tertiam villam, utendi facultas data: qui cursorem, injecta in fræ- num manu, retardasset, decem, qui verberasset, quinquaginta pensas numerare coactus est. *a)* 1092.

Judiciorum quoque paulum alia, quam quæ ante erat, ratio præscripta. Hæc, quemadmodum fere in aliis Europæ ditionibus per id tempus obtinebat, ut plurimum in candentis ferri, vel aquæ ferventis periclitatione, coram tribus testibus, juramento obstrictis, sita erat. Inter judices primas tenebat Palatinus, dum in Curia regia erat, extra hanc solum in eos, qui ex genere *udvornicorum* fuere, quæstionem habere ei licuit, indultum quoque, ut sponte ad se venientium lites discernat, alioquin si contra fecisset, quinquaginta quinque pensæ solvendæ erant: nec duces militiæ, vel Comites parochiani, aliis, quam qui eis suberant, jus dicere ausi sunt. Inferioris ordinis judices arctiori lege tenebantur, qui causam ultra triginta dies cognoscere distulisset, vapulabat, falsam vero sententiam ferens, duplum illius, de quo lis agebatur, reddere, & decem præterea pensas solvere debebat. *b)* Diem dicere, Sigilli missione,

a) Decr. l. 3. c. 3.

b) Ibid. c. 23. & 24.

ſione, moris fuit, idque ſolum ex lege Bajoa-
1092. riorum, quam ſub Petro Hungariæ inductam, memoratum eſt, reliquum fuit. Qui, exceptis, Clero, & Comitibus parochianis, illo viſo, judici non paruit, perſolutis quinque penſis, cauſa cecidit; idque toties, quoties vocatus venire renuiſſet: judicis Sigillum negligenti, centum nummi erant pendendi, ſi tertium id feciſſet, amiſſa cauſa tonſus eſt. *a*)

Ad hæc, cum per frequentia bella, equi jam rareſcerent, & pacis tempore magnam eorum copiam, quod celeritate, & durabilitate exteris præſtarent, mercatores e regno eduxiſſent, nec minus ob boum paucitatem res agraria negligeretur, edictum omnibus eſt, ne equum, vel bovem in regni confinio vendere, emereve auſint, fas tamen eſſet, equum expeditioni bellicæ, & boves colendis agris neceſſarios comparare: qui contra edictum vendendos equos ſine regis venia ad limites adduxiſſent, iis amiſsis in carcerem, furum inſtar, conjecti, & Comites, qui id diſſimularent, dignitate, cuſtodes autem limitum libertate privati, &, qui his præerant, rerum omnium amiſsione puniti ſunt. Eos, qui aliunde in Hungariam equorum, aliarumque rerum emendarum cauſa venere, ad regem adduci oportuit, a quo, quid, quantum-

ve

b) Ibid. c. 26.

ve fas esset emere, præscriptum, nec tamen, obtenta etiam venia, hoc iis integrum erat, nisi, quem rex adjunxerat, testis adesset. *a*) Atque hæc, quæ ad civilem institutionem pertinent, præcipua legum capita fuere.

VIII. Parta domi, forisque quiete, cum Germania interim factionibus scinderetur, neque auxiliares copiæ, quas ante Imperii Principibus subsidio se missurum promiserat, peterentur, ipse expeditionem, ad quam se olim voto obstrinxit, *b*) in Palæstinam suscipere cogitabat. Confirmabat illum in proposito Petri eremitæ ex ea reditus, qui regum aulas oberrans, miro omnes studio ad profectionem incendebat. Ipse Pontifex Urbanus II. partim litteris Patriarchæ Hierosolymitani, partim Imperatoris Byzantini rogatu, motus, cum alias ob causas, tum, ut Christianis barbarorum jugo pressis succurreretur, Concilium sequente anno Placentiam indixit. 1093.
c) Angli, & Franci omnium primi, soluto Concilio, necessarios ad hanc expeditionem 1034.

 ap-

a) Decr. l. 3. capp. 15. — 18.

b) Biogr. apud hagiogr. Tom. V. Jun. ad d. 27.

c) Quidam hoc Concilium ad sequentem an. locant, Chron. Malleacense vero apud Coletum Coll. Conciliot. Tom. XII. col. 826. ad an. 1094. Similiter Cod. Lamberti Atrebat. episc. apud Baronium.

apparatus fecere, &, quia Graecorum etiam
1094. causa, major itineris pars terra, quam mari, conficienda, ac per Hungariam eundum erat, quo tutius, commodiusque id fieret, missis oratoribus, Ladislaum, qui armorum gloria apud exteros inclaruerat, profectionis Ducem designarunt. *a*) Hoc ille tamen honore frui non potuit. Cum enim in Bohemiam ad sopienda dissidia, quae inter Conradum Ducem, ejusque cognatum orta erant, mo-
1095. vet, in itinere morbo correptus, cum se ad extrema deduci sentiret, secundum Ecclesiae instituta rite procuratus, in ipso reditu IV. Calendas Augusti obiit. *b*) Quo doloris sensu nuncium de ejus obitu in regno acceptum sit, illud indicio esse potest, quod Natio luctum sibi in triennium indixerit. Corpus Varadinum deductum, & in Ecclesia Beatae Virginis, *c*) quam, adjecto Sacerdotum Collegio, erexerat, conditum est, prodigiisque deinceps illustratum.

Si

a) Laudatus supra biogr. apud eosd. T. eod. & & Thurocz. Chr. P. II. c. 59.

b) Idem l. c. annalista Saxo, & Hildesheimens.

c) Ad discrimen Ecclesiae Cathedr. dicebatur: *Mariae minoris*, vel *juxta portum*, nempe fluvii Crysii. apud Pray epist. exeget. in dispunction. Ant. Ganoczy. p. 109. — 113. eratque Ecclesia Collegiata. & in castro condita, ut

patet

Si res gestæ illius abhinc, quam inita cum Salomone concordia, regnum jure adiit, spectentur, Princeps erat, qui ut corpore, statura enim & externa specie omnibus eminebat, ita animi dotibus ad regendum, suos quoque post Stephanum decessores longe anteivit, quorum plerique cum fere omnia ex suo, & assentatorum ingenio agerent, regnumque externis, & intestinis bellis involverent, id ille, institutorum Stephani memor, reducto pristino more, curas rei publicæ cum Optimatibus, quos ætas, & confirmata usu ipso prudentia commendaverat, partitus, domi pacatum ditionibus auxit, & adversus exterorum, imprimis Henrici Cæsaris, & Pontificis præsumtam opinionem, quin sibi propterea quidquam cum Germania negotii conficeret, aut de observantia in Pontificem a se desiderari pateretur, tutum præstitit, juris sui regii non minus, quam regni defensor, & vindex. 1095.

patet ex Collect. decimæ Pontificiæ sub Carolo Roberto, apud Pray cit l. p. 110. &c. Atque hic ille Conventus Varadien. est, cujus mentionem facit, ritus explor. verit. &c. pag. 264. — 68. Inde error illorum ortus, qui episcopatum Varadien. Ladislao conditori tribuunt. Vid. Pray Hierarch. Hung. P. II. pag. 128. &c.

1095. Uxorem habuit *a)* nomine Adelhaidem, *b)* Rudolphi *Anticæsaris* filiam, *c)* ex qua Colomannum, *d)* Pyriscam, seu Priscam, Joanni Comneno orientis Imperatori, Græcis *Irenen*

---

a) Domestica Chronica coelibem fuisse memorant, ipse tamen rex conjugem se habuisse testatur apud Pray Hierarch. Hung. P. I. pag, 272. *In prædio Merena, quod uxor nostra concessit — de nostra voluntate.* &c.

b) Hoc nomen ei lapis sepulcralis Veszprimij Sec. XV. adhuc prostans, sed in *Olhayt* detortum, tribuit. Vid. Pray Differt. de S. Ladislao pag. 93. Magis sincere id rex Emericus in dipl. an. 1204. exprimit: *cum in prædio quodam, nomine Merena, quod gloriosa regina Adulhayt, uxor videlicet bonæ memoriæ regis Ladislai Ecclesiæ B. Michaelis de Veszprimio contulit.* &c.

c) Pray c. l. pag. 91. & Dan. Cornides geneal. reg. Hung. pag. 1. seq. existimabant: fuisse filiam Bertholdi Zaeringensis, sed errorem detexit Cels. S. R. I. Princeps, & Abbas S. Blasii in Silva nigra, edito opere de Rudolpho Suevico &c. & pag. 133. luculente evincit, hujus Rudolphi filiam fuisse.

d) Id antiquissima Nota hist. Salonitanæ T. III. Script. rer. Hung. pag. 634. testatur his verbis: *Colomannus filius Wladislavi regis Hung. stans in regno, loco patris sui.* Adde Dan. Cornides geneal. reg. Hung. c. 5. & 6.

nen dictam, *a*) tum Sophiam, primum Ulri-
co Carentanorum, postea Magno, Saxonum, 1095.
Ducibus, nuptas sustulit. Colomannum ad-
huc vivens successorem regni designavit, *b*)
cum ut jus hæreditatis, Majorum sanctione
pragmatica constitutum, sed cujus ordo par-
tim intestinis motibus, partim ipsius etiam fa-
miliæ regiæ immodica ambitione perturba-
tus erat, stabiliret, tum, ut eo stabilito, an-
sam regni Ordinibus præcideret, deinceps in
partes discedendi, regnumque, quod propter-
ea in aditu misere convulsum repererat, a suo
obitu tranquillum relinqueret, *c*)

CO-

---

a) De hac Cinnamus hist. l. 1. ita: *quippe iam uxorem duxerat Joannes* (Comnenus) *Bladislabi filiam Eirenen.* &c. de Sophia autem testis est monachus Weingartens. apud Leibnitz T. I. pag. 785.

b) Hinc fabellam illorum facile refellas, qui illum antea episcopum Varadiensem, vel Agriensem faciunt.

c) De Ecclesia perinde, ut de regno, bene meritus. Nam præter episcopat. Zagr. conditum, & Collegiatam Varadini, ut dictum, Ecclesiam, auxit dotem Eccl. Veszprimien. Pray Hier. P. I. pag. 265. & fundavit Abbatiam S. Egidii. Idem Diss. de S. Ladislao pag. 47.

COLOMANNUS.

Ab anno 1095. — 1114.

1095. I. Peracta Varadini parentatione, tametsi jam designatus successor fuerit, rursus tamen corona incinctus est, quod postea, quoties filii vivis patribus coronabantur, in morem abiit. *a)* Vix regni possessionem adierat, cum profectioni in Palæstinam, quæ vivo Ladislao decreta erat, ex variis Europæ partibus initium datum. Quinque agminibus, alii post
1096. alios, Hungariæ appropinquabant. Primum Gualterus ductabat, qui impetrato libero commeatu ingressus, postquam transmisso Savo ad Moravam fluvium, venisset, ob rapinarum licentiam, primum ab Hungaris, mox, superato Morava, a Bulgaris male habitus, ægre in

a) Colomannum domestica Chronica tam deformem pingunt, ut monstro similior, quam homini, fuisse videatur. Pilosum enim, luscum, gibbosum, claudum blæsumque fuisse perhibent, Albericus contra, decretorum regis compilator, & Godofredus Abbas Zoboriensis, qui illum norant, nihil istorum sciunt, quin potius eum collaudant, apud Cornides geneal. reg. Hung. pag. 103.

in Thraciam evasit. Hunc Petrus cum secundo agmine consequutus, & a rege liberaliter acceptus est, sed tantæ multitudini regendæ impar, cohibere suos non potuit, quin, ubi ad Malevillam ventum est, cæsis quatuor Hungarorum millibus, urbeque direpta, cladem primo agmini illatam ulciscerentur, metu tamen subsidiorum, quæ rex suis miserat, Nissam fuga se subduxerant. Turpius tertium agmen, cui Godescalcus præerat, se dedit. Abusi, quæ eis data erat, emendi licentia, passim cædibus, rapinis, & violatis aliorum thoris, per iter grassati, ut Belgradum venere, specie Legationis ab Hungaris delusi, maximam partem cæsi sunt. Rex latrocinantium magis, quam peregrinantium mores exsecratus, quartum agmen, quod ad Meseburgum, hodie verisimiliter, Ovarinum, constiterat, ultra proficisci vetuit. Id illi injuriam suam interpretati, urbem obsidere parabant, cum advolantium Hungarorum metu perterriti, in fuga plerique trucidati, regnoque exacti sunt. Quintum agmen, quod mense Augusto Godefredus Bullionius adduxerat, aliorum exemplo admonitus, cum itineris rationem, missa Legatione, datisque obsidibus jam multo antea iniisset, non modo liberum aditum, sed rerum omnium, qua ibat, copiam a rege obtinuit, qui, ne quid injuriarum suis per iter inferretur, cum exercitu Ducem 1096.

co-

comitatus, ubi ad regni limites ventum, obsides secundum datam fidem, Duci restituit. a)
1096.

II. Interea, dum cruce signati Hungariam fere inundabant, & rex, ne quid detrimenti regno per eos inferretur, militiam domi variis locis dispersam servare cogeretur, Croatæ temporis opportunitate usi, Petro quodam, qui Bani dignitate inter illos eminebat, Duce, res novas moliri cœpere. Cum Almus resistendo impar esset, & periculum ipsa mora videretur crescere, Colomannus accelerato itinere in Petrum profectus, eo in pugna cæso, non solum, quod ex mediterranea Croatia amissum erat, recuperavit, sed maritimam quoque, in qua Belogradum, portu opportuno situm erat, in potestatem redegit. Conspecto mari, unoque velut obtutu, quæ inde commoda regno olim accedere possent, complexus, reliquam quoque ditionem, si justa causa se offerret, adjicere, in animo constituerat. Id Veneti, qui se maris Adriatici dominos ferebant, & honorabili titulo Ducum Dal-

a) Wilhelmus Tyren. archiepiscop. hist. L. 1. c. 18. & l. 2. c. 1. Bernardus Thesaurarius apud Muratorium script. rer. Ital. Tom. VII. pag. 671. & seq. Petrus Tudebodus, apud Du Chesne, script. rer. Francic. Tom. IV. pag. 777. & seq.

Dalmatiæ, ac Croatiæ *a*) utebantur, ſubodorati, ut tam potentem vicinum, bellique cupidum alibi occuparent, facile regi perſuaſerant, poſſeſsionem maritimam non ſatis ei tutam fore, niſi Nortmannos, qui hæc litora crebro infeſtabant, junctis ſecum viribus, ab hujusmodi incurſationibus cohiberet. Aſſenſus 1096.

a) Titulo hoc primus omnium uſus eſt Phaledro an. 1094. apud Muratorium ſcript. rer. Ital. Tom. XIV. pag. 254. *Vitalis Faletro de divinæ gratiæ largitate, Venetiæ, Dalmatiæ, & Croatiæ Dux, Imperialis Protoſevaſtus.* Sed quod ad *Dalmatiam*, & *Croatiam*, attinet, titulus ſolum uſurpatus, non item a Græcis conceſsus, erat. Luculente id firmat Anna Comnena, in Alexiade, ſeu patris ſui hiſtoria l. 6. pag. 129. edit. Venetæ. *Duci Venetiarum*, ait, poſt relatam de Nortmannis victoriam, *Protoſebaſti dignitatem cum congruo cenſu annuo contulit.* Nihil præterea. Obtinuit autem ab Alexio Comneno Imp. dignitatem *Protoſebaſti* an. 1084. qua plures deinde Duces uti cœpere, ſed ſolum ad dies vitæ, ut Sanſovinus hiſt. Ven. l. 11. teſtatur, ſine *Dalmatiæ, & Croatiæ* titulo, quo aliqui poſtea uti ſponte deſierunt, ut videri poteſt in libro Venetiis an. 1564. edito, hujus tituli: Volumen ſtatutorum, legum, ac jurium D. Venetorum, pag. 2. — 141.

sus utili, ut ad speciem videbatur, consilio,
1096. percussoque foedere, partem suorum militum navibus Venetorum impositam, transfretare in Apuliam passus est, qui captis Brundusio, & Monopoli, relictoque in iis praesidio, post trimestre victores rediere. *a)*

III.

---

b) Dandulus Chron. c. 10. p. .11 apud Murator. Tom. XIII. & Laurentius de Monacis Chron. l. 5. item Thurocz Chron. P. II. c. 62. Mira hac occasione, de icto inter Colomannum, & Venetos foedere, Lucius de regno Dalm. l. 3 c. 3. in haec verba refert: *in foedere inter Colomannum, & Venetos — icto, — cautum, ne ob Dalmatiae titulum, quem Veneti Duces jam usuceperant, uti Dalmatiae justi possessores — ulla quaestio moveretur, donec foedus duraret, ne ob inane tituli nomen communis defensio posthaberetur.* Verum de hac cautione nec Dandulus, nec de Monacis, quidquam memorant, patet tamen hinc, Venetos metuisse, ne Rex, occupata Croatia maritima, sensim etiam animum ad Dalmatiam adjiciat. Ceterum, si Veneti erant *justi possessores Dalmatiae*, non erat sumtus ab ea titulus *nomen inane*; vel si erat *nomen inane*, Veneti hactenus ad aetatem Colomanni non fuere *justi possessores* Dalmatiae. Alterutrum enim consequi necesse est. Sed de jure Venetorum in Dalmatiam alias saepius.

III. Occupata maritima Croatia, rationem de ea conservanda &, si occasio esset, 1097.
proferendis quoque illius limitibus, diligenter secum inibat. Græci terra vicini, Veneti sinu Adriatico quidem sejuncti, sed mari potentiores Græcis erant. Utrinque igitur, si aliquando ditionem hac parte latius proferre vellet, hostes sibi paratos videbat, quibus ut mari etiam par esset, nam Croatæ chelindris solum, & myoparonibus utebantur, de parando sibi amico, & armorum socio, qui classe potens esset, solicitus erat. Proximi trans Adriaticum Nortmanni, maritima Apuliæ littora, & Siciliam colebant; præerat his Rogerius, bello navali cum Græcis, & Venetis, ad Dyrrachium alias inito, celebris. Hunc sibi fœdere conciliandum statuit. Erant ei, filiæ duæ, Emma, & Busilla, illa Roberto Arverniæ Comiti nupta, hæc adhuc virgo. Hanc sibi, missa Legatione, cui Harduinum Jaurinensem episcopum præfecerat, conjugem petiit. Non abnuit Rogerius, sed, an res serio ageretur, dubitans, nec enim captæ ab Hungaris anno superiore Brundusium, & Monopolis animo exciderant, ipse quoque Legatos suos in Hungariam misit, quos ubi firmatis juramento a se, Almoque, & Ordinibus regni, nuptiarum pactis, liberaliter donatos rex dimisisset, sponsa cum splendido comitatu

tu ad portum Belogradensem, *a)* tum in Hungariam mense Majo adducta, regi, constituta dote, in manus convenit. *b)*

1099. IV. Celebratis nuptiis, &, remisso, qui sponsam adduxerat, cum sociis, Lescastrensi episcopo, ne amoribus novæ conjugis irretitus rem publicam negligere videretur, Bretislaum Bohemiæ Ducem in regni limitibus convenerat, & datis, acceptisque mutuo muneribus, fœdus utriusque ditionibus opportunum, cum eo instauravit. *c)* Convocato dein
1100. anno sequente, episcoporum, & Optimatum concilio, leges a decessoribus latas secundis curis cognosci, partim etiam illustrari, &, sicubi severiores essent, quam ut Nationi ad Europæos mores magis jam consuefactæ, vide-

a) Malaterra coævus, apud Muratorium Tom. V. L. 4. c. 25. de comitatu sponsæ: *qui navibus apparatis, puellam cum multis sponsalibus, — velis vento commissis, — per æquora feruntur, usque dum in portum Albæ, qui JURIS REGIS Hungarorum est, impune applicant. Hic Vincurius, Comes Beligratæ missus cum* 5000. *armatorum obvius fuit, eamque — ad regem perduxit. Per totam Pannoniam nuptiæ regis præconizantur.* &c.

b) Id. ibid.

c) Cosmas Pragen. apud Mencken Tom. I. col. 2079.

derentur congruere, mitigari, vel antiquari penitus voluit. Quae ad praesens argumentum pertinent, huc fere redeunt. Cum arduum fuerit, ex diversis regni provinciis curiam regalem pro lite decernenda semper adire, placuit, synodale judicium in quovis episcopatu semel, iterumque quotannis, initio mensis Maji, & in fine Septembris celebrari, quo Comitibus, aliisque magistratibus comparendum erat. Hic lites eorum, qui ad Regis, & Ducis aulam spectabant, Comitum quoque & Abbatum a Synodo, eorum vero, qui dignitate his minores erant, a judice inferioris ordinis cognoscebantur. Vetitum etiam, ne profanus Clericum sigilli missione in judicium vocet, sed, si huic cum illo res esset, ad judicem ordinarium, sin vero illi cum Clerico, ad episcopum causae cognitio pertineat. Si rex in Comitatu adesset, duo judices provinciales, dissensionem populi, si quae esset, componant: qui litem in Synodo judiciali, semel, iterumque, ac tertium non finiisset, ne prorogatio in alterius damnum vergat, porro audiri prohibitus est. Judicium ferri candentis, & aquae ferventis, solum ad sedes episcoporum, & Praepositur as majores, ut Posoniensis, & Nitriensis erant, restrictum. a)

1100.

Poe-

a) Decr. l. 1. c. 1. & 2. — 64.

Pœnas quoque pro criminibus plectendis, hactenus a decessoribus statutas, tem-
1100. perare visum est: delicta ut plurimum vel numerata pecunia, vel arbitrio episcoporum castigabantur. Membrorum item mutilatio abolita, nisi fur sceleris convictus fuisset, tum quidem oculis privatus est, & uxor, si conscia fuit, una cum filiis, si quindecim annos superabant, in servitutem redacta. Mancipiorum, servorumque conditio, aliquantum a priore, lenior reddita: servum gente Hungarum, aut in Hungaria natum nefas omnino fuit, vendere: &, ne regnum incolis destituatur, cautum, ne quis sine sigillo Comitis telonio præfecti, limites egredi audeat: Judæis mancipium Christianum, ob perversionis periculum, ne quidem ad colendos agros, aut ab obsequio domestico, habere concessum: Ismaelitis, erant hi hominum aliunde venientium, & sectæ Mahometanæ addictorum colluvies, graviter vetitum, filias viro suæ gentis, sed Hungaro, nuptui collocare, ut virorum consuetudine sensim ad religionem Christianam adductæ, parentibus ad eandem amplectendam incitamento essent; qua de causa eisdem imperatum, ut in quavis villa Ecclesiam ædificent, eique dotem constituant, qui, hac ædificata, pergerent a carne porcina abstinere, & ablutione corporis, ceterisque sectæ suæ ritibus uti, ab aliis extra villam

se-

ſecernantur. a) Hæc religionis cauſa, quemadmodum & alia ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentia, epiſcoporum rogatione conſtituta erant. b) 1100.

Quædam etiam de iis, quæ ad bonorum proprietatem, hæredum ſucceſsionem, & proventus regios ſpectant, aliter conſtituta ſunt. Jus in fundos a Stephano donatos, utriusque ſexus legitimis hæredibus confirmatum; non item in illos, quos alii reges contuliſſent, horum enim proprietas ſolum ad filios, qui ſi deeſſent, ad defuncti germanum fratrem, hujusque filios pertinebat, ſin autem fratre careret, ad regem rediit. Hæc in avitis bonis ſervata ratio: de iis autem, quæ precio comparata erant, ſi emtionem legitimo teſtimonio firmaret, libera cuivis diſponendi facul-

a) Decr. l. 1. Capp. 46. 47. 48. & 56.

b) Ex his præcipua ſunt: ut Presbyteri bigami, aut viduarum, vel repudiatarum mariti, ab officiis divinis removeantur; nec fas ſit epiſcopis, conjugatos ſacris Ordinibus initiare, niſi uxoribus conſentientibus, & caſtitatem voventibus. Præterea, ut matrimonium in Eccleſia, præſente ſacerdote, teſtibus, & conſenſu partium iniretur, alioquin irritum eſſet. Itaque matrimonia clandeſtina bene quadringentis annis ante Concilium Tridentinum, in Hungaria jam prohibita erant.

tas permissa. Ecclesiis quoque, & monasteriis
1100. is bona, a quocunque rege collata fuissent, integre relicta, piscinas solum superfluas adimere libuit. *a*) Ad proventus regios, præter tributum fori, quod jam a condito regno universe constitutum erat, redituum in quovis Comitatu duæ partes regis, tertia Comitum parochianorum, in suo, cui præerant, Comitatu, fuit: Colligebantur autem centuriatim, & Strigonium ad III. Calendas Octobres deferebantur: si quis, quod tribuendum quotannis erat, non præbuisset, duplum præstare debebat. *b*) Iisdem Comitibus, præsertim qui li-

---

a) Lex pro *piscinis* habet *pistrinas* errore scribarum. Re enim vera, legendum est, *piscinas*. Hoc autem nomine subaudi, piscationem præsertim acipenserum, sive Husonum, quæ erat juris regii, ut patet ex litteris Andreæ II. an. 1223. *præterea*, ait illic, *renovamus confirmantes donationem S. Stephani monasterio S. Martini, secundum quod inspeximus in serie privilegii regis Geisæ, quæ in temporibus Colomanni, & filii sui Stephani regum subtracta fuerunt, sed Geisa rex, intuitu divinæ remunerationis restituit plenarie, videlicet, tertiam partem Husonum, qui capiuntur Geurini, in pertinentiis ad Comitatum, & regiam dignitatem* &c.

b) Decr. l. 1. c. 79.

limitaneis provinciis præfecti erant, mandatum, ut, ſi famam, quæ momenti alicujus eſſe videretur, e vicinia afferri, & crebreſcere audirent, mutatis quater equis, etſi hos curſu interire contingeret, regem celerrime edoceant, quo mature, ſi quid periculi ſubeſſet, regno conſuli poſsit. a)

V. Dimiſſo Concilio, rurſus ingens cruce
ſignatorum numerus Hungariæ appropinqua- 1101.
re ferebatur. Res proſpere ab iis, qui primi in
Palæſtinam profecti ſunt, geſtæ, plurium
animos concitabant. Alii per Carinthiam,
per Auſtriam alii progreſsi, ubi emenſa in-
dultu regis pacifice Hungaria, Bulgariam at-
tigerant, partim ab incolis, partim a Græcis,
qui Palæſtinam Latinorum viribus ſibi aſſe-
rendam putabant, male mulctati, ægre, ii-
que paucifsimi Hieroſolymam pervenere. b) 1102.
Rex his digreſsis, ob novas Croatarum mo-
litiones, procurato exercitu, ad Dravum, a
quo non longe ipſi etiam ſuas copias habe-
bant, profectus, rem primum prælio expe-
riri cogitabat, ſalubriore tamen poſtea con-

 ſilio

a) Ibid. c. 36. *ſi magna fama Marchiam intraverit* &c. Marchiam aliqui erronee in monarchiam convertunt. *Marchia* enim medio ævo limitem notabat.

b) Conradus Urſpergenſis ad an. 1101. & Albertus Aquenſis l. 8. c. 34.

filio usus, missa legatione, animos illorum
1102. pertentandos censuit. Accepta est præter spem, a primoribus duodecim Tribuum liberaliter, qui non multo post, inito communi consilio, se regi his pactis dedidere: ut cuivis res suæ salvæ, integræque maneant, nec ullo censu obstringantur, in cujus loco, si hostes Hungariam invaderent, & rex posceret suppetias, quælibet generationes Tribuum, decem armatos equites in bellum profecturos mittant, qui usque Dravum propriis, ultra hunc autem regiis sumtibus alerentur, nec ante eis fas sit a signis discedere, quam bello finis esset impositus. b) Prospero hoc eventu incitatus, copias Spalato admovit, misitque in urbem nuncios, qui, ut cives sponte se dedant, peterent, nisi facerent, vastitatem agrorum, & urbis ruinam minarentur. Illi obfirmato quidem animo defensionem parabant, sed, ubi viciniam flammis collucere viderunt, suasu Crescentii episcopi deditionem fecere, pactisque initis, & juramento firmatis, se posterosque suos, in regis, ejusque successorum Hungariæ regum fide mansuros polliciti sunt. Spalatensium exemplo, Traguriensesꝫ & Jadrenses se paulum post regi quoque subdiderant, quibus postquam immunitates suas confirmasset, regio diademate Belogradi incin-

a) Archidiac. Spalatens. hist. Salonitanæ p. 635.

cinctus, sumtoque regiæ Croatiæ, ac Dalmatiæ titulo, utrumque regnum juri Hungariæ asseruit. a) Arbam quoque, sed irrito conatu, tentavit, cum jactura rejectus, quam sequente tamen anno, occupata Rama, seu Bosnia, cujus titulum ceteris quoque adjecerat, b) cum fœnore resarsit. Hæc, ut accessione utriusque regni ob maris, & commercii opportunitatem, Hungariæ magnopere commodabant, ita, quod Venetis in Palæstina absentibus gesta fuissent, serius dein inter reges, & Venetos frequentem litibus occasionem dedere, quod hi jus in Dalmatiam, & Croatiam, ex permissione Basilii, & Constantini Imperatorum Orientis, c) tum ex dono Alexii Comneni bulla aurea roborato, jam 1103.

 multo

a) Archidiac. Spalatens. l. cit. pag. 556. & Lucius de regno Dalm. & Croat. l. 3. c. 3.

b) Farlati Illyr. Sacr. T. V. pag. 233. & Luc. l. cit. l. 6. c. 4.

c) Dandulus Chr. l. 9. P. 15. & 16. & Laurentius de Monacis Chron. l. 4. sed utrumque erroris convincunt documenta Dalmatica apud Lucium, *Memorie istoriche di Tragurio, ora detto Trau* pag. 192. — 94. quæ Dalmatiam & Croatiam annis 908. & 986. Græcis paruisse testantur, quemadmodum serius etiam ad an. 1067. ut videre est, apud Lucium de regno Dalm. & Croat. l. 2. c. 8. 9. 15. &c. Abhinc autem reges

multo ante se habuisse prætexerent, d) ut,
1103. cum eo ventum fuerit, memorabitur.

VI.

---

ges Croatiæ rerum potiebantur, ut diplomata, quæ longum esset exscribere, apud Lucium fidem faciunt.

d) De bulla aurea Alexii Comneni: Scriptores Veneti crebrò quidem memorant, sed nunquam, quod sciam, in apertum produxerunt. Scriptores Græci contra nihil de donata Dalmatia norunt. Juvat Annam Comnenam, Alexii illius, ad quem se Scriptores Veneti referunt, filiam audire. Hæc sunt illius, Alexiados lib. 4. *Venetos quoque — concitare adversus Robertum* (Nortmannorum Ducem) *studuit* (Alexius) *oblatione, promissioneque donorum, ab eis contendens, ut nauticum omnem suum apparatum quamprimum educerent — Dyrrachiumque peterent, — pugnamqae navalem cum Roberti classe committerent, certis sibi in quovis eventu suis præmiis — eadem se repræsentaturum, quæ polliceretur. Quod si quæ præterea superent, quæ salva republica concedi possent, facillimum in annuendo se futurum, concessionibusque firmitatem æternam bullarum aurearum expeditione adjuncturum.* Quis autem sibi persuadeat, Dalmatiam, & Croatiam, *salva re publica*, potuisse Alexium Venetis donare? Post obtentam autem Venetorum de Roberto vi-

VI. Redux e Dalmatia, ductaque post *Busillae* mortem *Predeslava*, Principis Russiae 1104.
filia, eaque dein ob filium Borichium ex adulterio susceptum, magnasque olim turbas in Hungaria daturum, repudiata, iterum in Dalmatiam ob Jadrensium defectionem proficisci coactus est. Cum urbem frustra obsidione premeret, maluit cives 1105.
benevolentia, quam vi, ad officium revocare, quod non inanis suspicio esset, eos non tam sponte sua, quam Venetorum subornatione, obe-

---

victoriam, subjungit Anna lib. 6. Ducem Venetorum titulo Protosebasti, & annuo censu fuisse ab Alexio donatum, Melphensium, qui Constantinopoli erant, officinas fecisse vectigales Ecclesiae S. Marci, *praeter magnas*, ut addit, *immobilium largitiones tum Constantinopoli, tum Dyrrachii, tum ubicunque alibi illi petierunt, quodque maximum omnium fuit, mercimonia ipsorum cuncta, quovis portorio, aut vectigali decrevit immunia in omne tempus esse in cunctis Romanae ditionis locis.* Dalmatia, & Croatia certe inter *res immobiles* sunt, atqui neutrius inter *largitiones* uspiam fit mentio, nec *libera mercimonia* fuissent *omnium maximum*, si Dalmatiam, & Croatiam Venetis donasset, cum duo regna semper pluris aestimanda sint, quam libera mercimonia.

obedientiam detrectasse. Valuit, quo hacte-
1105. nus bono semper eventu usus est, consilium, propositæ civibus honestæ conditiones sunt, iisque utrinque firmatis, Urbs, interprete Traguriensi episcopo, in fidem recepta. a) Arbenses quoque, quos prius frustra tentaverat, & nunc quoque urbem cum insula strenue tuebantur, viso Jadrensium exemplo, regis potestati se permisere. Ita omni Dalmatia cum insulis potitus, se dominum maris Adriatici ferebat. b)

Has armorum progressiones, simultas in-
1106. ter regem, & Almum Ducem, qui illo absente in Germaniam se subduxerat, importuno plane tempore intercepit; mox tamen regi conciliatus, in Hungariam rediit, tametsi concordia haud diuturna esset, quod alter alteri insidiari, assentatorum mendaciis circumventi, sibi persuaderent. c) Itaque Almus securita-

---

a) Archidiac. Spalaten. l. cit. pag. 556. Lucius de regno Dalm. l. 3. c. 3.

b) Farlati Illyr. sac. Tom. IV. pag. 313. & Kerchelics Notit. prælimin. pag. 114.

c) Thurocz Chron. P. II. c. 60. Aliqui renunciationem investituræ episcoporum ad hunc an. referunt, illis epistolæ Paschalis II. ad Colocensem, ut creditur, archiepiscopum datæ verbis: *quid super episcoporum translationibus loquar, quæ apud vos non auctoritate Aposto-*

tatis causa, rursum fuga ad Imperatorem Henricum V. evasit. Etsi rex facile intelligeret, 1107.
quas ille sibi apud exteros turbas posset conficere, non tamen propterea curas stabiliendæ sibi Dalmatiæ posuit. Iterum ad Dalmatinos profectus, urbesque in fide confirmans, Tra- 1108.
gurinis immunitates, edito juramento, largitus est. Hæc earum capita erant: cives perpetuo immunes a tributo essent, vectigalium tamen, quæ exteri pendere solent, duæ partes

lica, *sed nutu regis præsumuntur?* verisimilius tamen videtur esse, epistolam hanc non in Hungariam, sed Angliam fuisse scriptam. Vid. Pray Hierarch. P. II. pag. 14. Si tamen Colomannus investituræ renunciavit, certe successores eam sibi rursus arrogasse conficitur ex verbis Geisæ II. *institutionem* (ait) *videlicet quod depositionem, seu translationem episcoporum non facerent, vel fieri permitterent, confirmamus, & tam in nobis, quam in posteris nostris — inviolabiliter duraturam censemus. — Hæc autem omnia de consilio gloriosæ reginæ matris nostræ, & archiepiscoporum, episcoporum omnium, electorum Præpositorum regalium, atque Abbatum, Comitum omnium Procerum, & aliorum Principum stabilita, & firmiter corroborata noscantur, Actum Waciæ anno* 1159. Ex Cod. Ms. Membran. Tabul. Vaticani Num. 2040. f. 56.

tes regi, tertia Urbis Comiti, & decima episcopo cederet: hujus, & illius optio in populi, confirmatio autem in regis sit arbitrio,
1108. Hungarus, exterusve, jus domicilii ne habeat invitis civibus, quibus, si vellent, cum familia, & rebus alio impune migrandi facultas esset. a) Morantem adhuc apud Dalmatas, nuncii de Henrico cum exercitu in Hungariam adventante, domum revocarunt. Susceperat Imperator Almi b) patrocinium, & vocato in armorum societatem Svatoplugo Bohemorum Duce, Posonium obsederat, Bohemos vero, ut Hungarorum vires distraheret, interea ditionem inter Vagum, & Danubium incursare jussit. Sed cum obsidio lente procederet, & Poloni præterea cum Borivorio, quem Svatoplugus antea regno privaverat, in Bohemiam ir-

a) Lucius l. 3. c. 4.

b) Annal. Hildesheimen. ad an. 1108. Quidam scriptores Germani, & inter hos annalista Saxo, suscepti ab Henrico belli causam, non tam Almi patrocinium fuisse existimant, quam quod Colomannus fines regni Imp. in locis maritimis invaserit, quod a vero prorsus abhorret. Etsi enim Carolus M. arma in Istriam, & Liburniam protulerit, maritimas tamen Dalmatiæ urbes Nicephoro Orientis Imp. ob amicitiam, & junctum cum eo fœdus, permisit, ut Eginhardus in vita Caroli M. cap. 15. testatur.

irrupissent, pace confecta, & Almo regi iterum conciliato in Germaniam rediit. *a*) Al- 1108.
mus tamen, sive non satis post Cæsaris discessum, regi fideret, & si placabilem hujus animum crebro alias expertus esset, sive voluerit omnem de se male suspicandi occasionem vitare, Jerosolymam proficiscendi veniam petiit, & obtinuit. Commodum rex Legatos Constantinopolim missurus erat, qui suo nomine pa-

---

a) Otto Frisingen. apud Urstisium Tom. I. col. 621. & Dodechimus ad an. 1108. Ad hunc quoque an. Polonici scriptores Dlugossus l. 4. & Cromerus l. 5. referunt colloquium Colomanni cum Boleslao Pol. rege, quo communes sibi amicos, & hostes fore stipulati sunt, fœdusque affinitate sancitum fuisse, vi cujus Juditha Boleslai filia Stephano Colomanni filio desponderetur, quæ in dotem Scepusium aquirat. Sed nec Juditha unquam Stephano in manus convenerat, nec Scepusium unquam ditionis Polonicæ fuisse patet ex dipl. Emerici regis an. 1198. quo decimas terræ Scepusiensis archiepiscopo Strigoniensi his verbis confirmat: *sicut per sanctos reges erant donatæ*: quo nomine cum præcipue Stephanus, episcopatuum conditor, præcipue Strigoniensis, veniat, consectarium est, Scepusium jam sub illo Hungaricæ ditionis fuisse, cum decimæ in alieno fundo donari non possint.

pacificationi inter Alexium Imperatorem, &
1109. Boamundum Antiochiæ Ducem, ineundæ, testes adessent, & pactis conventis subscriberent. *a)* Cum his profectus, iter porro in Palæstinam pertendit, Rex vero, memor injuriarum, quas Bohemi, dum Cæsar Posonium obsederat, interamnensi ditioni intulerant, vicissim Moraviam hostiliter invasit. *b)*

VII. Sed hoc vindictæ genus magis ad irritandum, quam in officio continendum, hostem valuit. Svatoplugus, ut vicem redderet, ipsa sequentis anni hyeme, cum exercitu inopinus ad urbem Nitriam constitit, & succenso suburbio, omnemque late viciniam populatus, ingentem jumentorum, ac ceterarum rerum prædam abduxit. *c)* Dissimulanda hæc regi erant, curæ Ecclesiarum tam Hungariæ, *d)* quam Dalmatiæ intento. Hactenus enim ab hac occupata, civium dumtaxat jura, & immunitates partim confirmavit, partim novas indulserat, nunc vero, ut Dalmatiam Hungariæ magis connecteret, non so-
1111. lum privilegia Arbensis Ecclesiæ, quæ a Crescimiro rege olim obtinuerat, rata habuit, sed reliquas etiam universim Dalmatiæ Ecclesias, iis-

a) Anna Comnena Alexiad. l. 13. in fin.
b) Cosmas Pragens. ad an. 1108.
c) Id. ad an. 1109.
d) Vid. Pray, vita B. Margaritæ, Belæ IV. filiæ pag. 222. S. Stephani dipl. Græcum, & Colomanni Latinum.

iisdem immunitatibus, quae Clero Hungariae erant concessae, uti, fruique voluit, & tam Palatini Hungariae, quam episcoporum, Procerumque utriusque regni testimonio firmari. a) 1111.
Jam abhinc, quam occupato portu Belogradensi, maritimam Croatiam, & deinde Dalmatiam sui juris fecit, eam animo destinationem conceperat, ut utrumque regnum consimili, quoad fieri posset, legum, ac jurium communione, Hungariae conjunctum, uni deinceps capiti pareret. Id in causa fuisse videtur, cur Almo, quem Ladislaus regem mediterraneae Croatiae renunciaverat, Ducatum in Hungaria attribuerit, ipse autem utramque Croatiam cum regio titulo sibi asseruerit. Inde simultatis, & dissidii utrinque origo, cum ille se Ducem ex rege factum, aegre ferret, rex contra majorem boni publici, quam sanguinis, rationem habens, vereretur, ne non Croatia, si hujus partem Almo relinqueret, sensimque diversam familiae regiae stirpem conderet, aliquando ab Hungaria penitus avellatur.

VIII. Hoc erat illius in hac regnorum conjunctione propositum, salutare id quidem, & Hungariae opportunum, nisi id parum humano facinore contaminasset. Almum enim, postquam ex Palaestina rediit, cum ob instabilem ejus indolem, tum ex praeteriti temporis, quo Caesarem, aliosque in se concitaverat, 1113.

rat,

a) Lucius l. 3. c. 4.

rat, memoria veritus, ne is, a ſuo obitu rem
1113. hucusque adductam interturbaret, filioque ſucceſſori propterea moleſtus eſſet, una cum Bela filio oculis privari, & hunc præterea, ut omnem poſteritatis ſpem tolleret, evirari, clauſtroque Demeſienſi utrumque includi juſſit. Obſequuti quidem juſsis ſunt, quibus id mandatum erat, pueri tamen innocentia, & commiſeratione regii ſanguinis commoti, poſtquam oculis utrumque orbarunt, allatis, quos cani exſecuerant, teſticulis, regem fefellere.
1114. Nec hic ſævitia ejus ſtitit. Morbo lethali oppreſſus, nova ad capiendum Almum mandata dederat, ne, ſe defuncto, hic quoque jamjam morituri metus erat, filium ſucceſsione excluderet. Irritus tamen & hic conatus fuit. Sacerdotes enim ad miſeri clamorem exciti, arasque, ad templum enim ſalutis cauſa confugerat, amplexantem, ab exitio ſervarunt, *a*) non impune id eis futurum, ſi rex, III. Nonas Februarii in medio armorum contra Ruſſos apparatu exſtinctus, vitam produxiſſet. *b*) Feritas, qua in cognatum ſanguinem deſæviit, ei vitio vertitur, cetera ob inſignes regendi dotes, & acceſsionem regnorum, Dalmatiæ, & Croatiæ, quæ magis oblata per Legatos pactione, quam armis, Hungariæ adjunxerat, laudem apud poſteros conſequutus.

STE-

a) Thurocz. Chron. P. II. c. 62.

b) Schier regin. Hung. pag. 90.

STEPHANUS II.

Ab Anno 1114 — 1131.

I. Vivido ingenio, sed juvenis admodum, rerumque expers, patri succesſit. Itaque regni adminiſtratio curæ Tutorum, quorum, cum plures sunt, rara quoque animorum concordia esse solet, credita fuit. Veneti, quos Colomannus armorum metu in officio continebat, usi ætate juvenis regis, animum ad occupandam Dalmatiam adjecere. *a*) Abhinc enim, 1114.

---

a) Dandulus contendit, Venetos Alexii Comneni orientis, & Henrici V. occidentis Impp. auxiliis ad recuperandum Dalmatiæ dominium, adjutos fuisse, contra hiſtoriæ illius temporis veritatem. Alexio enim in Europa cum Cumanis Græciam infeſtantibus, & in Aſia cum Turcis, plus negotii erat, quam ut id præſtare potuerit, & Anna Comnena, ejus filia, Alexiad. l. 14. & 15. nihil prorſus de hoc auxilio memorat. Henricus vero, qui in occupanda Mathildis Comitis ditione, occupatus, & mox novis cum Paſchale II. Pont. tricis implicitus erat, ipſe copias undique, in Italiam profecturus, contrahebat. Recuperari autem illud ſolum poteſt, in cujus dominio prius erat, hoc autem

enim, quam ab Alexio Comneno liberum commercium in Græcis ditionibus obtinuere, magno id eis impedimento erat, quod Dalmatiæ portubus carere debuerint, nec, quem ſperabant, mercimonii fructum referre. Comparata igitur claſſe, Ordelaphus Phaledrus, Dux Venetorum, verſus Dalmatiam flexit. Vix in conſpectu erat, cum Arbenſes, primi
1115. omnium, deditionem fecere. Inde Jadra intercepta, caſtrum tamen, quod Hungarorum præſidio tenebatur, hoſtis conatum tantisper ſuſtinuit: Spalatrum temeritate Ducis, qui turrim cum Hungaris tuebatur, amiſsum, pauloque poſt caſtro etiam Jadrenſi expugnato, Sibenicum, Tragurium, & Belogradum, de-

autem Venetis in Dalmatiam non competiiſſe, in rebus Colomanni, monſtratum eſt. Quid quod ipſi Veneti id fateantur. Ipſe enim Ordelaphus an. 1118. apud Lucium l. 3. c. 4. eandem libertatem Arbenſibus confirmat, *quam — antiquitus — ſub Imp. Conſtantinopolitano, & ſub rege Hungarorum* habuere, & *ſicuti — Dalmatinis Colomannus rex Hung. juravit.* Si Veneti unquam ante Hungaros dominium Dalmatiæ habuiſſent, cum regna vel hæreditatis, vel electionis, aut armorum, pactorumque jure aquirantur, certe inter Imp. Græcorum, & Hung. regem, Venetorum juris in Dalmatiam, mentio interjicienda erat.

deditione in Venetorum potestatem venere. *a)* Ita omnis pene Dalmatia, cum Croatiæ portubus, brevi tempore amissa est. Tutores, qui Dalmatiæ jacturam, Hungarorum, qui stipendia isthic merebant, paucitati tribuerunt, expeditionem majoribus copiis in sequentem annum decrevere. Habito igitur delectu, Jadram accelerato itinere ventum, & urbs obsessa. Phaledrus, cognito periculo, rursum instructa classe adfuit, & prope urbem pugnam auspicatus, cum inter primos rem fortiter gerit, cæditur. Ducis casu miles fugatus, in urbem, ne in hostis manus veniret, se recepit. Fama infausti prælii Venetias perlata, Senatum vehementer perculit, &, ne quod recens occupatum erat, amitteretur, Legati in Hungariam missi, qui, si pax iniri non posset, inducias impetrent. Confectæ sunt in quinquennium, *b)* sed quibus conditionibus, nuspiam est proditum, credibile tamen est, Jadram cum Arba Venetis esse permissam, Spalatum autem, & Tragurium cum reliqua ditione Hungaris cessisse, cum Stephanus 1116.

 utri-

a) Dandulus Chron l. 9. c. 11. pag. 17. Laurentius de Monacis pag. 102. Conf. Lucium l. 3. c. 4.

b) Apud Muratorium T. XII. in margine Cod. Ambrosiani.

utrique urbi octavo post anno, a) immunita-
1116. tes a patre concessas confirmaverit, nec tamen intra hoc tempus arma inter utrosque collata fuisse, quisquam memoret. Veneti, retentam his induciis Jadram in lucro reputabant, quod fixo semel in Dalmatia pede, etiam reliquæ sensim occupandæ, ut eventus docuit, spem non vanam haberent; Rex contra, quamdiu princeps regni urbs in illorum potestate maneret, non satis tutam sibi Dalmatiæ possessionem ratus, elapso induciarum tempore, eam recuperare constituerat, prius tamen, ne quid impedimenti aliunde injiceretur, pristinam cum Bohemorum Duce amicitiam instaurare cupiebat. Convenere, ut condictum erat, in limitibus Hungariæ justo fere uterque exercitu. Id, quasi alter alteri insidias vellet struere, suspicionem primum ambobus ingesserat, quæ postea in rixam, & hæc in pugnam desiit, ex qua pari uterque damno, nulloque alio, præter vastitatem, relato operæ precio, discessere. b)

II. Urebat adolescentem regem jactura
1117. accepta, metuensque, ne propterea de se, Tutorum cura jam exempto, non optimam spem

a) Exstat privilegium apud Lucium l. 3. c. 4. annum 1124. referens.

b) Cosmas Pragen. ad an. 1116.

ſpem ſui conciperent, damnum alibi reparare ſtatuit, nullaque hoſtilitatis cauſa oblata, in Auſtriam irrumpens, proximam Leitæ fluvio regionem depopulatus eſt. *a*) Hoc ſucceſſu animum reſumens, cum militem opulenta præda jam proniorem haberet, rurſus ſequente anno Auſtriam infeſtus petiit, actisque iterum ultra Leitam ſpoliis, rediit. *b*) Leopoldus Auſtriæ Dux gemina injuria, quin ullam 1118.
cauſam præbuerit, irritatus, adſcito in armorum ſocietatem Bohemorum Duce, viciſsim Hungariam altero anno invaſit, everſoque caſtro ferreo, & viciniam ei ditionem igne, ferroque vaſtans, damna Auſtriis illata cum foenore penſavit. *c*) Rex, ut pro ætate juvenili, proſpero rerum eventu, ſui impotens, ita, 1119.
dum adverſam fortunam experiebatur, animum ſolebat remittere, brevi poſt arma pertæſus, totum ſe vagis amoribus dedit, ex uno, in alterum vitium prolapſus. Offenſi hac vitæ licentia, regni Optimates, & de ſervanda ſtirpe regia ſoliciti, de conjuge ei ducenda deliberabant. Delecta eſt, conſentiente etiam rege, Adelhais, Henrici Landgravii 1121.
Stelphenſis, & Burggravii Ratisbonenſis filia,

S 3 Leo-

a) Excerptum Rikardianum ad an. 1117.
b) Chron. Auſtriac. ad an. 1118.
c) Excerpt. Rikardianum Faſt. Campililien T. pag. 180.

Leopoldi Ducis Austriæ, ex sorore Richerda, neptis. *a*) His nuptiis non solum pristina cum Austriis concordia redintegrata est, sed rex conjugis consuetudine sensim etiam ad frugem reductus, mitioraque consilia amplectens, solertius curam rei publicæ suscepit, & ad eam augendam studium deinceps omne contulit.

1122. III. Hoc animo cum esset comparatus, pacem cum vicinis Principibus, quos alias infestare solebat, *b*) impensius cœpit colere, & benignior in exteros esse. Cumanis, qui prælio cum Græcis in Thracia nuper commisso, victi in Hungariam confugerant, jus civitatis concessit. *c*) In sanguinem quoque Almi Du-
1123. cis, patre clementior, filiam illius Adelhaidem, Sobieslao Moraviæ Duci nuptam, sed viro per fratrem in Germaniam exacto, ad se venientem accepit liberaliter, & pro dignitate habuit. *d*) Præcipue autem de Dalmatia solicitus, ne Veneti ditionem suam sensim ul-
1124. tra Jadram proferrent, Spalatensibus, & Tragu-

---

a) Schier Regin. Hung. pag. 100.

b) Excerpt. Rikardian ad an. 1117. *Stephanus Hungarorum Rex, omnium vicinorum pacem turbans* &c.

c) Thurocz P. II. Chron. c. 63. Marignolus apud Dobner Monumentor. T. II. p. 199.

d) Annal. Saxo apud Eckard T. I. col. 653.

gurinis. easdem immunitates, quas eis pater concesserat, edito juramento se ratas habere pollicitus, cives in fide confirmavit. a) Impedire tamen non potuit, quin altero anno Saraceni, qui mare Adriaticum piratica infestum 1125.
tenebant, Tragurium mœnibus nudarent, & pene funditus everterent, jam tum, ut videtur, bellum Russicum, quod pater morte præventus intermiserat, animo complexus. Et oblata ei est non multo post occasio. Jaros- 1127.
laus, quem Wladimirus Ducatu Kioviensi expulerat, suppetias a rege flagitabat, facileque obtinuit. Bellum ergo in Russiam traductum, ut vindictæ magis studio, quam causæ æquitate cœptum est, ita male quoque desiit. Cum enim ad obsidendam arcem Kioviam ventum, Duces mandata detrectantes, aperte professi sunt, se nequaquam passuros, ut suorum sanguis, exterorum causa, nulloque regni emolumento fundatur, malle se regredi, &, si e re publica visum fuerit, regem se electuros, qui hominum sibi subjectorum sanguini norit parcere. Cessit, metu, præquam oportebat, victus, & signa convelli jussit, verum redux tam graviter in autores seditionis animadvertit, ut modum etiam excederet. Asmus audita regis severitate, suo quoque capiti metuens, Constantinopolim ad Imperatorem Joannem

a) Lucius l. 3. c. 4.

Comnenum ſecuritatis cauſa confugit, apud quem pro cognationis jure liberaliter habitus, ad finem vitæ exul permanſit. a)

1128. IV. Rex ne profugum quidem ſinens quieſcere, miſſa ad Comnenum legatione, ut is finibus Romani Imperii exigeretur, petiit. Id cum negatum eſſet, bellum Græcis indixit, cauſam in cives Branizobanos, urbs erat ad Savum ſita, quod mercatores Hungaros peſſime tractarent, detorquens. Geſtum eſt varia fortuna. Belgradum ab Hungaris captum, & dirutum, ex cujus ruderibus Zeugminum, hodie, ut quibusdam videtur, Semlinum conditum, & vaſtitas usque Philippopolim prolata. Hactenus quidem ex ſententia: verum, poſtquam Imperator pulſis ex Thracia Hungaris, Iſtro cum copiis appropinquavit, verſa

1129. fortuna eſt. Rex, qui morbo domi tenebatur, comperto hoſtis adventu, ſuos, adjunctis Bohemis, quos ei Wenceslaus Sobieslai nepos adduxerat, b) interea, dum ipſe adeſſet, Septemtrionalem Danubii ripam, ad Chramum caſtrum in Banatu Temeſienſi ſitum, obſervare, Græcosque tranſitu arcere juſsit. Imperator bipartito exercitu profectus, cum alibi tranſitum ſimulat, & alibi copiarum partem traducit, Hungaros improviſo opprimens in

a) Cinnamus l. 1.

b) Idem ibid.

in fugam egit, inde Constantinopolim reversus. Illi absentia ejus usi, cæsis ad Branizo- 1129.
bam Romanis, cladem reddunt, urbemque incendunt, quam Imperator paulum post cum exercitu rediens, instaurari jussit, pugnamque detrectans, militem per abrupta loca reduxit, cavere tamen non poterat, quin Hungari extremum agmen carperent, prædamque excuterent. Postremo, cum Imperatorem non minus, quam regem, sumtuosi, inutilisque belli tæderet, uterque in insulam Danubii condixerant, & pacem post mutuas altercationes pepigere. *a*)

V. Bello, quod deinceps Græcis occasio- 1130.
nem Dalmatiæ recuperandæ sensim præbuerat, propitia utcunque fortuna defunctus, cum crebrius morbo laboraret, nec ex conjuge hactenus prolem haberet, tollendæ autem spes nulla superesset, incessit quosdam ex Optimatibus, Borsium & Ivanum fuisse, nostri scriptores perhibent, cupido regni invadendi, quod eis a partium suarum studiosis delatum erat. Sed utrumque conatus destituit. Ut primum enim rex convaluerat, criminis convictos, hunc capite plecti, illum in exi-

a) Id. ibid. & Choniates. c. 5. Thurocz P. II. Chron. c. 63.

exilium agi praecepit. Attentatum rebellio-
1130. nis facinus, regem de successore mire anxium reddidit, de quo dum cum suis deliberat, suggestum ei est, Belam Almi filium adhuc vivere, & in Pécsvaradiensi caenobio servari, a) quo comperto, magna curarum parte levatus, ad se accersitum, & consortem regiminis declarans coronari jussit. Ne autem in hoc, velut unico stirpis Arpadianae surculo, regius sanguis deficeret, de conjuge, quae & viri caecitatem in administrando regno levaret, & subnixa potente parentela conatus factiosorum a suo obitu retunderet, eidem locanda circumspexit. Opportuna prae reliquis visa est Helena, Urosii Serviae Principis filia, virili animo, & severis moribus praedita, quo connubio non solum regiae propagini, sed regno etiam consultum fuit, quod ex parte orientis, novum in Servia adversus Graecorum progressiones tutamentum obtinuit. Hoc fere postremum, quod in rei publicae commodum

---

a) Id. ex dipl. Geisae II. anno 1158. patet, ubi de Bela haec: *qui — ad monasterium beati confugit Benedicti, ibique ab Abbate — honorifice susceptus, & — rebus de ecclesiasticis — tentus in honore, victui, vestituique quam sibi ipsi, quam suis omnibus necessaria ministrando.* &c.

dum verterat, a rege præstitum est. Deinceps ad morbum, quo sæpius laborabat, etiam 1131. alvi profluvium accessit, ex quo, cum ægre ferret, Cumanos ob patratas rapinas ab Hungaris passim trucidari, animoque propterea esset magis, quam morbus patiebatur, commoto, recrudescente sensim dolore, sumto monachi amictu obiit, Varadini sepultus. *a*)

BE-

a) Thurocz P. II. Chr. c. 63. Chron. Austral. & Claustro-Neoburgense ad annum 1113. Primus Ordinem Præmonstratensium Hungariæ induxit, condito cœnobio in colle supra Varadinum, ut habet dipl. Wladislai II. an. 1494.

BELA II.

Ab an. 1131. — 1141.

1131. I. Ut sibi possessionem regni, quod sub decessore, semel, iterumque gravi seditione exagitatum erat, contra intestinas factiones firmaret, amicitiam exterorum Principum necessariam sibi imprimis existimabat. Vicini fuere, Sobieslaus Bohemiæ Dux, & Leopoldus Marchio Austriæ, quorum ditiones Stephanus, nulla data ab eis causa, hostiliter olim invaserat. Hos sibi præ aliis conciliandos censuit. Ac a Sobieslao quidem, cui regis soror jam ante collocata erat, omnia sibi polliceri poterat, Leopoldum vero, tradita ejus filio Alberto in conjugium Hedvige altera sorore, novo affinitatis vinculo sibi conjunxit. *a*) Hac parte securitati cum suæ, tum
1132. regni consultum videns, Comitia Aradinum indixit. Adfuit præter morem etiam regina, quæ dum fæminea, quam dolor expresserat, eloquentia, de mariti cæcitate regni Ordinibus questa fuisset, &, ut in reos animadverteretur, flagitaret, omnes, facto in complices, quos nancisci poterant, impetu, partim trucidant, par-

a) Excerptum Rikardianum ad an. 1132.

partim capiunt, & fortunis omnibus jure privatos declarant. a) Verum severitas hæc non leve periculum regi conflavit, Nam qui cæsos cognatione aliqua contingebant, Borichium, quem Colomannus cum matre ob adulterii suspicionem, ad suos relegarat, missis clam nunciis, ad spem regni erigebant, idque ut conquisitis foederatis capesseret, hortabantur. Hac denunciatione, homini ceteroquin ambitioso, calcar additum est, Joannem Comnenum Imperatorem adiit, a quo, cum præter conjugem Imperatorii sanguinis, nihil impetrat, Russorum, & Poloniæ Duces in suas partes pertraxit, quorum copiis adjutus, Scepusiensem provinciam insedit, sperans fore, ut junctis eorum, a quibus invitatus erat, copiis, justum exercitum conflaret. Rex cognito ejus apparatu, ipse quoque, concita 1132.

a) Thurocz P. II. Chron. c. 64. aliqui Comitia hæc ad an. 1136. retrudunt, quod idem Thurocz reginam cum quatuor prolibus, ad eum conventum comparuisse dicat. Sed autorem hunc constat, multa perturbato temporis ordine referre, & ipsa res poscebat, ut in ipso regni aditu conventus, pro more recepto, haberetur. Quid, quod idem narret, Borichium ab eorum, qui in Comitiis cæsi erant, cognatis, ad capessendum regnum fuisse invitatum? quod plerique ad an. 1132. figunt,

cita militia, ad Sajonem fluvium tantisper constitit. Hic, ut suorum animos exploraret,
1132. Optimates ad se accersiit, quidve de Borichii natalibus sentirent, palam jussit edicere. Major pars ex adulterio susceptum, alii rem esse dubiam, qui vero clam Borichio studebant, legitimo thoro natum affirmabant. Sed istis libertas oris magno constitit, satellites quippe regii dato signo jussi in eos irruere, multos trucidarunt, reliqui ad Borichium fuga se subduxere, qui comperta amicorum cæde, & Sobieslaum Bohemum in Poloniam interea irrupisse, spe sua delusus, in Poloniam se recepit. *a)*

II. Nec tamen a proposito suo remittens,
1133. majoribus, quam ante, contractis in Polonia, & Russia copiis, sequente anno rediit, nihilo magis, quam prius, felicior. Nam Bela, quamprimum Albertus se cum Austriacis regio exercitui conjunxit, Borichio obviam profectus, conserto feliciter prælio, importunum rivalem, iterum regno ejecit, *b)* neve deinceps Polonorum auxilio suffultus spem invadendi regni aleret, ipse ex Hungaria, Sobies-

a) Thurocz l. c. Otto Frisingen. l. 7. c. 21. Continuator Cosmæ Pragen. ad an. 1132. & Cinnamus l. 3.

b) Excerpt. Rikardianum ad an. 1133. & Otto Frisingen.

bieslaus autem ex Bohemia cum exercitu Poloniam ingressi, a) obtenta victoria, actisque spoliis, Boleslaum Poloniae Ducem, ne Borichio posthac tam facile opitulari possit, metu armorum continuere. Ceterum cum Bela nec sic Polono satis fideret, Petrum Albensem Praepositum cum muneribus ad Lotharium Imperatorem misit, qui de illatis sibi damnis quereretur, peteretque, ut eum auctoritate sua in officio contineret. Legatus in principio minus liberaliter acceptus, post vero, ubi Sobieslaus Belae partes susceperat, benigne habitus, &, re feliciter confecta, muneribus quoque a Lothario donatus, ad regem reversus est, qui, ut se Sobieslao pro impensa opera vicissim gratum exhiberet, ejus rogatu sororem conjugis suae, Conrado Znoimensi Principi despondit. b) 1134.

III. Sub haec cum Pontifice Innocentio II. negotium regi obortum, qui Gaudium, litteris eruditum, & honestis moribus praeditum, Spalatensem archiepiscopum renunciaverat. Graviter id tulit Pontifex, non, quod factum regis sibi non probaretur, id enim ad jus patronatus regii pertinebat, sed, quod se inconsulto, a Strigoniensi archiepiscopo consecratus esset; per litteras tamen, & nuncios regis 1136.

a) Continuator Cosmae Pragen. ad an. 1134.

b) Contin. Cosmae Pragen. ad an. 1134.

gis ſe deliniri paſſus eſt, nec deinceps quid-
1137. quam regi propterea obmotum. *a)* Cum Polonis quoque, Sobieslao, qui cum Boleslao in confinio Bohemiæ convenerat, interprete, res pacifice, eaque, ut videtur, conditione transacta eſt, ne Poloni Borichio deinceps; ſi quid contra regem moliri vellet, auxilio eſſent. *b)* Moleſto æmulo, affinis cura, liberatus, quod hactenus non poterat, Almo patri, ſupremos funeris honores, præſente ſorore Adelhaide, habuit, *c)* cujus memoriam ut ad
1138. poſteros transmitteret, cœnobium Demeſienſe, quod ille affectum relinquere coactus erat, ad faſtigium perduxit, &, quod ſe ab inſidiis ſervatum tamdiu aluerit, gratitudinis cauſa amplis fundis locupletavit. *d)* Abſoluto funebri

a) Lucius l. 3. c. 11. & archidiac. Spalaten. c. 19. manifeſto documento, Venetis eo tempore, præter Jadram, & adſitas ei inſulas, nihil aliud ex Dalmatia paruiſſe.

b) Contin. Coſmæ ad an. 1137.

c) Idem ad eund. an.

d) Nic. Schmitt. Epiſcop. Agriens. Tom. I. pag. 63. & Steph. Katona hiſt. Tom. III. pag. 517. Neuter tamen integrum diploma exhibet, cum tamen multa de tributis, & ſervitiorum genere, quæ tunc in Hungaria obtinebant, notatu digna contineat, quæ ego Notitiis præviis, ubi locus erat, inſerui.

bri honore, Legatum a Conrado Imperatore accepit, qui filio suo Henrico, regis filiam 1139. Sophiam, desponderi peteret. a) Nondum quidem uterque ea, quæ connubio apta sit, ætate erant, sponsio tamen Hungariæ, ex parte Imperii Germaniæ, multum profutura videbatur. Conditis igitur pactis nuptialibus, Sophia, donec matrimonio idonea fieret, cum amplissima dote, in monasterium Admontense sacrarum Virginum, traducta fuit. b)

IV. Pater filiæ absentiam ægre ferens, 1140. mœrore, quem jam biennio abhinc ob mortem affinis sui Alberti Austriaci, conceperat, sensim tabescebat, qui cum paulo post, ex obitu alterius itidem affinis, Sobieslai Bohemiæ Ducis, ejusque conjugis Adelhaidis ingravesceret, paulatim ex languore corporis, & immodico vini usu in hydropem desinens, regem sequenti anno, Idibus Februarii, vivis exemit. c) Filios, Almo jam ante exstincto, 1141. superstites reliquit, Geisam, Ladislaum, & Ste-

a) Contin. Cosmæ ad an. 1139.

b) Cod. Ms. monasterii Admontensis apud Pray annal. reg. Tom. I. pag. 130. & Hagiogr. Antverp. Tom. I. mensis Julii pag. 420. Nuptiæ tamen, quod sponsus an. 1150. præmortuus sit, non coaluerunt, & sponsa reliquam vitam in monasterio traduxit.

c) Thurocz. P. II. Chron. c. 64.

Stephanum, qui, ne ab obitu suo, ambitione
1141. correpti, regnum discerperent, Geisa succes-
sore renunciato, Ladislaum Bosniæ & Ste-
phanum Syrmio præfecit, Dalmatiam vero,
& Croatiam, ut erant pari fere jurium, immu-
nitatumque prærogativa, Hungariæ jam antea
unitæ, ita deinceps quoque eidem conjunctas
esse voluit. Filiam, præter Sophiam Henri-
co Conradi Imperatoris filio desponsam, sus-
tulit etiam Gertrudem, Miecislao Poloniæ
Duci postea collocatam, qua ratione partim
nuptiarum fœdere, cum vicinis regno Prin-
cipibus, conflato, partim tractatione pacis
inita, securitati suorum domi, forisque con-
suluit.

GEI-

GEISA II.

Ab Anno 1141. — 1161.

I. Tertio die ab obitu patris confestim inaugurari voluit, ut ipsa acceleratione spes Borichio res novas moliendi præcideretur. 1141.
Celebritas ad Dalmatiam quoque pertinuit, imprimis ad Spalatenses, qui gaudium suum de adito regno litteris testati sunt, ac in fide ejus se se mansuros promisere. *a)* Non potuit 1142.
non esse grata regi tam aperta voluntatis significatio, qui vicissim plenas benevolentiæ litteras ad eos dederat, & immunitates civium iis fere, quas Colomannus Tragurinis concesserat, prærogativis firmavit. *b)* Inter primas curas illa Geisæ animo præcipue insedit, ut eam Transsilvaniæ partem, quam de-

T 2

a) Farlati Illyr. sacr. Tom. III. pag. 147.

b) Idem ibid. *laudabiliter*, ait rex ad Spalatinos, *nostri prædecessores vos dilexisse comprobantur, cum in fide firma erga nos habita, tam vos, quam vestros concives perseverare videamus.* Et rursum: *privilegium vestrum, prout voluistis, corroboramus antiqua lege patrum nostrorum.* Quæ clare indicant, Dalmatiam a Colomanni tempore constanter in fide regum nostrorum perstitisse, solamque Jadram sub Stephano II. fuisse occupatam.

decessorum suorum tempore Cumani, & Bis-
1143. seni vastam reddiderant, frequentiorem face-
ret. Quare colonias ex variis provinciis, præcipue ex Flandria, Saxonia, & Germania superiore deduxerat, a) quarum studio artes, & opificia sensim incrementa caperent, imprimis vero fodinæ a tempore Romanorum excolerentur, b) quæ, aucto postea numero, in unum corpus conflatæ, iisdem legibus sub præsidio Comitis regebantur, cujus eligendi jus penes Nationem, confirmandi autem potestas, penes regem esset.

II. Cum illius ætatis jam esset, ut ei uxor
1144. ducenda videretur, &, quæ, quave ex Natione legenda esset, cum suis deliberat, morem patris sui, qui nuptiarum fœderibus vicinos Principes, sibi, regnoque conciliaverat, sequendum ratus, Euphrosynam, c) Minoslai Russiæ Principis filiam, in thori consortem ad-

a) Pray Differt. hist. critica VII. §. 8. non paucos ex Saxonia advenisse, evincit nostrorum Saxonum lingua vulgaris, quæ illi proxima est, qua incolæ Superioris Saxoniæ hodiedum utuntur. Confer inscriptionem templi Coronensis, T. I. Script. rer. Hung. pag. 885.

b) Vetus urbis Cibiniensis Sigillum, instrumenta metallicorum propterea referebat.

c) Vide Pray de Prioratu Auranæ. p. 117. & Hierarch. P. II. pag. 161.

adſcivit, ut hac etiam parte Hungaria amicum haberet, & Borichio, ſi quid rurſus auderet, ſpes auxilii a Ruſsis obtinendi ſuccideretur. Nec ille, quantus ſibi obex his nuptiis poſitus eſſet, non intellexit: aliunde igitur, ut erat arrogantis, & inquieti ingenii, opem implorare conſtituerat. Conſtantinopolim ad Manuelem Comnenum profectus, ſperabat, ſe eadem, qua a patre illius, benevolentia acceptum iri, verum ab hoc rejectus, ad Conradum Imperatorem ſe conferens, promiſſum ab eo auxilium fere obtenturus erat, niſi Geiſa, re mature comperta, pertracto in ſuas partes Guelphone, cui annuum ſtipendium pactus erat, ipſi Imperatori negotium in Bavaria, & ad Rhenum confeciſſet. *a*) Æmulus hac ſpe dejectus, Ratiboldum, ut cum Auſtriacis Hungariam infeſtaret, perſuaſit, qui latenter regnum ingreſſus, copias Poſonio admovit, & circumvento per fraudem Juliano arcis Præfecto, intercepit, præſidiariis partim cæſis, partim captis, vel in fugam actis. Rex ſero periculi admonitus celeriter quidem cum copiis advolarat, ſed, hoſte jam regreſſo, cœpit cum Præfecto arcis tractare, eamque depenſo trium millium librarum pondere, recepit. *b*) Ne tamen id

1144.

1145.

1146.

a) Otto Friſing. l. 7. c. 34.

b) Id ibid. c. 30.

Auſtriis impune eſſet, cum LXX. millibus,
1146. ad Leitam fluvium profectus, Henricum Auſtriæ Ducem obvium habuit, nec multo poſt uterque congreſsi, pugnam alterna fortuna conſerunt, Hungaris primum, deinde Auſtriis inclinantibus, quorum magna parte cæſa, Henricus ægre periculo ſubductus, & Geiſa Marchiam orientalem ex utraque Danubii parte usque Fiſcham amnem depopulatus eſt. *a)*

III. Depulſo hoc periculo, aliud ſequente
1147. anno Hungariæ incubuit. Conradus in Palæſtinam profecturus, cum immani cruciatorum multitudine Noricum emenſus, terra, & ſecundo Danubio, quin a Geiſa commeatum petiiſſet, regno infuſus, regionem, qua ibat, fœde vaſtans, triſtia ſacræ expeditionis veſtigia reliquit. *b)* Hunc brevi poſt Ludovicus Francorum rex, conſequutus, cum ſuos a maleficio cohiberet, liberaliter a rege acceptus eſt, apud quem cum aliquamdiu fuiſſet moratus, & regiam prolem recens editam, e ſacro fonte levaſſet, acceptis multis muneribus, iter verſus Græciam pertendit. Propemodum tamen erat, ut amicitia utrinque vixdum inita diſſolveretur. Nam ubi ad regem perlatum eſt, Borichium in Francorum co-

a) Id. ibid.

b) Id. c. 44. Thurocz P. II. c. 66. & ex parte Dodechimus apud Piſtorium Tom. I. pag. 676.

comitatu esse, misso celeriter nuncio, hunc sibi vinctum tradi postulavit, quod cum Ludovicus ob jura hospitalitatis se facere non posse declarasset, Borichius, seu clam ei hoc consilium suggestum est, seu vitæ suæ metuerit, surrepto regis cursorio equo, nocte concubia fugiens in Græciam evasit, novas inde turbas olim daturus. *a*) 1147.

Rex aliquanto post, quam cruciati excesserant Hungaria, bello Russico ob sanguinis conjunctionem improviso implicitus est, quod ambitio inter Georgium, Volodomirum, & Isaslavum Principes excitaverat. Cum suppetiæ, quas primum miserat, parum caute in hostico agerent, & facile propterea oppressæ fuissent, ipse sequenti anno majoribus copiis instructus, Isaslavo auxilium tulit, victoque Volodomiro, pacem inter utrumque conciliavit. *b*) Hoc sopito, Græcanicum mox eodem anno consequutum, quod Manuel Imperator Serviis indixit, quos si vicisset, Hungariam sibi subdere cogitabat. *c*) Hujus occasio 1151. 1152.

a) Otto Frisingen. de rebus gestis Friderici I. c. 44. & Thurocz. P. II. Chron. c. 66.

b) Nestor in Chron. Russiæ ad dictos an.

c) Hanc destinationem jam in belli principio Manuelis fuisse, testatur Cinnamus l. 5. *Hungariam*, inquit, *in medio occidentalium nationum positam, sibi comparare totis viribus satagebat.*

ſio jam anno priore magis quæſita, quam data erat. Præfuit Serviæ archijupanus Blachinus, cujus ſororem Beloſes, a) a teneris cum Geiſa rege educatus, uxorem habebat. Is affinem ſuum, Græcanici faſtus alioqui jam pertæſum, per nuncios crebro hortabatur, ut ſe cum ſuis clientelæ regis Hungariæ permitteret, a quo, ſi quid Græci tentarent, facile ex Hungaria, vicina Bosnia, & Dalmatia, quæ eidem parerent, auxilium obtinere poſſet; regem quoque, ne occaſionem hanc negligeret, majorum exemplo, qui olim in eam ditionem arma felici eventu traduxiſſent, incitabat. b) Perſuaſit utrique, & abhinc Servia jure fiduciario Hungariæ adnexa eſt. Hoc ipſum Serviano bello occaſionem præbuit, quod varia utrinque fortuna geſtum, & in ſequentem annum quoque protractum eſt, & quia par fere partium jactura erat, nec regi tum quidem ſpes affulgeret, juris, quod in Ser-

1152.

a) Primum Banus, poſtea Palatinus annis 1145. 1156. & ſequ. creatus, ut diplomata fidem faciunt.

b) Cinnamus l. 3. pag. 47. *Longo hic tempore commoratus apud Geizam regem maximo in honore fuit, ut qui a pueris cum illo enutritus fuerat — illi beneficii jure obnoxiam* (Serviam) *facere eſt adnixus, idque — homini tandem perſuaſit.*

Serviam aquisiverat, prosequendi, non invitus pacem cum Manuele inivit, *a*) quam eo celerius sibi amplectendam putabat, quo vicinius regno periculum ab Imperatore Friderico Ænobarbo imminere ferebatur, qui confestim ab inauguratione sua, in Hungariam parabat, eamque Germaniæ adjungere constituerat, nisi ab Imperii Principibus, æqui amantibus, a proposito avocatus fuisset. *b*) Hæc causa acceleratæ pacis erat, qua utriusque Imperatoris, quorum alter ab ortu, ab occasu alter Hungariam, quasi condicto, subjugare cogitabant, molitionem frustratus est. 1153.

IV. Verum ipsa pacis acceleratio parum stabilitatis polliceri visa est, graviusque bellum post traxit. Occasionem Andronicus, Manuelis consobrinus præbuerat, qui regi, si sibi ad invadendam tyrannidem auxilio esset, post occupatum Imperium, Nissam, & Branizobam, quibus recens ab Imperatore præfectus fuit, se dediturum promiserat. Sed re ante tempus prodita, mox Stephano, & Ladislao regis fratribus, cum non exigua Hungarorum manu, ad Græcos profugis, ad arma ventum. *c*) Geisa hostem occupandum ratus, vocatis in auxilium Bohemis, &, qui nu- 1154.

a) Idem l. 3.
b) Otto Frisingen. l. 2. c. 7.
c) Cinnamus l. 3. & 6.

nuper in Transsilvania consederant, Saxoni-
1155. bus, Borize etiam ex Bosnia accito, Brani-
zobam obsedit, dimissis velitibus, qui vici-
niam infestarent, in quos cum Basilius, Græco-
rum Dux, incidisset, & fusis primis, reliquos in-
caute sequitur, circumventus insignem cladem
accepit, quam Imperator cum exercitus ro-
bore brevi consequutus, rursum victoribus
reddidit. *a*) Ancipitis, & damnosi in utram-
que partem belli, is præcipuus fructus fuit,
quod Borichius, qui se Colomanni regis fi-
lium ferebat, postremo prælio occubuerit, *b*)
1156. quo exstincto, pax facile rursus coaluit, præ-
sertim, quod rex ea, quæ trans Savum oc-
cupata erant, non invitus redderet.

V. Inter pacis conditiones ea, ut ex eventu
patuit, videtur fuisse, ne Manuel, fratrum suo-
1157. rum gratia, qui ad illum confugerant, quidquam
hostile in Hungariam, se vivo, moliretur. Al-
tero enim a confecta pace anno, Stephanus,
fratre Ladislao vehementioris indolis, cum
parum spei in Græcia videret, in Germaniam
ad Fridericum Imperatorem concessit, *c*)
opem-

a) Idem. l. 3.
b) Otto Frising. l. 2. c. 32.
c) Radevicus l. 1. c. 2. apud Murator. Tom. VI. Script. Ital. pag. 750. Ex hoc capite, quod Stephanus ad Imp. confugerit, rursus Germani scriptores jus Imperio Romano in Hungariam asse-

opemque, multa in Geisam criminatus, ab [redacted]
eo implorabat, qui, quod bello Mediolanensi 1158.
distentus, ipse opus milite haberet, misso ad regem Legato, profugum eidem conciliare studuit. Rex vicissim, ne sibi, bello Graecanico vix composito, novas molestias consciret, per Legatum criminationes a fratre impactas diluit, oblatisque fere mille talentorum muneribus, promisso item in bellum Mediolanense auxilio, destinationes illius intervertit, eumque, rebus infectis, in Graeciam redire coegit. *a*) Manuel profugorum operam sibi olim profuturam sperans, utrumque connubii vinculo, sibi, & rebus Graecanicis, arctius innectere cogitabat. At Ladislaus quidem se his blanditiis nequaquam irretiri passus est, ne sibi, rebusque suis aliquando in Patriam redux officeret, pronior contra Stephanus, accepta uxore Maria, Imperatoris nepte, in vota ejusdem concessit. *b*)

IV.

---

asserere conantur, quasi Imperatorem causae arbitrum inter regem, & se delegerit. Radevicus contra hanc ob causam illum ad Imperatorem confugisse scribit, quod *Romanum Imperium totius orbis asylum esset:* alioqui necesse esset hinc effici, totum orbem Rom. Imperio jure clientelari esse obnoxium.

a) Radevicus de reb. Friderici, l. 1. c. 12.

b) Cinnamus l. 6. & Choniates annal. l. 4.

VI. Geisa vix se cura belli Graecanici,
1159. & a fratris molitionibus liberum sensit, cum ei alia, diversi tamen generis, subnata est. Schisma, quod Ecclesiam, inter Alexandrum III. plurium suffragiis electum, & Victorem Antipapam, sciderat, Europam quoque in partes distraxit. Fridericus, qui Victori adhaeserat, plerosque Italiae, & Germaniae Episcopos consentientes habuit, regem, praeter Anglum, qui ipse tamen postea Alexandro se applicuerat, fere nullum. Geisa quoque, Legati Pontificii, tum Lucae Strigoniensis, & Cosmae Colocensis archiepiscoporum, consiliis persuasus, Alexandri partes amplexus est. Nec adduci unquam potuit, ut ad Papiense conciliabulum sive Legatos, sive, quae
1160. rursus promiserat, auxilia Imperatori mitteret, quin Ludovico Francorum regi, missa Legatione, si Imperator aliquid in Francos moveret, se auxilio futurum, &, si e re illius videretur, in Germaniam irrupturum, promisit. a) Nec tamen huc res rediit, cum pridie Calendas Julias obierit, vita non ultra tricesimum secundum aetatis annum producta,
1161. quo magis mirum videri debet, tot exteris bellis

a) Du Chesne Script. rer. Franc. Tom. IV. pag. 578. Eodem an. renunciavit investiturae episcoporum, ut in rebus Colomanni regis ad an. 1106. velut ob iter memoratum est.

bellis, & fratrum discordiis agitatum, ita regnum feliciter potuisse tueri, ut ex illius ditionibus nihil amitteret, a Majoribus autem parta in fide contineret. Filios ex Euphrosyna conjuge sustulit, Stephanum, & Belam, a) filias, Helenam, & Elisabetham; illam Friderico Bohemiæ, hanc Leopoldo, Austriæ, Ducibus desponsas. b) 1161.

STE-

---

a) Albericus monachus ad an. 1167. addit etiam *Guithardum*, & Chron. Ms. Sec. XII. *Geisam*, de quibus alias forte certiora dabimus. Bulla Leonis X. an. 1519. qua Albensi Ecclesiæ privilegia confirmat; meminit etiam *Emerici*: in hæc verba: *cum consensu*, *& voluntate Geisæ regis*, *& filiorum suorum*, *Emerici*, *& Belæ regum*. Videtur error irrepsisse, & Emerico substituendus esse Stephanus, nam Emericus, qui rex erat, fuit Belæ III. non item Geisæ, filius.

b) Narratio Altahens. apud Leibnitz, T. II. Script. pag. 21, Chronicon Siloense apud Dobner T. I. monument. pag. 81. memorat præterea *Odolam*, Svatopluco Bohemiæ Principi junctam. Certior est *Margarita*, quam Innocentii III. litt. an. 1208. Andreæ Comiti Simeghiensi nuptam fuisse perhibent.

STEPHANUS III.

Ab anno 1161. — 1173.

1161. I. Difficile in principio nactus est regimen, cum ob teneram ætatem, tum quod suspicio non inanis esset, utrumque patruum apud Græcos omnia tentaturos, ut paterno solio moveretur. Certe Manuel, ut primum Geisam obiisse comperit, animum Hungariæ sibi asserendæ resumsit. Ad id autem, tamquam aliud agens, & sensim perficiendum, Stephanus, cui neptem suam collocaverat, maxime idoneus ei visus est, quem si volentibus Hungaris regem dare posset, non dubitabat, se olim voto tandem potiturum esse. Titulum quoque, ut tutius destinationem suam celaret, novum commentus est, Stephanum nempe injuria regno privatum, quod more gentis, *a*) ad fratres, non item ad regum filios, transire soleret, prætexens. Ita futurum sperabat, se, si destinatio non succederet, eo rem saltem posse adducere, ut vel tributi aliquid Imperio accedat, vel Zeugmino, & provincia Sirmiensi potiatur, ex qua, quoties ei libitum esset, ad Hungariam infestandam, sensimque subjugandam, occasionem haberet.

Hac

a) Cinnamus l. 6. & Choniates l. 4.

Hac ratione secum inita, factoque militum delectu, Legatos ad Hungaros misit, qui de regno ad Stephanum transferendo cum iis agerent, ipse cum exercitu, ut Legationi pondus adderet, non multo post Sardicam venit, quid Legati profecissent, visurus. *a*) 1161.

II. Hungari postulationis insolentia, & Græcanico fastu offensi, Legatos, re infecta, remisere, tum quod sponte a Stephano abhorrerent, tum, quod vererentur, ne, si postulatis consentirent, non tam Stephanum, quam Manuelem, dominum pati cogerentur. Imperator post acceptam repulsam, exercitu propius Istrum admoto, nihil a proposito remittens, Alexium Contostephanum nepotem, cum copiis Stephano adjunxit, qui ut Chramum pervenere, non tam armorum ostentatione, quam largitione munerum, & lenociniis, præcipuos Nationis sibi conciliare studebant. Verum, & hic conatus sperato successu caruit. Instabat nihilominus cœpto operi Alexius, & sive Imperatoris, qui in propinquo cum exercitu excubabat, metu adducti, sive munera in animos tantum valuere, eo res multis tandem pollicitationibus adducta est, ut Ladislaum, Stephani fratrem, ætate majorem, præ isto, regem mallent, & declararent. *b*)

LA-

a) Idem ibid.

b) Choniates l. 4.

LADISLAUS II.

Ab anno 1161. — 1162.

1162. I. Manuel visa Hungarorum in repudiando Stephano constantia, cedendum quidem temporì existimabat, ne quæ tamen, si se offerret, opportunitas ad perficiendum, quod destinarat opus, sibi imprudenti elaberetur, in Servia aliquamdiu constitit, & exauctorato Principi Primislao, hujus fratrem Beluzem subrogavit, defuncti regis Geisæ avunculum. Quo consilio id fecerit, an, ut ob sanguinis necessitudinem, Stephano, quem præ Ladislao regem malebat, studeret, an, specie collati beneficii, novum rursus dolum necteret, incertum est, tametsi hoc præ illo veri sit simi..us. Beluzes enim, qui, quid Manuel meditetur, ex vafro illius ingenio facile conjecerat, paulum post, Principatui renuncians, in Hungariam, ubi quondam Palatini dignitate fungebatur, rediit, non tam ut illius cupiditati subserviret, quam, ut pro ratione temporis, res legitimi hæredis consilio suo erigeret. *a)*

II. Ac hujus quidem, Ladislao sub initium anni insequentis *b)* exstincto, velut e re nata, oc-

a) Cinnamus l. 5.

b) Chron. Claustroneoburgense.

occaſio erat, hæredis paterno ſolio reſtituendi, ſi omnium animi conſentientes fuiſſent. 1162.
Pars, eaque melior in legitimum ſucceſſorem inclinabat, alii contra, ſive metu Manuelis, qui conatum ſuum toties fruſtrari impatienter ferebat, ſive ſplendidis, quæ ei nunquam deerant, promiſsis, inducti, Stephano favebant, qui, cum ipſe nihil non apud Manuelem moveret, ut, quod vivo etiamnum Geiſa non obſcure ambiverat, regno potiretur, tandem, invitis licet plerisque, fratri defuncto ſuffectus eſt. *a*)

STE-

a) Chron. Salisburgenſe, & Cinnam. l. cit.

STEPHANUS IV.

Cæpit, & desiit an. 1162.

1162. I. Cum magis metu intrusus, quam communi Ordinum consensu optatus esset, diu ei luctandum erat, ut corona incingeretur. *a)* Non deerant enim, qui Geisæ filium contra fas solio amotum quererentur, eique clam studerent. Accessit illud quoque, quod novitius rex imperiosius, quam tempus pateretur, agendo, plerisque molestus, gravisque adeo esse cœperit, ut illum probris passim incesserent, solioque movere, constitutum haberent. Crescenti in dies factioni ut obicem mature poneret, Manuelis opem rursus imploravit, qui haud diu moratus, cum exercitu Philippopolim progressus, Alexium Contostephanum cum copiarum parte in Hungariam præire jussit, cujus adventu mitigati ad speciem Hungari Stephano conciliati sunt, qui, cum non ignoraret, se propterea plerisque invisum esse, quod plus fidei exteris, quam suis, tribueret, simulata conciliatione deceptus, auxiliarios improvido plane consilio, domum remisit. *b)*

II.

a) Thurocz Chron. P. II. c. 68.
b) Cinnamus l. c.

II. Hoc ipſum tempus erat, quod Geiſæ filio addictis opportunum viſum eſt, ad regni æmulum exauctorandum. Quare palam ſpargebant, peſſumire ſub eo res Hungaricas, nihil aliud agi, quam ut jugum Græcanicum cervicibus ſuis imponatur, probroſum id eſſe genti liberæ, nec committendum, ut diutius ſub illo ſervitutem ferant, ſuperſtitem etiamnum eſſe legitimum regem, cui olim juratam fidem dediſſent. Valuere hæc non modo in vulgus, ſed ad præcipuam quoque Nobilium partem, quæ ſub ſigna veri hæredis numeroſa confluxit, brevique poſtea, cum animi utrinque exacerbarentur, cum adverſa parte, quæ rivali adhæſerat, prælium commiſit, quo Stephanus magna ſuorum clade victus, ad Manuelem profugit, ſolium legitimo regi relinquens. *a*)

1162.

a) Cinnamus cit. l. 5.

STEPHANUS III. RESTITUTUS.

Ab an. 1162. — 1173.

1162. I. Agebat tum Sardicæ Manuel, cum Stephanus, regno ejectus, ad eum confugit, cujus casu magnopere perculsus, videbat enim sibi rationes de occupanda Hungaria mire conturbari, vicem tamen ejus miseratus, & proposito suo insistens, pecunia, & milite eum ad recuperandum regnum adjuvit. Copiis præfecerat Alexium Contostephanum, quem præire jussit, ipse ad Nissam substitit, cum ut Legatos ex Hungaria venturos audiret, tum ut res Serviæ in ordinem cogeret. Nam *Deses*, Beluzis illius, quem relicto Principatu in Hungariam rediisse, alias memoratum est, frater, & Serviæ Despota, regem Hungariæ, Legatis ejusdem ad Manuelem ituris, dominum suum diserte professus, satis aperte, quam parum æquo jure Græci Serviam sibi vendicassent, indicaverat. Hoc crimen erat, cujus causa illum Manuel in jus vocatum, mitti Bizancium, & palatio includi jusserat. Pari fastu cum Legatos Hungaros vix auditos ab se dimisisset, recta Belgradum cum exercitu profectus est, nihil dubitans, Hungaros armorum, ut prius, metu permotos, alia, in favorem rejecti Stephani, consilia amplexuros esse. Verum ubi se actum vidit agere, ali-

aliam machinam, specie quidem amicitiæ, sed occulto dolo instructam admovit. Georgium gente Palæologum, prætoriæ cohorti præfectum ad regem ablegat, qui Belam, alterum Geisæ filium, regisque fratrem, adhuc puerum, filiæ suæ Mariæ sponsum peteret, addita regione, quam ei pater hæreditatis *a*) partem constituerat: cupere Imperatorem, cum hactenus hærede mare careat, puerum, in spem Græcanici Imperii educandum, apud se habere. Hæc Legati mandata erant. Rex nullum dolum subesse ratus, vidensque, tam splendido, utilique affinitatis vinculo, Hungariam deinceps a Græcis tutam fore, non invitus fratrem Legato Bizancium deducendum tradidit, cui Manuel postea Alexii no- 1162.

U 3 men

a) Quæ illa regio fuerit, quam Geisa Belæ filio in sortem hæredii dederat, nec Cinnamus, nec domestici scriptores, meminere. Si conjecturæ locus sit, forte Bosniam Cinnamus designare voluerit; hanc enim Colomannus occupata Dalmatia, Almo, & Bela II. Ladislao filio, serius etiam postea Bela IV. fratri Colomanno, contulerant, non tamen hæreditatis, cum a juribus coronæ avelli non potuerit, sed administrationis solum titulo, addita Ducis prærogativa, & honore. Cinnamus igitur, ut speciosam bello inique obmoto causam prætexeret, hæreditatem ex suo ingenio commentus est.

men indidit, & dignitate Despotam renunciavit. *a*)

1163. II. Obtento, quem cupiebat, fine, mox personam ad tempus sumtam, anno sequente posuit, & Stephano, qui jacturam regni concoquere nequibat, copias, & bello prosequendo necessaria administrari jussit. Ut Hungariam ingressus est, & rem magis ex suo ingenio, quam Graecorum consilio, imprudenter praecipitat, plerique ex Hungaris, qui eum sequuti erant, ad regem hosti obviam profectum secessere, actumque de illo erat, nisi Manuel laboranti Andronicum subsidio misisset, quem ipse, trajecto Savo, brevi cum exercitu consequutus est. Rex, quod ei copiis inferior esset, in adversam Danubii ripam se recepit, fluminis oppositu interea tutus, donec auxilia a Bohemis adessent. Manuel receptum regis, fugam interpretatus, Petrivaradinum promovit, indeque datis ad eum litteris, non se ad inferendum Hungaris bellum venisse affirmabat, sed ut Belae, quem generum adscivisset, haereditatem injuste detentam repeteret. Hoc ille dolo dum regem fallere nititur, Wladislaus Bohemiae Dux cum suis adfuit, & regi se conjunxerat. Manuel videns, non jam verbis, sed armis rem decerni oportere, transmisso Danubio Bachiam pro-

a) Cinnamus l. 5. pag. 99.

progrefsus eſt, ſigna tamen conferre non auſus, Bohemum, quem in caſtris habuerat, clam ſubornavit, ut, quacunque poſſet ratione, Wladislaum a rege averteret, id cum fruſtra tentaret, ſpes tamen pacis eminus oſtentaretur, miſit, qui de ea cum rege, & Duce agerent, quæ, poſt crebras utrinque miſsitationes, Ducis opera tandem hoc pacto confecta eſt: rex fratri regionem a patre conceſſam redderet, Manuel contra Stephano regis patruo deinceps auxilio ne eſſet. *a*) Sed Imperator, qui Stephano Chaluphen, ut ei auxilio eſſet, cum parte copiarum in Hungaria reliquerat, pactis non ſtetit. Hanc perfidiam rex indigne ferens, ut primum Manuel Bizancium regreſſus eſt, collecta militia in hoſtem movit, & recedentem in agrum Sirmienſem conſequutus, Zemlini incluſit, urbemque obſedit. Adfuere quidem obſeſsis Michael Gabra, & Bryennius, a Manuele ſubmiſsi, qui licet Hungaris navali pugna ſuperiores eſſent, impedire tamen non poterant, quin urbs, patruo Stephano ex venæ ſectione mortuo, *b*) una cum Sirmienſi provincia in poteſtatem regis veniret. *c*) 1163.

U 4 III.

a) Idem ibid. & Vincentii Chronicon apud Dobner Monum. Tom. I. pag. 73.

b) Cinnamus l. 5. pag. 108. per ſubornatum famulum, veneno exſtinctum, refert, incerta tamen fide.

c) Id. ibid.

1164. III. Id satis causae Manueli videbatur, ut, licet ipse fidem prior fregerit, bellum instauraret, vocatis in armorum societatem Hieroslao Haliciae, & Bozislao Thaurofcytharum Ducibus, quibus, si Graecis scriptoribus credendum est, ipse Fridericus Imperator occidentis, & Sultanus quoque Turcarum, praeter ingentem Serviorum copiam, se adfuturos promisere. Facto igitur apparatu, necem Stephani, ut praetexuit, ulturus, copias Istro admovit, quem cum se ad *Ujpalankam*, olim *Chramum*, transmissurum simulat, repente converso ad Belgradum itinere, Savoque trajecto, Zemlinum circumsedit. Acris, diuturnaque fuit obsidio, & quamquam Hungari saepe Graecos magna clade protritos rejecerint, ad extremum tamen multitudini cedendum, & urbs, pace confecta, Manueli dedita fuit, qua a ruinis reparata, Belgrado quoque novis operibus communito, Sirmiensis provincia, rursus in Graecorum potestatem venit. *a*)

1165. IV. Hac potitus Manuel, ex qua, quoties ei liberet, pactorum enim fidem ex utilitate metiebatur, Hungariam carpere posset, majora animo destinabat. Jacturam enim provinciarum in Asia sub decessoribus factam, compensare in Europa, jam ab adito Imperio, belli prae avo, & patre appetenti-

a) Id. pag. 111.

tior, constitutum habebat. Hungariam armis, & jacto intestini dissidii semine, hactenus 1165.
frustra tentaverat, trans Savum Serviam, citime vero regionem Sirmiensem, juribus Hungariae obnoxias, jam in potestate habebat, restabat Dalmatia; hanc quoque ad Belae haereditatem pertinere praetexens, misso cum copiis Chaluphe, brevi omnem subegit, septuaginta quinque urbibus in potestatem redactis. Hinc bellum rursus ortum; Hungaris ad Savum Dionysio duce victoribus, Graecis contra ex Valachia Hungariam infestantibus. Utrinque occultis etiam artibus certatum: Manuel Italos in Fridericum Imperatorem concitare, Stephanus vero, bis mille, quingentas auri libras pactus, illum sibi conciliare nitebantur. Postremum, quoniam praeter lucrum, quod privati ex praedis confecerant, nihil commodi utrisque accederet, bellum Henricus Dux Austriae, designatus regis socer, qui Manuelem Sardicae convenerat, conflatis induciis tantisper sopivit. a)

a) Cinnamus l. 6. pag. 117. Nicetas l. 4. pag. 69. & appendix ad Radevicum, ad an. 1167. Ad conflandas inducias multum contulisse videtur Theodora, Manuelis cognata, Henrico Austriae Duci nupta, cujus filia Agnes, Stephano regi desponsa erat. Schier in regin. Hungariae pag. 120. existimat, ante Agnetem, fuisse

1166. V. Interim Dalmatæ Græcos pertæsi, misso ad regem Lombardo, Spalatensi archiepiscopo, Hungaris se iterum jungere optabant. Rex opportunitate hac usus, quamprimum auxiliarios ab Henrico socero accepit, Dalmatiam ingressus, capto Chaluphe, cui Manuel regionem curandam dederat, Græcisque exactis, Tragurium, Sibenicum, Spalatum, Jadramque recepit. *a*) Id novi belli classi-

Stephano filiam Hieroslai Haliciæ reguli, collocatam, ex qua filium sustulerit. Suspicor, errorem ex diplomate Stephani hujus, quod an. 1165. refert, natum esse, quo aliquos a servitio Castri Posoniensis exemit. Verba, quæ huc attinent, plerique ita legunt: *a castrensi servitio subtraxi, eo tamen tenore, ut inter proceres ejusdem castri, proceres filii, scilicet Stephani regis existant.* Error in voce *scilicet* cubat, pro qua Ludovicus idem diploma an. 1349. Budæ fer. 4. prox. ante Dom. Palmarum, transsumens substituit *sancti.* Ex quo sequitur, S. Emericum Ducem, perinde suos habuisse proceres, sicut ejus pater, alias *jobagiones S. Stephani regis* dictos, habebat. Erant autem genus quoddam medium, inter servientes regales, & inter ordinarios jobagiones castrenses. Vid. Notit. præv. §. 23.

a) Farlati Illyr. sac. Tom. IV. pag. 7. Dandulus apud Murator. Tom. XII. pag. 292. Cinnamus l. 6. pag. 119.

ficum erat. Manuel adſcitis in ſubſidium Perſis, & Italis, Sardicam profectus, copias Andronico ducendas commiſit. Huic Hungari 1167.
rurſus Dionyſium, multis victoriis clarum, cum quindecim millibus oppoſuerant. Conſerto prælio, utrinque ſiniſtra ala inclinata eſt, & Dionyſius a ſuis deſertus, amiſſo principe vexillo, cum paucis evaſit. *a)* Infelicis pugnæ exitus jacturam Dalmatiæ poſt ſe traxit. Veneti enim, Hungaris bello Græcanico occupatis, Jadram interceperant, reliquæ autem urbes, anno ſequente, rurſus Manueli parere coactæ *b)* ſunt, ſerius poſtea in Hungarorum 1168.
poteſtatem redigendæ.

VI. Hunc in modum Manuel Dalmatiam, 1170.
quam hæreditatem Belæ, ut dolum tegeret, ſpecioſe ſimulabat, non tam hæredi, quam ſibi aſſeruit. Vix enim illi ex altera conjuge filius Alexius natus eſt, ſimul Belæ ſpes adipiſcendi Imperii, qua eum hactenus lactaverat, ſucciſa fuit. Nunc obſtabat cognationis vinculum, ab Irene, S. Ladislai filia, Joanni Comneno olim nupta, accerſitum, cum prius, quamdiu fucatus titulus ſubigendæ Hungariæ ſupererat, nihil nuptiis obſtaculi ambitioſo homini, ſubeſſe, viſum eſſet. Itaque filio ſucceſſore declarato, & Maria alteri marito de-

a) Idem ibid. pag. 122. Nicetas l. 4. pag. 82.
b) Farlati Tom. III. pag. 4. Lucius l. 3. c. 9.

destinata, Belæ, quem leniendi doloris causa Cæsarem renunciavit, Agnetem, alias Annam quoque dictam, Augustæ sororem, &
1172. Boamundi III. Principis Antiocheni filiam, conjugem dedit, *a*) præstanti forma, & moribus virginem, ac Manuelis filiæ dissimillimam. Ceterum, ereptam Græcanici Imperii spem, exstincto sine hærede paulum post Ste-
1173. phano fratre, cumulate pensavit Hungaria, quam ut capesseret, ipse Manuel admonuit, & euntem splendido apparatu, Sardicam comitatus est, inde in Hungariam deducendum Joanni Protosebasto, aliisque illustribus viris tradidit, prius tamen quam dimitteret, ne, seu ob crebro illatam Hungariæ vastitatem, seu ob ereptam Dalmatiam, injurias ultum iret, neve, quod Imperatori, aut Romanis nocumentum afferre posset, quidquam moliretur, juramento obstrinxit. *b*) Quo satis animi sui sensum prodidit, quidquid juri Hungarico ab se decerptum esset, injuria decerptum fuisse.

BE-

a) Nicetas l. 5. pag. 89.
b) Cinnamus l. 6. pag. 130.

BELA IIII.

Ab anno 1173. — 1196.

I. Adhuc Sardicæ cum Manuele Bela morabatur, cum Hungariam factionibus, sui causa, misceri intellexit. Pars enim, injuriarum, quas Manuel regno intulerat, memor, magnopere ab eo abhorrebat, veriti nimirum, ne in aula Græcanica educatus, mores quoque Græcorum combiberit, & Nationem secundum eorum instituta regeret, magis in aliquem ex ejus fratribus, *a*) proclives; alii, quod vidua *b*) regina uterum gereret, exspectandum censebant, donec, quam prolem enixura esset, pateat; plerique tamen graviditatem reginæ subornatam esse rati, legem successionis regiæ, a Majoribus statutam, ser- 1173.

a) Præter Stephanum, & Belam, alios quoque filios Geisam habuisse, supra memoratum est, nempe Guithardum, seu Gothardum, & Geisam, nisi forte, cum eadem fere de utroque narrentur, idem sub gemino nomine lateat, & quem Hungari Geisam, Germani Guithardum nominarint, quid illo factum sit, scimus, quo autem hic devenerit, nemo memorat.

b) Arnoldus Lubecens. apud Leibnitz. Tom. II. scriptor. Brunswic. pag. 631.

ſervari oportere exiſtimabant. Ac horum
1173. quidem ſententia ceteris prævaluit, miſsique continuo ad Manuelem Legati, qui Belam regno inducerent. Prima, ut a Joanne Protoſebaſto adductus eſt, cura ei fuit, ut fratres, factionum ſi non auctores, certe conſcios, ne rem publicam turbandi occaſionem haberent, in cuſtodiam daret. Geiſa, id, quod erat, ſubodoratus, mature periculo ſe ſubducens, in Auſtriam evaſit, *a)* Guithardus vero in vincula conjectus, poſtea in Bohemiam elapſus eſt. *b)* Nec tamen propterea confeſtim regni poſſeſsionem adire potuit. Obſtabat archi-
1174. epiſcopus Strigonienſis, qui coronationis ritum peragere detrectabat, ſive veritus ſit, ne Bela a pueritia apud Græcos enutritus, magis in illorum, quam Latinam Eccleſiam proclivis, ſeu ipſe factioni oppoſitæ addictus eſſet. Moleſta erat regi, & Ordinibus protelatio. Scriptum igitur eſt ad Pontificem, ad cujus mandata cum nihilominus Strigonienſis in ſententia perſtaret, data eſt Colocenſi archiepiſcopo poteſtas coronationem peragendi, modo rex ſcripto caveret, nihil propterea juri Strigonienſis archiepiſcopi derogatum iri. *c)*

II.

---

a) Chronic. Ms. ſec. XII.

b) Albericus monachus l. cit.

c) Bullarium nov. Roman. Vol. 3. pag. 133. Pray Hierarchiæ Tom. I. pag. 113.

II. Ab inauguratione confeſtim ad reparandam rem publicam, quæ violenta regum mutatione, non exigua ſui parte labefacta erat, ſe accinxit. Jus imprimis ſucceſſionis, quod novo Græcorum, qui id ad fratres, non item regum filios pertinere commenti ſunt, figmento perturbatum erat, & regnum factionibus involverat, ad primævam Majorum inſtitutionem reduxit, *a*) quo & familiæ regiæ ambitum intra limites coerceret, & exteris, hoc titulo ſe rebus Hungaricis immiſcendi, occaſio tolleretur; quos ut ſibi devinciret, nullam occaſionem prætereundam, & vicinorum imprimis rationem habendam cenſuit. Hac de cauſa, Helenam ſororem ſuam, quam pater olim Leopoldo, Henri- 1174.

a) Hac de cauſa in publicis edictis ſe Geiſæ II. regis filium paſsim nominat, quo ſignificaret, Stephanum fratrem ſuum jure paterno, patruos vero, Ladislaum, & Stephanum, illegitime ſucceſsiſſe. Idem in ſigillis exprimi voluit. Ita anni 1195. ſigillum perigraphen hanc exhibet. *Bela Dei gracia Geiſe regis filius* &c. Hunc morem ſervarunt etiam nepotes regum familiæ Arpadianæ, ſeu mare, ſeu femina fuiſſent editi. Sic Andreas III. an. 1291. *Sigillum Andreæ regis tercii, nepotis Andreæ regis ſecundi.* Et Otto Bavarus. *Sigillum primi Ottonis regis Ungariæ, nepotis, quarti Belæ regis.*

rici Austriæ Ducis filio, desponderat, conjugem dedit, ut, novo affinitatis vinculo, sibi Austrios, ad res domi stabiliendas conciliaret, licet ab inito vix matrimonio parum abfuerit, quin recens contracta amicitia solveretur, quod, rege imprudente, quidam ex Hungaris Subieslao Bohemiæ Duci, Austriam infestanti, se adjunxerint. a) Sed ut facta privato-
1175. rum, injussu Principum, invidiæ non sunt obnoxia, nihil quoque propterea conjunctioni animorum, inter Ducem, & regem derogatum est, quem ceteroqui constabat, militiam non in vicinos, sed Manueli, qui Sultano Iconii bellum indixerat, parare. Erat hæc ex Croatis, & Transsilvanis collecta, illos Ompo-
1176. dinus Banus, hos Leustachius, b) Vayvoda ductabant, quorum fortitudinem si Græci fuissent æmulati, felicior prælii exitus erat futurus, quo multis suorum amissis victus Manuel, vix incolumis domum evasit, memoriam infausti prælii adeo retinens, ut non facile deinceps lætari, & curam rei publicæ, penitus posuisse videretur. c) Si ullum, hoc certe tempus, Belæ ad recuperandam Dalmati-

a) Stero id ad hunc an. reliqui Chronographi ad sequentem locant.

b) Cinnamus l. 6. pag. 136. & dipl. Belæ IV. apud Pray annal. Tom. I. pag. 165.

c) Wilhelm. Tyrius l. 21. c. 12.

tiam opportunum erat, nisi eum juramenti, quo se Manueli obstrinxerat, religio, & nova de profugo fratre, qui ex Austria in Bohemiam evaserat, solicitudo retinuisset. a) Nec 1177.
erat sane cura hæc supervacanea, cum profugus id præcipue apud Sobieslaum Bohemiæ Ducem ageret, ut opera Imperatoris regno potiretur, cujus conatus Bela ut mature interveniret, vinctum sibi a Duce mitti impetravit, b) magna quidem, ob læsa hospitii jura, redundante in Ducem invidia, majore tamen Hungariæ commodo, quæ, si eventus profugi conatibus respondisset, intestinis rursum motibus convellenda erat. Reducto, & honesta custodia detento fratre, liberius aliquanto curæ regni intentus, ut malis, quæ
ob bella a decessoribus gesta, & motus intestinos in civilem rem publicam irrepserant, 1178.
mederetur, latronum, & furum licentiam, gravissimis pœnis coercendam decrevit. Nec
minore studio res Ecclesiarum complexus, 1179.
cum episcoporum ab una ad aliam sedem translatio, non solum disciplinæ Ecclesiasticæ, sed religionis etiam incremento officere videretur, investituræ episcoporum, ad morem pa-

a) Chron. Ms. sec. XII.

b) Uter fuerit, an Guithardus, an Geisa, uterque enim ad Bohemos, ille ex Hungaria, hic ex Austria, evaserant, incertum est.

patris Geisæ, renunciavit, a) nihil tamen propterea iis prærogativis, quas *Regalias* vocant, in nominandis episcopis & conferendis beneficiis Ecclesiasticis derogatum voluit.

1180. III. Hactenus in constabiliendo sibi adversus fratrum ambitionem regno occupatus, vix tempus habebat, ut mentem ad decerptas per Græcos provincias, juri Hungariæ obnoxias, mentem reflecteret. Memor etiam juramenti, quo se Manueli obstrinxerat, se nihil illo vivo propterea moturum, ab armis se abstinuit, licet videret, Venetos interim, præter Jadram, Tragurium etiam occupasse; majoris datam fidem, quam amissa per inju-

ri-

a) Plures nostri reges videntur investituræ renunciasse. Cod. Ms. membran. Biblioth. Vaticanæ Nro. 6092. fol. 58. titulo. *Unghería* hæc habet: *Il Re d' Ungheria rinuncio à tempi di Pasqual II. il privilegio delle Investiture episcopali*: quæ ad Stephanum II. Colomanni filium videntur pertinere. Alter Cod. Ms. ejusd. Bibl. Nro. 2040. fol. 56. exhibet renunciationis exemplum, cui an. 1159. dilecte subscriptus est, qui Geisæ II. congruit. De postremo exemplo dubitatur, utrum Stephano III. an Belæ III. tribuendum sit. Contelorus præfigit siglam B. quæ Belam indicat, congruunt etiam anno 1179. nomina Strigonien. & Colocens. archiepiscoporum.

riam regna æstimans. Verum postquam Manuel obiit, & Spalatenses se regi sponte subjecissent, a) altero etiam anno Jadrenses, excusso Venetorum dominatu, ad pristinam obedientiam rediissent, nihil in causa erat, cur data Manueli fide, se porro obstrictum existimaret. Itaque, ut jus suum in Dalmatiam opere ipso declararet, Farkasium Hungariæ Palatinum Jadram misit, qui lites instituto judicio, secundum normam cognosceret, b) quam ipse recens in Hungariam induxerat, nempe, ut controversiæ scriptis libellis discuterentur, quo & in jus vocatis mora ad sui defensionem, & judicibus ad libranda partium momenta spacium daretur. c) Non pot- 1181.

 erat 1182.

---

a) Lucius l. 3. c. 12.

b) Abhinc Palatinus vetere instituto Dalmatarum judex constitutus fuit, proventu ex quibusdam insulis Dalmatiæ designato. Cod. jur. patr. T. I. pag. 234. art. 12.

c) Thurocz. Chron. P. II. c. 69. Exstat apud D. Spiess, pag. 140. archiwische Nebenarbeiten, Belæ III. Dipl. an. 1181. ubi hæc: Ego *Bela — considerans, & in futurum meæ regiæ majestati præcavens, ne aliqua causa in mei præsentia ventilata, & definita in irritum redigatur, necessarium duxi, ut negotium quodlibet in audientia celsitudinis meæ discussum, scripti testimonio confirmetur.*

erat hæc usucapio non molesta Venetis esse, qui, ut locum mercimoniis suis in Asiam propagandis opportunum recuperarent, comparata classe, Jadram obsedere. Sed, cum urbs jam ante necessario ad defensionem apparatu, & præsidio Hungarico provisa esset, clade ac-
1183. cepta, in Pagum, & vicinas insulas vim omnem converterant. a) Rex Venetis rejectis, & procurata Dalmatis securitate, arma in Græcos convertit, sive ut damna ab iis olim Hungariæ illata ulcisceretur, sive Manuelis viduæ, cujus sororem in matrimonio habebat, consilio ad id inductus fuerit, b) quam ubi jussu Andronici, tyrannidem affe-
1184. ctantis, laqueo enectam comperit, rursus Græcorum terras ingenti clade affécit, c) vastitate ad Moravam amnem prolata. Ab ulteriore progressu, morte conjugis, revocatus, paulum post de alia ducenda deliberabat, missisque in Galliam Legatis, Margaritam Philippi Francorum regis sororem, Henrici regis Angliæ junioris viduam, sibi conjungendam poposcit. Quo minus confestim matrimonium coaluerit, lis de persolvenda dote, quam ei

rex

a) Dandulus l. 10. c. 2. P. 14.

b) Nicetas in Alexio Manuele pag. 141. & Chron. Austr. ad an. 1183.

c) Nicetas ibid. & Chron. Austr. ad an. 1184.

rex Angliæ constituerat, in causa fuit, a) quæ donec dirimeretur, ut partem curarum sibi demeret, Emericum filium, ne ei jus successionis aliquando dubium redderetur, consortem regni declarans, coronari jussit, b) eique Dalmatiam cum Croatia, c) Andreæ autem secundo genito Haliciam, curandam dedit. d) Sed præpropera hæc in filios solicitudo, ut erat paterni quidem amoris indicium, ita simultatum deinde inter fratres occasio, eo magis regno periculosa, quo facilius exempli vis ad successores postea transiit, ipsosque adeo reges cum filiis non raro collisit. e) 1185.

IV. Composita, quæ dotis causa, inter Angliæ, & Galliæ reges orta erat, lite, Margarita a Legatis in Hungariam deducta, re- 1186.

 gique

a) Schier regin. Hung. pag. 154.

b) Exstat document. apud Farlati Tom. 3. Illyr. sacr. pag. 213.

c) Kerchelics Notit. prælimin. pag. 168.

d) Boguphalus Posnanien. episc. apud Sommersberg Tom. II. pag. 48.

e) Haliciam quarto post anno ab Andrea amissam esse ex Boguphalo apud Sommersberg T. II. pag. 48. patet, mox tamen in jus Hungaricum venisse; documentum apud Farlati T. IV. pag. 12. quod Belæ titulum regis Haliciæ tribuit, luculente declarat.

gique, celebratis nuptiis, collocata est. a) Solennitas nuptiarum, nihil impedimento erat, quo minus rex curas in Dalmatiam converteret. Veneti, retenta inter insulas classe, Jadrensem portum jam in octavum annum circumsidebant, &, facta saepius excensione, vicinis damna inferebant, & vicissim accipiebant. b) Mutuis cladibus tandem defessi, ut vires ad recuperanda, quae olim ab Alexio Comneno in Syria impetraverant, mercimonii emporia, adversus Saladinum servarent, inducias in biennium, non invito rege pepigerunt, c) qui ipse jam anno priore invitatus, d) miro studio in sacram profectionem animatus, Henrico regi Angliae, iter per Hungariam habituro, quaecunque ad sustentationem copiarum necessaria erant, liberaliter ad-

1187.

1188.

a) Radulphus de Diceto apud Twisden Script. rer. Anglic. col. 631. & Rigordus apud du Chesne rer. Franc. T. V. pag. 20.

b) Lucius l. 3. c. 12. pag. 226.

c) Dandulus l. 4. c. 2. P. 20.

d) Exstat in Biblioth. Augusta Vindobon. Cod. Ms. inter theologicos N. 330. epistola Conradi Comitis montis ferrati, ad Belam regem, qua suppetias sibi ab eo mitti rogat; eo imprimis ex capite, *ut terram Syriae a decessoribus suis perdomitam liberaret*, Servari eidem *Accon*, aliasque urbes. Qui decessores hi fuerint, an S.

addixit. d) Sed, cum morte præventus esset, copiosius munificentia hac regis usus est Fridericus Imperator, qui impetrato per Moguntinum archiepiscopum libero commeatu, ut Posonium secundo Danubio cum cruce signatis appulit, ne effrænis multitudo damna regno inferret, habito conventu, modum profectionis, rerumque emendarum constituit, vetuitque, ne quis per iter incolis gravis esset, & maleficium inferret. His constitutis, ut Strigonio appropinquavit, regem cum regina obvios habuit, a quibus amplissimis donis excultus est. a) Mox sponsio quoque matrimonii, quod tamen præmortuo postea sponso non coaluit, inter filium Imperatoris, & regis filiam inita, & frater regis ope ejusdem 1189

X 4 a

S. Ladislaus sacræ profectionis dux electus, licet præmortuus, copias aliquas reliquis adjungi jusserit, incertum est, nisi forte eam Hungarorum partem, quæ dum reliqui in Hungariam profecti sunt, in finibus Persiæ, ut Constantinus Porphyrog. de administr. Imperii c. 40. scribit, consederat, & Syriam sensim subjugavit, intelligat.

a) Radulphus de Diceto, cit. loc. col. 638.

b) Præter alimenta gratuito præbita, tentorium operosæ molis, cui portando vix tria plaustra suffecerant, dona item serica, & sedem eburneam

a regina subornati, non modo liber ex carcere dimissus, sed cum duobus etiam Hungarorum millibus, Imperatori adjunctus est, qui postquam cum exercitu Savum transmisit, vicissim naves omnes, quibus Ratisbona cum copiis defluxerat, regi dono dedit. a) Nondum Cæsar Serviam egressus erat, cum a rege nuncii adfuere, qui Hungaros revocarent. Id Cæsari non inanem suspicionem ingessit, quasi simulata regis amicitia esset. Itaque, postquam Philoppopolim pervenit, abeundi, qui vellent, potestatem illis fecit. Plerisque redeuntibus, pauci, dedecus esse rati, si reverterentur, cum Geisa, regis fratre, remanserant, qui in Græcia deinde matrimonio, regia familia digno, innexus, ex conjuge filios sustulit, magno olim Hungariæ, nisi res tempori fuisset prodita, discrimini futuros. b)

1189.

V. Non deerat regi causa, cur Hungaros ex profectione revocandos censuerit. Cum enim

1190.

neam regina obtulit, rex vero quatuor camelos preciosis muneribus, quæ 5000. marcarum æstimabantur, onustos, ut hæc fusius narrat Arnoldus Lubecensis apud Canisium Tom. II. Scriptor. German. P. II. pag. 506.

a) Anonym. apud Canisium Tom. III. P. II. pag. 506.

b) Idem ibid. De filiis Geisæ in Græcia natis, dicetur, cum ad res Andreæ II. ventum fuerit.

enim Imperatorem Orientis, tradita ei jam filia, a) generum haberet, recens autem filiam alteram Friderici Cæfaris filio defpondiffet, ne, cum inter utrumque aperta fimultatis indicia fe jam prodidiffent, in utramvis partem offenderet, copias fuas reduci voluit, quibus ipfe, quod induciæ biennales cum Venetis ad finem vergerent, domi egebat. Non fuiffe curam hanc fupervacaneam, ex eventu patuit. Veneti rurfus fortunam periclitaturi, claffem Dalmatiæ applicuerant, fed inita ad Trani promontorium navali pugna victi, biennales iterum inducias fancire coacti funt. b) Abhinc vicaria poteftate in Dalmatiam, Calano Quinqueecclefienfi epifcopo, quem *Gubernatoris* titulo rex ornaverat, credita, c) res facras complexus, Ladislai regis, quem Cœleftinus III. Sanctorum numero adfcripferat, corpus folenni ritu levari, & venerationi publicæ, Varadini in Ecclefia, quam vivus exftruxerat, proponi fecit, d) quæ poftea a por-

1190.

1192.

a) Nicetas l. 1. pag. 194.

b) Lucius l. 3. c. 12. & Dandulus l. 10. c. 2. P. 28.

c) In dipl. an. 1190. dicitur: *totam Dalmatiam, & Croatiam nobiliter procurans.*

d) Acta SS. menfis Junii Tom. V. pag. 319. Ecclefia, quam condidit, erat Collegiata, cujus Præpofitus dicebatur *Minor*, in comparatione majo-

[redacted] portatione ferri candentis, ad sepulcrum ejusdem regis, celeberrima est reddita.

1193. VI. Interea Veneti, evoluto induciarum tempore, iterum Jadram aggressi, nil aliud, plusve promoverant, quam quod civibus libero per mare commeatu interclusis, novos magistratus Pago, vicinisque insulis præfecerint, *a*) Arbensem vero insulam verius est, ad defectionem solicitatam, quam, ut Lucius putat, subactam fuisse. *b*) Ceterum, ut Venetis littus Dalmaticum toties infestantibus frænum poneret, Comitatum Modrusiensem Bartholomæo, ex Frangepaniorum gente, viro militia claro, hæreditarium his conditionibus contulit, ut ad exercitum regium, intra regni limites, decem milites loricatos, extra regnum vero quatuor solum, sisteret, idque eo tempore, quo Croatis militia universe imperatur, si per incuriam, aut pigritiam id non præstaret, indicta proxime militia, duplo numero, aut tot, quot prius deerant,

majoris, seu Cathedralis. Vide Pray Dissert. de S. Ladislao rege, & ejusdem epist. cristicam contra Anton. Ganoczy, pag. 108. seq.

a) Dandulus l. 4. c. 3. P. 4.

b) Lib. 3. c. 12. documentum enim quod adfert, id solum indicat, missum fuisse Fascarenum *ad aquirendam fidelitatem a populo civitatis*, sed an hanc populus præstiterit, nulla fit mentio.

erant, militibus, negligentiam pensaret, ad hæc, si improlis moreretur, hæreditas nequaquam ad ejus fratres, sed horum filios transiret. *a*) Sub hæc genero suo Isaacio, quem ad Savum convenerat, & cujus duces in Bulgaria cum Valachis infeliciter conflixere, auxiliares copias Vidinum se missurum pollicitus est, quæ tamen sero, vel non eo numero advenere, ut Græcos à secunda, quam acceperant, clade incolumes servare potuerint. *b*) Inter has belli curas filio quoque Emerico de conjuge ducenda consultum voluit desponsa Alisia, Raynaldi, Principis Antiocheni filia, dote, præter complures villas, quadringentarum marcarum constituta, quam sponsus quoque ratam habuit. *c*)

1194.

1195.

VII. Sed, dum nuptiæ parantur, rex obiit, cum maximos pro sacra expeditione, ad quam se voto obstrinxerat, apparatus faceret, quem conjux, a mariti obitu in Palæstinam profecta, Accone quinto post mense, vivis erepta itidem consequuta est. *d*) Decessit

1196.

a) Ex autogr. Exstat. etiam apud Kerchelics Notit. prælim. pag. 67. & Katona Tom. 4. p. 419. Sed utrobique pluribus erroribus refertum.

b) Nicetas l. 3. pag. 235.

c) Innocentii III. litt. an. primi apud Schier l. c. pag. 163.

d) Hovedenus ad an. 1196.

cessit IX. Calendas Majas, insigni ad poste-
1196. ros relicta sui memoria. *a*) Præter Dalma-
tiam enim, quam cum Croatia maritima,
pristino juri Hungarico asseruit, judiciorum ra-
tionem, cum prius fere omnia nutu Princi-
pis, quin in causam vocatis excusandi locus
daretur, fierent, ad leges æquitatis, & hu-
manitatis reduxit, severitatem, qua decesso-
res etiam in Optimates agere solebant, le-
nitate temperavit, quin propterea autoritati
regiæ quidquam detraheret, populum, sub
papilionibus agere solitum, deterso squallore
tædium, quæ ut plurimum ex cannis, raro ex
lignis, rarissime autem ex lapidibus structæ
erant, sociali vitæ magis consuefecit, aliis-
que, quæ ad cultum pertinent, & Constantino-
poli in aula Imperatoria, a puero educatus,
viderat, inductis consuetudinibus, Hungariam
a pristina forma sensim in meliorem convertit. *b*)
Filios

a) Chron. Ms. Kezæ.

b) Quæ facies Hungariæ ante Belam fuerit, Otto Frisingensis, qui Cæsaris per Hungariam in Palæstinam proficiscentis, socius erat, l. 1. de rebus gestis Friderici c. 31. præmissa geographica descriptione in hæc verba refert: *cum vilissima in vicis, vel oppidis ibi, id est, ex cannis tantum, rara ex lignis, rarissima ex lapidibus habeantur habitacula, toto æstatis, vel autumni tempore papiliones inhabitant.*

Filios tres superstites reliquit, Emericum natu maximum, & regni hæredem, alterum Andream, quem, ut sui loco in Palæstinam pro- 1196.

tant. — *Omnes sic Principi suo obsequuntur, ut unusquisque, ne dicam manifestis illum contradictionibus exasperare, sed & occultis susurris lacerare, nefas arbitrentur.* — *Quod si quis ex Comitum ordine regem vel in modico offenderit, vel etiam de hoc quandoque non juste infamatus fuerit, quilibet infimæ conditionis lixa, a Curia missus, eum licet satellitibus suis stipatum, solus comprehendit, in vinculis ponit,* — *nulla sententia a Principe, sicut apud nos moris est, per Pares suos exposcitur, nulla accusato excusandi licentia datur, sed sola Principis voluntas apud omnes pro ratione habetur.* Quæ de linguæ barbarie refert, cum hujus ignarus fuerit, utcunque ei condonari potest: de militia autem hæc illius sunt: *si quando vero exercitum rex ducere voluerit, cuncti sine contradictione, quasi in unum corpus adunantur. Coloni quidem, qui in vicis morantur, novem decimum, vel etiam septem octavum, vel infra, si necesse fuerit, cum supellectili ad bellum necessaria instruunt, ceteris pro cultura domi relictis, qui vero de militum ordine sunt, nulla occasione, nisi gravissima, domi remanere audebunt.*

[redacted] proficiſceretur, relicto ingenti theſauro, voti
1196. reum fecit, & tertium incerti nominis, natu
poſtremum. *a*)

EME-

a) Innocentii III. epiſt. apud Sirletum, p. 4. *Scitu-
rus — te jure, quod tibi, ſi dictus rex* (Eme-
ricus) *ſine prole decederet, in regno Hung.
competebat ordine geniturae, privandum,
et regnum ipſum ad minorem fratrem tuum
devolvendum.*

EMERICUS.

Ab anno 1196. — 1205.

I. Regnum, quod a patre ditionibus auctum, & tranquillum adeptus est, brevi post Andreas frater, qui armorum prae illo cupidior, Dalmatiae, & Croatiae inhiabat, novis turbis involvit. In hunc finem, thesaurum, quem a patre ad iter Jerosolymitanum, voti exsequendi causa, acceperat, malo aliorum consilio usus, in militem conscribendum convertit, regique apertum bellum indixit, magna in principio civilis sanguinis jactura, quod pars regi, pars Andreae adhaereret, gestum, post tamen Innocentio III. autoritatem suam interponente, qui ad Andream, & Colocensem archiepiscopum, hujusque suffraganeos, ut dissidentes fratres conciliarent, litteras dederat, *a*) sopitum, concordiaque inter utrumque ea conditione inita est, ut rex Dalmatiam cum Croatia, attributo Ducis titulo, fratri curandam cederet. *b*)

1196.

1197.

Ita

a) Ejusdem apud eund. & Baluzium Tom. II. pag. 141.

b) Exstant apud Lucium documenta l. 3. c. 13. l. 4. c. 3. quae id luculente declarant.

Ita pax quidem coaluit, sed quia armis po-
1198. tius impetrata, quam spontanea pactione conciliata esset, diuturna non fuit. Andreas obtento, ob quem arma corripuerat, fine, dum provinciam adire parat, Dalmatas, & Croatas, praeter opinionem suam adversos habuit, sive avelli se ab Hungaris aegre ferrent, sive Ducem, Venetis, si quid in Dalmatiam molirentur, resistendo imparem existimarent. Armis igitur agere coactus est, & victoria potitus, *a)* non solum Dalmatiae possessionem sibi firmavit, sed Chulmensem quoque Ducatum, mari adsitum, praeterea adjunxit, ditione in Macedoniae partem prolata. *b)*

II. Atque haec quidem per illum ad jus Hun-
1199. gariae accessio facta est. Rex vero, redintegrata cum fratre amicitia, & sponsione matrimonii,

quam,

---

a) Idem l. 4. c. 3.

b) Cum ante Andream nemo, nec postea ad Carolum Robertum quisquam nostrorum legatur, arma in Macedoniam intulisse, & tamen existent documenta Belae IV. an. 1269. Ludovici I. an. 1349. & Sigismundi annor. 1395. & 1406. quae diserte affirmant, *Castoriam* urbem Macedoniae a regibus Hung. familiae Comitum *Ohmucsievich* fuisse donatam, verisimile est, hac occasione aliquam Macedoniae partem ab Andrea fuisse occupatam.

quam, vivo patre, cum Alisia Principis Antiocheni filia inierat, incertum quam ob causam, soluta, *a*) Constantiam, Alphonsi Castellæ regis filiam, sibi conjugem delegit, dote, ob dignitatem conjugii, XII. millium marcarum argenti, præter duos Comitatus, designata. *b*) Regis nuptias aliæ exceperant, Constantia regis sorore, Primislao, regi Bohemiæ, collocata. *c*) Pompas nuptiales importune Andreas fere interceperat, qui rursus bellum fratri obmovit, sed pugna inferior, in Austriam ad Leopoldum Ducem evadens, regi, ut Austriam ferro, & igne vastaret, occasionem præbuit. *d*) Molestum id erat Imperii Principibus, qui sacram expeditionem per Hungariam parabant. Quare, ut civile bellum sopirent, misso Conrado Moguntino archiepiscopo, dissidentes his pactis conciliarunt: 1199.

a) Nupsit deinde Azoni Estensium Marchioni. Cum autem dos, nuptiarum causa dari soleat, hæ vero non coaluerint, incredibile videretur, ut hæc ei deinde, postquam Azoni nupserat, a rege, cum ærarii detrimento, præbita fuerit. Pontifex quoque id frustra ursisse videtur.

b) Patet id ex Honorii III. epist. 5. ad archiep. Salisburgen. cujus alibi mentio fiet.

c) Cosmas Pragensis ad an. 1199.

d) Chron. Claustroneoburg. Chronica Austral. & Ortilo ad an. 1199.

runt: rex fratrem, condonata injuria, in gratiam reciperet; &, quia Andreas patris voto teneretur, rex vero in Palæstinam se profecturum, Pontifici addixisset, uterque expeditioni sacræ se accingeret, Hungaria interim curæ Ducis Austriæ credita, quam, si alteruter illorum in transmarinis partibus mortem oppeteret, is, qui superstes esset, regendam acciperet. a) Conciliata in hunc modum inter fratres concordia, rex necessarios ad profectionem apparatus faciebat, nec enim ceteris Europæis segnior hac parte videri volebat, cum ob res novas, quæ ex Servia afferebantur, differenda fuit. Præerat illi Stephanus ex gente Neemaniana, qui, ut regiam dignitatem obtineret, amplectendæ cum Ecclesia Romana unionis spem Innocentio III. fecerat. Verane, an simulata illius destinatio fuerit, non liquet, illud constat, regem, ut primum clancularię hujus molitionis indicium ad se perlatum est, quod ea re juri suo præjudicium fieri videret, & præterea a Vulco, Stephani fratre in auxilium accerseretur, in Serviam profectum, Stephano exauctorato Vulcum subrogasse. b) Inde in Bulgariam transgressus, magnam illius quoque partem subegit.

1200.

1202.

a) Chron. Austr. apud Pez l. cit. col. 710. & Godefredus pud Freherum T. I. pag. 366.

b) Innocentii III. epist. ad regem, apud Baluzium, Tom. I. pag. 619. *tu vero, postquam expugnasti*

subegit, a) E medio victoriarum cursu Veneti nihil tale opinantem revocarunt, qui Gallis conjuncti, classe, quam liberandæ Palæstinæ se parasse prætexebant, Jadræ applicita, urbem tridui obsidione capiunt, & evertunt, b) qua immanitate non solum rex, & magna Europæorum pars, qui ceteroquin voto se ad sacram expeditionem obstrinxerat, animo commoti, domi restiterat, sed Galli quoque, cum viderent spolia non ex æquo dividi, Venetos deseruere. 1202.

III. Pontifex spe sua delusum se videns, & regis injuria offensus, auctores abominandi facinoris, una cum Venetorum Duce, quem conscium fuisse, non inanis suspicio erat, sa- 1203.

sti Serviam, amoto Stephano, & Vulco substituto in locum ipsius &c.

a) Hac expeditione, quinque episcopatus Bulgariæ a rege occupatos, questus est Calo Joannes apud Pontif. petitque, ut inter regem, & se limites definiat, ut est apud Raynaldum ad annum 1204. Firmat id Andreæ II. dipl. an. 1231. *quod cum recolendæ memoriæ Hemericus, frater noster, illustris rex Hung. Thomæ Comiti in recompensationem suorum fidelium servitiorum, quæ sibi in expeditione, quam habuit contra Bulgaros super fluvio Morava, laudabiliter exhibuit* &c.

b) Thomas archidiac. hist. Salonit. c. 25.

crorum communione interdixit, Gallis, quod
1203. fere inviti in communionem sceleris pertracti fuissent, errati veniam deprecantibus, a) Venetis contra, tamquam re egregie patrata, in pervicacia obstinatis, qui exacta illic in munimento, quod exstruxerant, hyeme, mutato repente consilio, non, ut se facturos receperant, in Palæstinam, sed ab Alexio Angelo, quem frater solio detrusum oculis orbaverat, ut sibi contra illum auxilio essent, invitati, Constantinopolim, nihil Innocentii minis absterriti, classem admovere. Jadrenses illorum absentia usi, regisque stipendiis, & Cajetanorum navibus adjuti, urbem, trucidatis præsidiariis, receperunt, qua recuperata rex in proposito sacræ expeditionis confirmatus, antequam profectioni se accinxerat, ne quid per sui absentiam frater turbaret, regni causa solicitus, Ladislaum filium successorem designare cupiebat. Scripsit propterea ad Pontificem, ut, si qui propterea suo desiderio contrarii esse auderent, eos sua auctoritate in officio contineret. Annuit, datisque ad archiepiscopos, & episcopos litteris, universos hortatus est, ut regi ea in re morem gererent, agerentque, ut infanti juramentum fidelitatis præstetur, &, si regem in peregrinatione mori contingeret, curam pupil-

a) Raynaldus ad an. 1203. N. 6.

pilli interim gererent, donec per ætatem regimini idoneus esset. *a*) 1203.

IV. Jam nihil erat, quod profectionem morari posse videbatur, cum aliud ex alio impedimentum intervenit. Ipse Pontifex, qui Ottoni præ Philippo, Imperii Germaniæ æmulo, favebat, omnium primus obicem posuit, regem hortatus, ut copias suas Primislao Bohemiæ regi contra Philippum conjungeret. Non potuit non vicissim Rex Pontifici gratificari, & exercitum non temnendo numero Bohemis subsidio misit. Deducta regno militia, Calojoannes tempus opportunum nactus est, ut non solum quæ in Bulgaria erant amissa, recuperaret, verum Serviam quoque popularetur, & terram, quæ regis sorori, Isaacio nuptæ, in dotem data erat, in potestatem redigeret. *b*) Frustra rex propterea Pontifici questus est, frustra quoque injuriam ulcisci parabat, fratris ambitione prohibitus. Ægre is ferebat, infantem successorem esse declaratum, cumque non minima Optimatum pars illi faveret, brevi justum conflavit exercitum, regique cum copiis adventanti opposuit. Prope jam erat, ut ad manus veniretur, cum rex se a suis pene desertum videns,

a) Litteras Innocentii III. exhibet Dobner Monument. Tom. II. pag. 331.

b) Raynaldus ad an. 1204. N. 44.

dens, consilium, ut primo obtutu temerarium,
1209. sic in exitu felix, arripuit. Inermis solaque virga munitus, fratris castra ingressus, elata voce ajebat, visurum se, quis eo audaciæ prorumperet, ut manus suas in regium sanguinem injiciat, simulque omnibus attonitis ultra progressus, ut ad fratrem venit, manu prehensum castris educit, suisque tradit, castro, cui *Kene* nomen erat, includendum, ejus dein uxore, Gertrude, Ducis Meraniæ filia, domum remissa, reliquos, facta delicti venia, in gratiam recepit. *a)* Fraterni belli calamitas non ad Hungariam solum, sed Dalmatiam quoque pertinuit. Veneti enim Hungarorum dissidia in suum lucrum vertentes, novam classem ad subigendam Jadram parabant, quo comperto cives, quoniam spes auxilij ex Hungaria affuturi vix ulla esset, missis Legatis sponte in clientelam Venetorum concessere, graviores, quam dum regibus Hungariæ parebant, conditiones inire coacti. Comes enim urbis, quem prius ex suis popularibus legebant,

---

a) Thomas archidiac. l. cit. c. 24. Dandulus l. 10. c. 3. P. XI. Oefelii script. rer. Boicarum Tom. II. pag. 335. castri *Keene* Andreas ipse meminit in dipl. an. 1209. quo Varasdinum, quod sibi in ea arce detento, cives omnia liberaliter administrassent, regiis liberis civitatibus accenset.

bant, nunc Venetus origine, etiam invitis obtrusus est, & tributum, ter mille pelles cuniculorum, quotannis pendendum, utque jurisdictionem temporalem sibi magis firmarent, arctiusque Ecclesiasticæ innecterent, archiepiscopus Patriarchæ Gradensi subesse jussus. *a*)

V. Amissa Jadra, cui ob domestica dissidia succurri non poterat, rex animo æger, non tam de profectione in Palæstinam cogitabat, quam qua ratione labefactis domi rebus possit consulere. Fratre in custodiam dato, quies utcunque quidem restituta videri poterat, verum futuri temporis anxius, optabat, filium infantem se vivo coronatum videre, nihil dubitans, hac una re fratris ambitionem frænari, & stabilem deinceps in familia regia concordiam, regnoque tranquillitatem conciliari posse. Scripsit propterea ad Pontificem, qui ejus desiderio annuens, eam provinciam Strigoniensi archiepiscopo mandavit, monuitque, ut pater in filii loco, de servanda sedi Apostolicæ obedientia juramentum præstaret, *b*) simul Leonem Cardi- 1204.

a) Dandulus l. 10. c. 3. P. 29.

b) Epist. Innocentii III. apud Dobner Monument. Tom. II. pag. 337. verba huc pertinentia sunt: *recepturus ab ipso patre, filii sui vice, corporaliter juramentum, tam super sedis Apostolicæ obe-*

nalem in Bulgariam iturum regi commendavit. Acceptus est in principio liberaliter, sed,
1204. postquam comperit, Legatum, non solum ea de causa mitti, ut Bulgaros ad unionem Ecclesiæ Catholicæ reduceret, sed Calojoannem titulo etiam regis ornaret, *a*) cum jam in regni

obedientia, quam super Ecclesiæ Hungaricæ libertate &c. Quod genus obedientiæ hoc fuerit, mihi fateor obscurum esse. Si de rebus religionis sermo sit, hanc reges nostri semper præstiterunt; si de temporalibus, & episcoporum renunciatione; illud proprium est juris patronatus regii, quemadmodum collata terra juris regii fuit, hoc autem primo regi S. Stephano ab Ecclesia concessum est, nec unquam revocatum. Forte Pontifex per hoc, jus clientelare in Hungariam, tacite indicare voluerit. Certe in alia ad regem epistola hæc scribit: *attende nihilominus diligenter, quale denique reputares, si nos impedire vellemus, ne filius tuus carnalis coronari posset in regem?* quæ, ut puto, satis ab se loquuntur.

a) Epist. ejusd. Pontif. ad regem, apud Muratorium Tom. III. script. rer. Ital. pag. 583. *quoniam, etsi scripseris, quod præfatus Joannicius nullius terræ de jure sit dominus, licet aliquam partem tui, & aliam regni alterius ad tempus detinet occupatam, unde miraris, quod tam manifestum inimicum tuum, te inconsulto, tam subito in regem proposuerimus coronare &c.*

gni limitibus esset, porro proficisci vetuit, voluitque, ut sibi de jure suo per Calojoannem 1204.
prius satisfieret. Jure enim queri rex sibi visus est, nondum Venetos ob Jadræ eversionem, nec Calojoannem, ob vastatam Serviam, & violenter detentam terræ illius partem, quæ sorori suæ, Isaacio nuptæ, dotis causa erat oblata, a) ad pensandam injuriam hactenus fuisse adactos, nec spem, si Calojoannes prius coronaretur, deinceps affulgere, ut sibi satis faciat. Lis, pontifice magis in Bulgarum, quam regem, proclivi, porro datis ultro citroque litteris protracta, cum morte regis adhæsit. Obiit pridie calendas De-

a) Innocentii III. epist. cit. apud Murator. Tom. III. pag. 523. *Quod autem scripsisti, quod præfatus Joannitius terram, quam pater tuus Imperatrici Græcorum dedit in dotem, detinet occupatam, & terram Serviæ, tuæ coronæ subjectam, adjuncta sibi multitudine copiosa, crudeliter devastavit, — certissime noveris, nobis esse valde molestum* &c. Hoc loco Pontifex terram dotalitiam aperte discernit a Servia, in hac igitur illa esse non potuit, proinde debebat esse in Bulgaria, in qua Bela III. quinque episcopatus, ut memoratum est, occupaverat. Nec in Bosnia, vel Dalmatia portio hæc dotalitia quæri potest, cum in has Joannitius arma intulisse nuspiam legatur.

Decembris, *a*) filio prius corona incincto; cui fratrem Andream e custodia dimissum, testamento tutorem constituit. *b*)

1205. Pronum est conjicere, qua cura Andreas, qui vivo fratre non obscure regnum affectavit, e custodia dimissus, tutoris partes implere conatus fuerit, quod Pontifex, quamprimum id ex ejus litteris comperit, prudenter metuens, paterne illum hortatus est, ut pupilli curam diligenter haberet, relictum illi, & reginæ matri thesaurum ne in alios usus convertat, neve regales fundos dissipare audeat. *c*) Fecit id in principio non gravate, nec sui oblitus, conjugem in Hungariam revocavit, ut, quemadmodum calamitatis suæ olim par-

a) Oefelii rer. Boic. Tom. III. pag. 335. & Ortilo ad an. 1204. Fuit in res sacras munificus, ut crebræ donationum litteræ testantur. Patarenos late in Bosnia grassantes ope Legati Pontificii ad unionem reduxit, quæ cum ad hist. Ecclesiasticam pertineant, consulto a me prætermissa sunt. Hoc unum ei vitio datur, quod Boleslaum Vaciens. episc. a summo aræ gradu detractum pavimento allisferit, & cum thesauro Ecclesiæ patrimonium episcopi violente occupaverit.

b) Thom. archidiac. c. 24.

c) Chron. Admontense apud Hieron. Pez. Tom. I. col. 1207.

particeps erat, ita honoris quoque nunc socia esset. Sed brevi inter hanc, & viduam regi- 1205.
nam, quod utraque regimini se vellet ingerere, simultas orta, hanc, ut sibi, & filio mature consuleret, ad amplectendam fugam impulit. Communicato igitur cum iis, quos pupillo addictos norat, consilio, regni insignia clam convasat, & in Austriam ad Leopoldum Ducem evadit. a) Ex fuga, quæ Andreæ parum honorifica fuit, fere bellum inter Hungaros, & Austrios, nisi mors b) Ladislai infantis intervenisset, ortum erat. Corpus defuncti ab episcopo Jaurinensi Albam deductum, & regio more conditum est, regni insignia a Leopoldo reddita, & Constantia vidua in Arragoniam reversa, Friderico II. Imperatori postea nuptui collocata fuit. c)

ANDRE-

a) Ibid.

b) Chron. Admontense apud Pez l. cit. & Arenpeck ibid. Tom. I. col. 1207.

c) Idem Arenpeck l. cit. Plerique scriptores domestici Ladislaum infantem, tertium hoc nomine inter reges censent, a quibus posteriorum regum documenta me dissentire cogunt. Ladislaus enim cognomento Chunus, qui ipse nomen *Tertii* in sigillis constanter tribuit, hac usus epigraphe: *sigillum Ladislai Tertii regis, quinti Stephani regis filii.* Idem ejus successor, Andreas III. in litt. an. 1295. V. Idus Sept.

ANDREAS II.

Ab anno 1205 — 1235.

1205. I. Regnum, quod magno studio prius ambiverat, decimo octavo post die, quam Ladislaus infans exstinctus est, ex ritu gentis coronatus adiit, multis postea difficultatibus implexum, quod a militari indole, cujus non pauca ante indicia dederat, sensim deflectens, & uxorius, rem publicam fere ex conjugis arbitrio *a*) administraret. Hinc prima multorum in reginam odii jacta semina, quae altero anno, dum Belam filium enixa esset, ta-

Sept. confirmat, *exhibuerunt*, inquit, *nobis privilegium domini Ladislai tertii, bonae memoriae, quondam inclyti regis Hung. patruelis fratris nostri carissimi* &c. preinde ipsorum regum judicio, Ladislaus infans ex serie regum expungendus est.

a) Theodericus S. Elisabethae, Gertrudis filiae, biographus apud Canisium Tom. IV. pag. 119. & Dlugossus hist. Pol. l. 6. pag. 615. Item apud Pray Vita S. Elisabeth. pag. 41. *Erat autem Andreas rex, vir quietus, & bonus, regina vero mulier virtuosa, & fortis, quae femineae cogitationi virilem animum inserens, regni tractabat negotia.*

tacite incrementa sumebant. Inde enim data occasio, ut exteri, inter quos Ecbertus, & Bertholdus, reginæ fratres erant, salutationis causa in Hungariam venirent, & regis gratiam aucupati præ Hungaris locum caperent, primæque in aula admissionis essent. Non poterat id non Optimatum, qui alias primi subsellii erant, animos irritare, sensimque a rege avertere. Nec id, utut remissior ad rem publicam plerisque in principio videretur, clam illo erat. Igitur, ut desidiæ a se opinionem amoliretur, non invitus arma in Haliciam, bello civili distractam, flagitantibus ipsis incolis traduxit, eamque, adjecta Lodomeria, juri Hungariæ rursus asseruit. a) Felici hoc eventu obtrectatores sibi utcunque conciliaverat, cum redux novam offensionis causam præbuit, dum Bertholdum, quem jam ante, præteritis Hungaris, Colocensem archiepiscopum nominaverat, juvenem, nec ea, quam gradus is poscit, ætate, nec ullis scientiis imbutum, confirmari a Pontifice peteret. Id cum negatum esset, b) ut repulsam passum solaretur, Banum Dalmatiæ, & Croatiæ, Bancone ea dignitate moto, renunciavit.

1206.

1207.

a) Dlugossus hist. Polon. l. 6. pag. 604.
b) Litt. Innocentii III. apud Baluzium Tom. II. pag. 252.

vit. *a*) Cum non obscurum esset, id reginæ
1209. gratia fieri, multorum animi nondum penitus compositi, non modo in reginam, sed regem quoque rursus concitati sunt. Banco, qui locum novitio homini cedere coactus erat, regis mandatum, sui contemtum interpretatus, cum iis, quos ab eo norat alieno animo esse, inita societate, ad res novandas, regemque solio movendum conatus suos convertit.
1210. Communicato igitur cum præcipuis consilio, nuncios, & litteras ad filios Geisæ, quem cum copiarum parte Friderico Imperatori a Bela III. adjunctum, & Constantinopoli adhæsisse memoravimus, crebro missitabant, *b*) eisque, ut ad regnum capessendum venirent, auctores fuere. Proditio tamen, vigilantia Domaldi Comitis Spalatensis, mature detecta est, & nuncii cum litteris vincti ad regem deducti sunt. *c*)

II.

---

a) Subscriptus est diplomati hujus an. Banus Dalm. & Croat.

b) Videtur frater regis natu minimus, cujus alias ex litt. Innocentii meminimus, jam obiisse, cum illius deinceps nuspiam memoria occurrat, nec factiosi, Geisæ filios Constantinopoli accersivissent, si ille ad hoc tempus superstes erat.

c) Lucius *Memoriæ istoriche di Tragurio, ora detto Trau.* Venet. 1673. l. 2. c. 5. pag. 27. *Andreas* &c. *Cum quidam Principes Ungariæ*

ini-

II. Interceptis nunciis, factio quidem ad tempus repressa, non item exstincta erat, cui 1211. non multo post novum fomentum Bertholdi arrogantia addidit, qui se Strigoniensi archiepiscopo, & Primati Hungariæ, regis, qui propterea ad Pontificem scripserat, favore subnixus, parem ferre volebat, *a*) ut adeo non solum viris ex civili, sed Ecclesiastico etiam ordine, in dies magis invisus fieret, regemque importunitate sua, aliorum sugillationi exponeret. Hæc cum satis aperte jactarentur, & ad regem perlata essent, ut rancoris, & invidiæ causam tolleret, Bertholdum ex præfectura Dalmatica amotum Transsilvaniæ Vayvodam, & duarum provinciarum, 1212. Bacsiensis, & Bodrogiensis supremum Comitem declaravit, eventu tamen, quam spe-

iniquum adversus nos machinantes consilium, in Græciam ad filios Geychæ chartas, & nuncios transmisissent, ut & illos in Ungariam venientes, eorum consilio, & auxilio adjuti, regnum nostrum usurparent, ipse Domaldus solitam fidelitatem semper servans integram, cognito perfido Legationis tenore, ipsos nuncios, cum jam Spalatum pervenissent, cepit, quos ad nos una cum chartis suis compeditos adduxit &c.

a) Litt. Innocentii III, apud Baluzium Tom. II. pag. 544.

ſperaverit, prorſus contrario. Tot enim honores cum utilitate conjunctos, in unum conferri, qui alias in plures dividi ſolebant, fa-
1213. ctioſos ſenſim ad vindictam irritavit. Hic erat animorum utrinque habitus, cum rex expeditionem in Haliciam parabat. Res erant iſthic, ob Romani Igerovicii, quem rex fiduciario jure illis præfecerat, tyrannidem adeo perturbatæ, ut Ducem cum fratre, totaque familia e medio ſuſtulerint. *a)* Hæc profectionis in Haliciam cauſa erat, ne quid autem ſe abſente turbarum oriretur, infelici uſus conſilio, Banconem, factionis caput, regni Palatinum conſtituit. Hoc ipſum tempus factioſis ad ſumendam vindictam opportunum viſum eſt. Ira omnis in Bertholdum, ejusque clerum effuſa, non habita dignitatis, & cum regio ſanguine conjunctionis ratio, injectæ in illum violentæ manus, Sacerdotes, & religioſi verberibus affecti, illata Eccleſiis damna, acta ſpolia, nemoque facile ex archiepiſcopi comitatu erat, qui non inſigni injuria affectus fuiſſet, ea erat facinoſorum promiſcue ſæviendi licentia. *b)*

III. Nondum tamen furor deferbuit. Re-
1214. gina per latus Bertholdi petebatur. Nec deerant,

a) Annal. Ruſsici ad hunc an.

b) Litt. Innocentii III. an. 1214. VIII. Id. Januarii, apud Baluzium Tom. II. pag. 825.

erant, quas patrando crimini speciose prætenderent, causæ. Primum enim, exteros ad præcipua regni officia admotos, licet nemo, præter Bertholdum esset, qui publico magistratu fungeretur, criminati sunt; tum regem, conjugis suasu, potentiorum castra, quæ magis ad parandum sibi in alios dominatum opportuna, quam ad securitatem necessaria videbantur, publicæ tranquillitatis causa, vi armata expugnasse; reginam denique ipsam, magno ærarii publici detrimento, totam in coacervando thesauro esse, in vulgus spargebant. a) Hæc, ut ut fucata, satis ta- 1214.

a) Sunt, qui inter reliquas odii in Bertholdum causas, etiam stuprum Banconis conjugi, regina conscia, oblatum memorant. Sed præterquam, quod id a moribus reginæ, cujus pudicitiam, aliasque virtutes, illius temporis scriptores commendant, vehementer abhorreat, ipse etiam dissensus narrationem hanc suspectam reddit, cum alii hoc crimen Bertholdo, alii contra illius fratri Ecberto tribuant. Vero proximius est, cum uterque ea apud regem gratia valuerit, ut is apud totius regni majores odia incurrerit, quemadmodum ad Pontificem perscripserat, sicarios de industria hanc calumniam excogitasse, ut scelus suum apud exteros, specioso titulo palliarent. Nec, si narratio veritate niteretur, Ecbertus unquam in se-

1214. tamen erant, ut reginam nihil tale opinantem, destitutam auxilio, & plurium liberorum matrem, immaniter trucidarent, Bela filio, opera pædagogi, sicariorum manibus ægre subducto. *a*) Pars cæsi corporis in Ecclesia Pilisiensi, *b*) pars in Leleszienski condita est, *c*) certo indicio, etiam in cadaver a barbaris sævitum fuisse. Nec rebus in aula repertis parsum, inter quas & sigillum regium, quo bonorum donationes firmari solent, furto surreptum, ut adeo, ne factiosi illo in aliorum fraudem uti possent, novum ei substituendum fue-

dem Bambergensem reponendus, nec Bertholdus ad Patriarchatum Aquilejensem promovendus erat, cum Ecclesia summam in hoc genere cautelam adhibere, & rigidum in ante actam vitam examen instituere soleat.

a) Litt. Andreæ an. 1214. quibus Comiti Myska, patri Magistri Salomonis, qui Belæ prædagogus erat, ob hunc servatum possessionem *Zelelgeg* donat.

b) Apud Pray Hierarch. P. II. pag. 63.

c) Litt. regis an. 1214. fundationem Præpositurae Leleszien. confirmantis: *pro anima illustris reginæ Gertrudis, conjugis nostræ, eidem Ecclesiæ contulimus, & ideo maxime, quod quædam pars corporis ejusdem in eadem sepulta est Ecclesia.*

fuerit. *a*) Bertholdus, se quoque ad cædem designari metuens, obtenta a rege peregrinandi venia, mature se periculo subduxit, thesauro, quem regina prolibus, præsertim filiabus olim profuturum, congesserat, sibique fido civi servandum dederat, secum ablato. *b*) 1214.

Pontifex, quamprimum infelicem reginæ casum edoctus erat, cædis auctores *c*) sacris omnibus interdici jussit. *d*) Verum, qui manus regio sanguine contaminare non verebantur, parum his minis tribuebant. Nec rex, post-

a) Dipl. an. 1216. *Verum quia præsentis privilegii series, prioris sigilli nostri munimine, quod occisione reginæ Gertrudis, nostræ dilectissimæ conjugis, fuit deperditum, consignata fuerat, præsentem paginam renovandam fore duximus, & alio sigillo, contra falsæ cavillationis dolositates, quæ possent accidere, parari fecimus &c.*

b) Thesaurus, ut rex ad Pontif. scripserat, septem millibus marcarum æstimatus erat, serius deinde Pontif. mandato restitutus.

c) Cædis autor incertus est, aliqui Banconem, alii Petrum Bihariensem Comitem fuisse memorant. Utervis fuerit, parum refert, illius memoriam, ob detestandum facinus, ad posterorum memoriam exstare.

d) Raynald. ad an. 1214. item apud Baluzium Tom. II. pag. 825.

poſtquam ex Halicia, rebus compoſitis, red-
1215. iit, in reos, qui ob nimiam ejus conniven-
tiam parum regiæ auctoritati tribuere con-
ſueverant, auſus eſt animadvertere, memor
illius temporis, quo ope illorum & armis,
contra fratrem uſus erat. Ne tamen ſcelus
impune penitus evaderet, quosdam, qui ne-
cis participes erant, fundis ex lege privavit.
Atque hoc unum erat, quo indolentiæ notam
ab ſe detergere videbatur, qua ſive incuria,
ſive puſillanimitate, factioſi audaciores facti,
conſilia de coronando Bela filio inter ſe cu-
debant, quod ſi efficerent, non dubitabant,
diſsidiis inter patrem, & filium ſuſcitandis, ſe
deinceps ob reginæ cædem impunes futuros,
nec enim, ut ſcelus ipſum tacita ſemper ani-
mi pœna eſt, regis indulgentiæ ſatis hucusque
fidebant. Opportune machinatio regi detecta
fuit, qui ut temerarios a propoſito averteret,
datis ad Pontificem litteris, orabat, ne ſe
invito filium coronari pateretur, ſi qui nihilo-
minus id auderent, refractarios, quicunque
ii, ſeu civilis, ſeu Eccleſiaſtici ordinis eſſent,
ſacrorum communione privaret. a) Facile id
obtinuit, ſed non levi auctoritatis regiæ de-
trimento, qui ad ſuos in officio continendos
aliena ope eguerit.

IV.

a) Litt. Innocentii III. ad archiep. Strigon. apud
Baluz. Tom. II, pag. 825.

IV. Represso, Pontificis auctoritate, factiosorum conatu, nihil jam obstare videbatur, quin filium Colomannum, quem Galicienses *a)* Principes, & populus postulabant, a Strigoniensi archiepiscopo coronatum, illis regem præficeret. *b)* Quo firmior autem ei possessio redderetur, &, ne juris causa, quod Dux Poloniæ ab avo materno, fratre Volodomirii, regni olim Galiciensis, se habere putabat, difficultas deinceps obmoveri posset, sororem ejus Salomeam, filio conjugem dedit. Ipse etiam prius, quam ad profectionem, a qua triennii respirium ei Pontifex indulserat, in Palæstinam se accingeret, Jolantam, Petri Antisidiorensis Comitis filiam sibi despondit. *c)* Filiis quoque ante suum obitum volebat consultum esse. Cum enim vereretur, ne, Colomanno Haliciæ rege jam coronato, factiosi hac de causa, inter hunc, & Belam pri-

1215.

1216.

a) Sigilla regum, ducto ab Andrea II. initio, constanter *Galiciam*, pro *Halicia* exhibent.

b) Litt. regis ad Pont. an. 1214. *Galiciæ Principes, & populus, nostræ ditioni subjecti, humiliter a nobis postularunt, ut filium nostrum Colomannum ipsis in regem præficeremus.* Item Dlugossus l. 6. pag. 684. Confer Gruber origines Livoniæ ad an. 1216. & Joan. Arndt. observat. pag. 133.

c) Schier regin. Hung. pag. 106. & 190.

utque iter maturaret, hortabantur. Dum secum, in quam partem se daret, deliberat, socer Romam properans, generumque prævertens, coronam Imperii a Pontifice, non optimo tamen omine, suscepit. Cum enim ad id capessendum accelerat a Theodoro Comneno, Epiri Principe interceptus est, *a*) rege frustra operam suam interponente, ut libertati restitueretur. Nihil igitur jam morandum ratus, mense Augusto Spalatum profectus, conductis Venetorum, *b*) Anconitarum, aliorum-

1217.

a) Honorii III. epist. data Ferentini 5. Cal. Aug. an. Pontificat. 2.

b) Dandulus, & Lucius de regno Dalm. l. 4. c. 4. contendunt, occasione susceptæ in Palæstinam expeditionis, ad quam Veneti naves regi profecturo dederant, hunc juribus suis in Jadram renunciasse. Sed commentum hoc luculente refellit Thomas archidiac. Spalatens. scriptor illius temporis, hist. Salonit. c. 25. *Misit ergo* (rex Andreas) *& conduxit naves magnas a Venetis, ab Ancona & Jadra, & ab aliis civitatibus Adriatici sinus, fecitque omnes applicare ad portum Spalatinæ civitatis:* qui, si rex suum jus cessisset, id ignorare non poterat. Precio igitur naves conductæ erant, non cessione juris, quod serius etiam Veneti agnovere, cum *id regni Hungariæ notorium* confessi sunt, ut in rebus Caroli Roberti dicetur.

rumque maris Adriatici accolarum navibus, inde solvens, primum ad insulam Cyprum, tum Acconem applicuit, a) mox Hierosolymorum, & Cypri regibus se conjungens, semel, iterumque, ac tertium cum Sephadino Turcarum Sultano confligens, & victoria potitus, aliquot castra vi expugnat; sed, cum ad Thabor montem ventum est, & ipse cum Duce Austriæ rem strenue gerit, fœderati autem suis partibus deessent, consilium in Hungariam redeundi iniit. Causa propositi repente mutati multiplex erat. Primum enim, ex porrecta sibi venenata potione, vix mortem evaserat, ipsa deinde Cypri, & Jerosolimitani, regum cupiditas, qui totum pondus armorum eidem incumbere, sibi autem partum bello fructum servare vellent; crebra denique nuncia ad se ex Hungaria perlata, regnum factionibus miserum in modum discerpi, vel incitam ad accelerandum reditum permovere. b) 1217.

V.

---

a) Thomas archidiac. c. l. c. 26. & Bernardus Thesaurarius apud Murator. Tom. VII. c. 186.

b) Thomas archidiac. cit. l. c. 26. item epist. regis ad Pont. quæ Bullæ Innocentii IV. an. 1245. inserta est. *cum in ultramarinis partibus in susceptæ peregrinationis servitio moraremur, ineffabile dissensionis seminarium in regno nostro per frequentes nuncios procul dubio cognovimus pul-*

1218. V. Convulsis igitur signis, Tripolim pervenit, inde Antiochiam progressus, Leonis Armenorum regis filiam, Andreæ natu minimo filio, cum jure successionis ad ejusdem hæredes traducto, Belæ autem primogenito, cum in Græcia aliquamdiu moratur, Mariam Theodori Lascaris filiam despondit, ab Asane Bulgarorum Imperatore, non ante dimissus, quam eidem quoque filiam nuptui se daturum promisisset. Adfuere etiam ab Iconii Sultano nuncii, qui, si rex sibi filiam, aut neptem matrimonio jungeret, se cum suis sacra Christiana amplexurum receperat. *a)* Atque

pulsasse. Nos igitur — compulsi, coacti, & inviti a terra sancta recessimus.

a) Ibid. *Illustris enim Leo rex Armeniæ, ut nostræ gentis, & suæ glutinato in unum commercio ad constringendum [illegible], & juges Turcorum insultus robustior existeret, filiam suam nostro filio tradidit in uxorem, totumque regnum Armeniæ cum sua corona, juxta plenum Baronum suorum consensum, atque juramentum, in perpetuam jurisdictionem eidem filio nostro, & suis hæredibus subjugavit. Hujus etiam intentionis studio — filiam Comneni Theodori Lascaris filio nostro duximus in uxorem. Eodem etiam animo inter Asanem Bulgariæ Imperatorem, mediante nostra filia matrimonium celebravimus. — Noverit etiam vestra sanctitas,*

quae hunc fere unicum ex sacra expeditione, cui se, suaque, regno non optime constituto, consecraverat, fructum retulit, cum interea domi respublica, factionibus agitata, incredibili detrimento afficeretur. Praeter plurima enim, quum rediit, perfidiae scelera, tam ab Ecclesiasticis, quam profanis commissa, omnes proventus regios furto, & rapinis adeo dissipatos reperit, ut nec aes alienum, peregrinationis causa contractum, diluere, nec ex peculatoribus, qui in exteras regiones profugerant, poenam sumere, nec damna denique viginti quinque annorum spacio, se reparare posse, ad Pontificem perscripserit. a) Qua- 1218.

tas, Zultanum Iconiae — ad nos suum destinasse nuncium, ut, si aliquam filiarum nostrarum, aut cognatam sibi traderemus uxorem — Christianismi fidem assumeret.

a) Ibid. *Cum in Hungariam pervenimus, multo ampliora perfidiae scelera, quam prius audiveramus, tam per Ecclesiasticas, quam Laicales personas comperimus esse perpetrata. — Hungariam — dissipatam, & cunctis Fisci proventibus spoliatam reperimus, ita, ut quod nec debita, quibus in nostrae peregrinationis itinere fuimus obligati, persolvere, nec usque ad 25. annorum spacium, regnum nostrum pristino statui poterimus reformare. Igitur — a V. S. — postulamus, quatenus in auctores tanti scele-*

le-

Quare, ut egestati suae aliqua ratione consuleret, fundos castris regiis adscriptos, qui
1218. proprium semper regum peculium erant, a) una cum coronae bonis, in perpetuum alienavit, b) fallaci Baronum suorum consilio persuasus, damna, quae per sui in Palaestina absentiam perpetrata erant, hac ratione reparari posse, fere admodum intelligens, quam inconsulte sibi nervum rerum gerendarum succiderit, & potestati suae limites quodammodo circumscripserit.

VI. In Galicia quoque a suo reditu, Co-
1219. lomanno inde ejecto, res perturbatas reperit, quas dum armata manu restituere conatur, Hungari victi, & Colomannus cum conju-

ju-

storis, eorumque complices, tam personas Ecclesiasticas, quam Saeculares, censuram vestrae sedis, & rigorem ita plenarie exercere dignemini, quatenus in nullo Christianismi climate, quo aufugerant, vel aufugerint, valeant occultari.

a) Confer Notit. praev. §. 17. & 24.

b) Dipl. an. 1218. *dum quorundam nostrorum Principum consilio, terrae nostrae statum, ab antiquo illibate conservatum, alterantes, castra, Comitatus, terras, & caeteros totius opulentiae Hungariae proventus, in perpetuas haereditates, nostris Baronibus, & militibus distribuimus — tranquille possidendos &c.*

juge in potestatem Ducis Miecislai venit. a) Calamitatem hanc excepit altera, dum mortuo Leone Armenorum rege, alteri filio sub Andreæ spem succedendi in Armenia, ab æmulo Hierosolymorum rege, succisam intellexit, qui, quod alteram Leonis filiam in conjugio haberet, jus regni, uxorio titulo, ad se pertinere arbitrabatur. b) Ipsa regionis distantia, & nervi, post alienatos regios fundos defectus, regem a jure filii armis prosequendo prohibebant. Affulgebat præterea spes alteri, & Hungariæ utiliori matrimonio filium innectendi, quam Legati, quos ad Miecislaum, Colomanni liberandi causa miserat, eminus ostentabant, cum quo brevi post, in has conditiones convenere; Colomanno cum conjuge e custodia dimisso, Andreas ejus frater natu minor, filiam Miecislai, cum uterque idoneam conjugio ætatem attigerint, uxorem acciperet; Miecislaus autem jure clientelari Hungariæ obnoxius, Galitiam triennio teneat, & hoc evoluto, locum rursus Colomanno cedat. c) Vix filium in libertatem asseruerat, cum domi inter se, & Belam pri-

1220.

1221.

1222.

mo-

a) Dlugossus l. 7. pag. 185.

b) Bernard. Thesaurarius apud Murator. T. VII. col. 843.

c) Honorii III. epist. ad regem, 6. Cal. Febr. anno sexto.

mogenitum, inter hanc, ejusque conjugem discordia orta est. Hanc Bela, incertum qua de caussa, nisi forte Jolanta noverca occasionem praebuerit, a) ab se dimiserat, quod dissidium cum plerisque non levi offendiculo esset, brevi post studio Episcopi Varadinensis, cui Pontifex hanc provinciam mandaverat, compositum est, non item, quod inter patrem, & filium excitatum erat, tam facile sopitum.

1222. Abhinc enim, quam Bela, volente patre rex inauguratus erat, & pro ratione dignitatis diversam ab eo aulam, hujusque magistratus, excepto Palatii Comite, regiis similes

a) Huic rex dotem nuptiarum caussa, ut Honorius III. Laterano Nonis Julii an. sexto scripserat, constituit proventus Comitatuum Varasdinensis, Somogiens. Szaladiens. & Sirmiensis, praeter Banatum. Prius autem, quam in Palaestinam proficisceretur, si se in peregrinatione mori contingeret, 8000. marcarum eidem constituit ex salibus Marmarosiensibus, & *proventus Saracenoram de Pesth*, ac *Comitatus de Budrugh*, *quousque*, ut Pont. 18. Cal. Jun. an. secundo ad reginam scribit, *tibi sit de praedicta Summa pecuniae, plenarie satisfactum*. Cum autem pars horum proventuum videatur ad dotem conjugis Belae pertinuisse, facile inter hanc, & reginam, & cum marito etiam dissidium ortum fuerit.

les haberet, sensim inter utriusque palatinales æmulatio, ex hac simultas orta, mox ab his ad eorum familiares, &, ut servorum assentatio captatis temporibus, multum in animos dominorum potest, etiam ad hos propagata, ac ingestis crebro suspicionibus aucta fuit. Animis utrinque ita constitutis, regnum bisariam scissum est: qui regi favebant, Belam, cum ad patris curiam venit, contemtim habere, vicissim qui filio adhærebant, quod dominum suum, regem coronatum dictitarent, obsequium legitimo regi detrectare, solebant, sensimque eo ventum, ut prope manus inter se consererent, nisi pacis studiosi intervenissent, prohiberi tamen non potuit, quin partes utrinque mutuo sibi in ditionibus damna inferrent, & ea regio nomine tuerentur, juraque Nobilium, ut fere fit in dissidio publico, cum quisque, contemtis legibus, sui arbiter est, graviter læderentur. a) Ægre Ponti- 1222.

a) Rogerius Varadinen. Canonicus, temporis illius scriptor, Tom. I. script. rer. Hung. in carmine miserabili, c. 9. pag. 297. dissidii causas in Magnates confert. *Nam iidem*, scribit, *inter ipsum regem* (Belam) *& patrem ejus, sæpius seditionem, & scandalum procurarunt, ita, quod hinc inde sæpius militia congregata, dimicare ad invicem voluerunt, nisi per tenentes medium inter eos, essent pacis fœdera refer-*

tifex auctoritate ſua diſſentientes compoſuit, 1222. graviſsimis litteris Antiſtites regni cohortatus, ut factioſos ad debitum regi præſtandam obſequium cenſuris Eccleſiaſticis compellant, qui filium, ſe vivo, non alia de cauſa coronari voluerit, quam ut futuro regni periculo, & tranquillitati publicæ conſuleret, non item, ut dominandi poteſtatem cum eo partiretur, *a)* agerent proinde, ut hunc quoque, quid pa-

---

formata. Cum & ipſe rex ad patris curiam accedebat, iidem in nullo ei deferebant, imo dehoneſtare ipſum verbis, & factis, in quantum poterant, nitebantur.

a) Honorii III. epiſt. Laterani IV. Non. Jul. an. ſexto. *Andreas Hung. rex illuſtris — ad promotionem primogeniti ſui diligenter aſpirans, nec non diſcrimen præcavens regni ſui, ac ipſius tranquillitatem volens ſalubriter procurare, dictum primogenitum ſuum in regem fecit inungi, ac etiam coronari. Quidam perverſi, qui diſſenſionum ſemina ſatagunt invenire, malignari volentes, ſuum machinantur obſequium ſubtrahere ipſi regi, tamquam non ſibi, ſed filio teneantur, & ſic contra utrumque diſsidium, & ſcandalum regni procurant. Cum igitur non fuerit ipſius regis intentio, nec eſſe debuerit, ut, eo vivente, alius dominetur in regno, ſed ipſe potius regnum teneat, & gubernet,* &c. Jubet cenſuris animadverti in *uni-*

parenti debeat, officii sui admonerent. Ac Bela quidem, qui non tam suo ingenio, quam malevolorum suggestione in transversum actus erat, facile in gratiam cum patre rediit, & rex quoque, ut præcipuam dissensionum causam ad vivum resecaret, immunitates, quas sæpius violatas fuisse, Nobiles querebantur, edito decreto confirmavit. a) 1222.

Præcipua illius capita ad Nobilium, quorum rogatu confirmata sunt, personas, & fundos attinent. Primi generis sunt, neminem servientium, seu Nobilium, fas sit comprehendere, nisi dies illi dicta sit, & ex legum scito reus pronuncietur; perinde nullus eorum regem extra regnum belli causa profecturum comitari, & militiam profiteri cogatur, nisi rex de suo stipendia præbeat, nec liceat ex bello reversos judicio convenire; neque integrum sit, quemquam, præter Palatinum, Banum, & regis, ac reginæ Comites Curiales, duas regni dignitates tenere. Ut autem dissidii inter regem, & filium causa tollatur, ita utrinque conventum est, ut cuique impune sit, obtenta a rege venia, filium

universos tam in regno, quam extra regnum constitutos, auctores dissidii, quod indicio est, illos, quos ob peculatum e regno profugisse memoravi, partem quoque in dissidio habuisse.

a) Exstat in Cod. juris patrii, T. I. pag. 155.

um adire, qui si aliquem judicio condemnasset, hunc rex ne in gratiam recipiat, aut inchoatam litem ad se divertat; idem a filio præstaretur. Quod vero ad fundos spectat, rex nullam *Collectam*, nec *liberos denarios* a) a Nobilium, & Ecclesiarum b) populis deinceps exigat, tum, si illum contingeret, regnum peragrare, in domibus Nobilium, nisi invitatus, ne hospitetur, idem servis regiis vetitum esto: ad hæc, data Nobilibus potestas, ut, si sine hærede mare obirent, quarta pars filiæ cederet, de reliquis vero, ut volent, decernant, &, si ab intestato decederent, propinqui, habita graduum consanguinitatis ratione, hæredes fiant, qui si deessent, rex ex asse succedat. His ad calcem addita est cautela, multorum malorum futura olim occasio, ut, si rex, vel ejus successores, quidquam his immunitatibus adversum molirentur, habeant tam Episcopi, quam Magnates, & Nobiles, regibus non modo contradicendi, verum etiam resistendi facultatem, quin

1222.

a) Vide Notit. præv. §. 24. ubi de Collecta, & liberis denariis prolixe actum est.

b) Edidit eodem hoc anno decretum de immunitatibus Ecclesiasticorum, quod ad præsens institutum putavi non pertinere, viderique potest apud Katona hist. reg. T. V. pag. 397.

quin propterea infidelitatis notae argui possint. a)

VII. Haec quidem tam ad stabiliendam filii cum patre concordiam, quam Nobilium, qui partim inter se, partim cum rege dissidebant, pacandos animos, constituta fuere, neque tamen vel his malum a radice curatum est. Rursus enim dissidium, causa ab eo, a quo minime oportebat, oblata, inter filium, & patrem, suscitatum est. Rex, quam prius filio sponsam, & uxorem dederat, nunc, incertum a quo subornatus, aegre ferebat, hanc ab illo receptam esse. Bela, ne vel patri exacerbato novam offensionis causam, vel malevolis rursus concitandi intestini motus occasionem praeberet, in Austriam simul cum con- 1223.

a) Decreti art. 31. §. 2. *Quod si vero nos, vel aliquis successorum nostrorum aliquo unquam tempore, huic dispositioni nostrae contra ire voluerit, liberam habeant harum auctoritate, sine nota alicujus infidelitatis, tam episcopi, quam alii jobagiones, ac Nobiles regni universi, & singuli, praesentes & futuri, posterique, resistendi, & contradicendi nobis, & nostris successoribus in perpetuum facultatem.* Confer, quae de hac clausula in Notit. praev. §. 18. dicta sunt.

juge, ad Ducem *Leopoldum* ſe recepit. *a)*
1224. Inopinata filii fuga non poterat non varios animorum ſenſus in regno concitare. Pontifex quoque, qui regis opera ad ſacram expeditionem porro uti cupiebat, ut primum de re certior eſt factus, datis ad regni Antiſtites, regem Bohemiæ, Auſtriæ, & Carinthiæ Duces, litteris, diligenter cum iis egit, ut diſcordes ad unionem reducerent, quorum tandem ſtudio rurſus filio pater conciliatus fuit, qui, ut poſthac familiaribus utrique occaſionem ſerendi diſsidii præcideret, Belam Dalmatiæ, & Croatiæ præfecit, *b)* & Colomannum in Galiciam ex pacto debitam reduxit. Abhinc in ſe reverſus, cum videret, pleroſque factioſorum diſſenſiones ex lucri cupiditate hactenus in regno aluiſſe, ſeque ipſum adeo, profuſa ſua liberalitate, fomentum iis ſuggeſsiſſe, cœpit, junctis cum filio ſtudiis, ea, quæ prius prodigalitate peccaverat, corrigere. A militibus Templi exorſus, terram *Borza* in Tranſilvania, Moldavis finitimam, quam eis prius dono dederat, recepit, cum quod Pontifex eam ſedi Apoſtolicæ ſubjectam declarando, *c)* videretur illam a juriſdictione re-

a) Ortilo ad an. 1224.

b) Kercheliea Notit. praelim. pag. 190.

c) Honorii III. epiſt. ad regem: *unde terram ipſam ſub Apoſtolicae ſedis protectione ſuſcepi-*

regia voluisse eximere, tum quod limites illius contra incursiones Cumanorum, qua de causa illam Templi militibus contulerat, Saxones perinde, ut illi, tueri possent; quibus amplas immunitates a) propterea largitus est, hoc solum adjecto onere, ut quingentas argenti marcas quotannis fisco regio pendant, & intra regni limites quingentos, extra hos autem centum, milites in usum belli alerent. 1224.

VIII. Displicuit regis factum Pontifici, eumque, ut milites in possessionem reponeret, hortatus est, b) simul scriptis ad eundem, & Belam c) litteris, monuit, ut terrarum alie- 1225.

 na-

pimus, & libertate donavimus speciali, adeo, ut Apostolico privilegio statuerimus, eam nulli, nisi Pontifici subjacere.

a) Toppeltinus origg. Transilv. p. 16.

b) Apud Raynaldum ad an. 1225.

c) Honorii III. epist. ad Belam juniorem regem. dat. Reate idib. Jul. an. 9. *Intellecto — quod — illustris rex Hung. pater tuus alienationes quasdam fecerit in praejudicium regni sui, & contra regis honorem, nos super hoc — consulere volentes, eidem regi dirigimus scripta nostra, ut alienationes praedictas non obstante juramento, si quod fecit de non revocandis eisdem, studeat revocare, quia, cum teneatur, & in coronatione sua juraverit etiam, jura regni sui, & ho-*

nationes, quas rex in præjudicium ſui, & re-
1225. gni fecerat, irritas redderet, cum alioqui tempore coronationis ſuæ juramento ſe obſtrinxiſſet, ſe jura regni, & coronæ, illibata conſervaturum. Ut ut rex Pontifici in omnibus deferre cuperet, perſuaderi tamen non poterat, ut ablatam terram militibus Templi reſtitueret, conſilium autem de revocandis alienationibus eo libentius eſt amplexus, quo magis damno ſuo didicerat, quam inconſulte ſe bonis privaſſet, quæ ad deceſſorum ſuorum
1226. jus, & proprietatem pertinebant. Confirmatus in hoc propoſito, dum de ratione, qua id commode exequi poſſet, deliberat, neque enim tam facile his, quorum conſilio temere uſus bona alienaverat, hæc eripi poſſe videbat, Belam a præfectura Dalmatiæ, Colomanno a) fratre eidem ſubrogato, ad ſe accerſiit, cujus opera in arduo hoc negotio uteretur. Ac Bela quidem, qui firmiore, quam pater, animo erat, & jam a Pontifice ad id præmonitus, libens patris deſiderio ſubſervire cupie-

---

honorem coronæ illibata ſervare, illicitum profecto fuit, ſi præſtitit de non revocandis alienationibus, hujusmodi juramentum &c. Hortatur illum, ut in ea regni parte, quam ei pater adminiſtrandam credidit, omnes alienationes revocet.

a) Apud Farlati Tom. IV. pag. 337.

piebat, cum res sub Gregorio IX. qui Honorio succedens, regem ad sacram expeditionem rursus suscipiendam hortabatur, *a)* adhæsit. Sed is memor, quanto regni damno primam profectionem suscepisset, eaque patris sui voto satisfactum existimans, ne per sui absentiam factiosis rursus spacium rem publicam perturbandi præberet, domi restitit, ceteros nihil moratus, qui ad eam obeundam se voto obstrinxissent. Inter hos erat Robertus, Strigoniensis archiepiscopus, qui, dum se itineri accingit, in ipsa profectione a filio *Borizii*, Principis Cumanorum invitatus, quindecim illorum millia, jam ante probe institutos, sacro fonte abluit, *b)* quos ut in fide firmaret, voto a Pontifice solutus *c)* est, & Cumania, quam nunc Moldaviam dicimus, & rex immunitatibus donaverat, abhinc in jus Hungariæ, populo, & duce consentientibus, concessit. *d)* 1227.

a) Apud Raynaldum ad an. 1227.

b) Chronic. Belgicum apud Pistorium Tom. III. pag. 242.

c) Apud Raynald. ad an. 1227.

d) Georgii IX. litt. ad populum, & Ducem Cumanor. Perusii Calend. Octobr. an. tertio. *Ad hujus autem libertatis, & immunitatis, & possessionis pacificæ terræ vestræ concessionem a charissimo in Christo filio nostro, Andrea Hung.*

IX. Bela, qui illam a patre administrandam acceperat, haud multo post provinciam
1228. ingressus, a) operam suam, & auctoritatem, episcopo recens isthic instituto conjunxit, ut, quo firmior in religione populus redderetur, eo constantior etiam in fide regi obstricta persisteret. Accessione Cumanorum, Hungaria quidem ditione auctior, non tamen propterea etiam locupletior reddita est. Ab eo enim tempore, quo rex bona castris regiis adscripta, inconsulte alienaverat, proventus nec sustinendae illius dignitati, nec publicae

Hung. rege illustri, Belae regis, primogeniti sui accedente consensu — factam Cumanis, sicut provide facta est, & ejusdem regis litteris, bulla aurea munitis, plenius continentur, auctoritate vobis Apostolica confirmamus &c.

a) Ejusd. litt. ad Belam regem junior. quibus eum hortatur, ut episcopo Cumanorum adjutor esset, si qui ad unionem Ecclesiae in Valachia adducendi essent; *cum tu*, inquit, *tamquam Princeps Catholicus, — praestito juramento promiseris, te omnes inobedientes Romanae Ecclesiae, in terra tua ad obediendum eidem Ecclesiae compulsurum &c.* Apud Bremont. Diplomatar. Ord. S. Dominici, Tom. I. pag. 70. Item ejusd. ad eund. Laterani, 12. Cal. Apr. an. secundo.

cæ necessitati sufficiebant. Malo huic Bela mederi cupiens, alienationes a patre factas sensim revocare, & juri regio vindicare cœpit a) sed eventu adeo infelici, ut patri, sibique prope interitum accerseret. Ii enim, quibus præcipua terrarum portio, tempore alienationis obtigerat, cum viderent, se hac ratione a summis furtunis dejici, inito consilio, regem cum filiis trucidare, & Hungariam inter se partiri, primum constituerant, mutata 1229. dein sententia, regnum Friderico Imperatori, postquam ex Syria rediit, misso cum litteris nuncio, offerebant, sed is, cum per Austriam iter facit, Ducis, ut credibile est, indicio proditus, una cum litteris ad regem remissus est. b) Scelesta machinatione detecta, cum

a) Dipl. an. 1229. *Noverint universi, quod, cum inutiles, & superfluas perpetuitates destrueremus* &c.

b) Rogerius in miserabili carmine, Tom. I. script. rer. Hung. c. 9. *Contra vitam patris, & filiorum nequiter conspiraverant, ut illis gladio interemtis, facilius quilibet posset de Hungaria, quam sibi per partes diviserant, portionem sibi debitam, sine conditione cujuslibet obtinere. Et cum concepta nequirent effectui mancipare, aliud nequius cogitarunt: Duci Austriæ litteras cum certis pactis, & conditionibus destinando, domino Fre-*

cum plures, iique potentiores eodem crimine teneri viderentur, rex non ausus in reos animadvertere, terras solum eorum incendiis
1230. vastari jussit, *a*) nihil propterea ditior ex alieno damno factus. Itaque, cum sibi aliter consulere non posset, proventus suos, qui adhuc erant reliqui, Judæis, & Saracenis administrandos credidit, eosque domui monetariæ; aliisque exactionum officiis præfecit, qui solita sibi avaritia Christianos adeo premebant, ut hi, cum solvendo non essent, proles suas non sine religionis periculo, iis vendere cogerentur. Nihilo meliores ipsi Christiani, quos Judæi exigendis tributis præposuerant, fuere, qui ad faciendum lucri compendium, insolita Ecclesiasticis onera imponebant, &, cum hi legum auctoritate se tuerentur, bona quoque Ecclesiarum, violenta manu sibi vindicabant. *b*)

X.

Frederico Rom. Imp. coronam regni, & Hungariam dare promittebant, sed nuncius in via captus, regi fuit cum litteris præsentatus.

a) Id videtur indicari in Decr. anno. 1231. quo immunitates iterum confirmantur: *incendium tamen mitti nolumus super villas eorundem.*

b) Litt. Gregorii IX. apud Raynaldum ad annum 1231.

X. Accessit illud quoque, quod Bela proposito suo insistens, terras a castris regiis alienatas, juri regio pergeret asserere, earumque donationes, quod in perpetuum factæ essent, revocaret. *a)* Inde plerorumque animi magis in dies, magisque commoveri cœpere. Potentiores, quæ alienationis tempore, dono a rege aquisiverant, mordicus retinere, egentiores Nobiles, his ademtis, queri de injuria, Ecclesiastici contra exactores Judæos sua tueri pergebant, universi denique jura privatorum, & immunitates violari ægre ferebant. In hoc communi omnium æstu, qui sedatiore animo erant, veriti, ne res in apertum erumpat, regem communiter adeundum, eique supplicandum suadebant, ut immunitates, quibus indultu, & benevolentia sancti Stephani regis hactenus fruiti fuissent, denuo confirmare vellet, gratiam enim, ut durabilis sit, exorari potius, quam extorqueri oportere. Annuit rex supplicantibus, & edito rursus Decreto confirmavit, seque, & filios suos ad eas illibate ser- 1231.

a) Litt. Belæ an. 1231. *Nos igitur, — dum — voluntate patris nostri, & maturo Principum terræ nostræ consilio, inutiles, & superfluas donationes, quas falso nomine perpetuitates nuncupantur, destrueremus &c.*

ſervandas, juramento obſtrinxit. *a)* Pleraque
1231. harum capita cum iis, quæ in bulla aurea,
novem abhinc annis edita continentur, *b)*
fere conſentiunt, *c)* ut adeo hæc regerere,
ſupervacaneum ſit. Illud ex iis præcipue memoratu
dignum, quod poteſtatem illam, quæ
prius Nobilibus conceſſa erat, regi, ſi eorum
immunitates violaret, contradicendi, & reſiſtendi,
quod cauſam inteſtinis motibus aliquando
præbere poſſet, rex, & Ordines communi
conſenſu abolendam cenſuerint. *d)*

XI.

---

a) Exſtat in archivo Pontificio, Armar. 35. T. XVIII. fol. 273. inde Comitiorum veſtigiis, Budæ 1790. editis, pag. 98. inſertum, ſed in aliquibus lectio variat ab exemplo Vaticano.

b) Confer, quæ ad an. 1222. dicta ſunt.

c) Aliqua tamen ſunt addita, ut, *monetæ, & ſalibus, ac aliis publicis officiis Judæi, & Saraceni non præficientur.* Cetera vide in veſtig. Comitior. Ea, quæ in adjecto iſthic commentario leguntur, jam in Notit. præviis occupavi, auxi, &, ſicubi opus erat, emendavi, ſunt enim quædam ibi erronea, ut dum *Falconarii* ii fuiſſe dicuntur, qui pro venatu accipitres inſtruebant, cum tamen eo nomine ii venerint, qui fœnum falce ſubſecabant, nunc vulgo *Falcatores* dicti.

d) Vide Notit. præv. §. 18.

XI. Pacatam utcunque hoc modo rem publicam, Dionyſius Palatinus, & Nicolaus Tavernicorum Magiſter, ſequente anno rurſum ſuis conſiliis turbarunt, quorum ſuaſu rex Judæos, & Saracenos a publicis officiis, quemadmodum pollicitus erat, non removerat; quo fiebat, ut populus Chriſtianus illorum avaritiæ objectus, majoribus, quam ante, exactionibus, non ſine religionis periculo, premeretur. Quare Strigonienſis archiepiſcopus jure ſibi dato uſus, pernicioſos rei publicæ non minus, quam regi Conſiliarios, ſententia excommunicationis perculit, a) regi autem ad reſipiſcendum, inducias dedit, b) ſed, cum hujus etiam poſt longas moras ſpes nulla affulgeret, hunc quoque, & regnum interdicto ſuppoſuit. c) Graviter id rex, ab aliis ſubornatus, ferebat, queſtus propterea Pontifici, ad quem nuncios ſuos, Rembaldum Hoſpitalis per Hungariam Magiſtrum, & Palatinum, cum Simone, Jaurinenſi Comite miſerat, qui rem, ut geſta erat, referrent. Pon-

1232.

1233.

a) Raynald. ad an. 1232.

b) Hæc enim in archiep. ſententia leguntur: *quia vero regiæ Celſitudini, in quantum ſecundum Deum poſſumus, deferre volumus, nondum in perſonam ipſius ſententiam tulimus, ejus correctionem exſpectantes.*

c) Apud Dachery Tom. III. pag. 610.

Pontifex videns archiepiscopum ultra, quam regiae dignitatis, & temporis, ut tum erat, ratio ferret, studio religionis esse progressum, Jacobum, Praenestinum episcopum, sedis Apostolicae Legatum, in Hungariam proficisci jussit,
1234. qui aliquoties habito cum rege colloquio, facile effecit, ut quae de Judaeis & Saracenis, a publica rerum administratione removendis, tum damnis Ecclesiastico Ordini sarciendis promiserat, novo juramento, quod filii quoque, &, qui adfuere, Optimates praestiterant, iterum firmaret. a)

XII. Ex tot, quas hactenus perpeti coactus est, miseriis, tandem respirans, Beatricem, Aldrovandini, Estensis Marchionis filiam, sibi conjunxit, b) invitis Bela, & Colo-
1235. manno filiis. c) Nuptiis intererat Fridericus, Dux

a) Vide juramenti formam apud Pray Hierarch. P. II. p. 57. & Belae regis junioris apud Lunig, Cod. Dipl. Germ. col. 1646.

b) Tabulas pactionis exhibet D. Lunig Cod. Dipl. Ital. Tom. I. pag. 1581. & Pray annal. P. I. pag. 24.

c) Monachus Patavin. apud Murator. Tom. VI. script. rer. Ital. 675. scriptor coaevus. *Hoc autem matrimonium filiis regis, Belae scilicet, & Colomanno displicuit, vehementer; timebant enim, ne pater senex filios de juvencula generaret.* Cum nullam memoriam Andreae tertio geniti regis filii faciat, indicio est, illum ad hoc tempus non supervixisse. Prima illius mentio fit in litt. Honorii III. ut ad an. 1216. & 1218. memoravi: rursus ad an. 1220. apud D.

Dux Austriæ, a) cum, quo haud multo post bellum obortum, partim, quod Sophiam, Be- 1235.
læ

D. Spiess, archivische Nebenarbeiten P. I. pag. 144. & postremo ad an. 1232. apud Kercselics Notit. prælimin. pag. 497, etsi res ab eo gesta dudum referatur. Fabula proinde est, quam scriptores seculi XVI. de Ducum Croyorum origine narrant. Series ita texitur. Andreæ regi tres fuisse filios, Belam, Colomannum, & Andream: priores restitisse in Hungaria, hunc autem concessisse Venetias, ubi ducta prædivitis mercatoris filia, hanc gravidam reliquerit, ex qua Marcus deinde natus, in Galliam abiit, & Croyorum familiam condidit. Nihil de hoc conjugio laudatus scriptor Patavinus eo tempore vivens, & Venetis proximus novit: deinde, si causam ex his quæras, cur Andreas, patrem, fratres, & quas pro dignitate regiæ prolis fortunas habuit, relinquens, Venetias concesserit, incerta pro certis apud exteros, quibus nulla parentela conjunctus erat, quæsiturus? nullam reddere norunt. Et adeone sui sanguinis oblitus erat, ut, qui primum Leonis Armeniæ regis, tum Galliciæ Ducis, filiarum nuptiis, cum jure successionis hæreditariæ, destinatus erat, mercatoris filiam, divitiarum causa duceret, quibus si non majores, certe pares in Hungaria habebat? nimis paradoxa hæc sunt. Credo ego, illa, quæ de Stephano Andreæ regis posthumo, Venetias dein delapso, coævi scriptores narrant, similitudine facti, ad Andream illum sero postea traducta, indeque splendidam illam fabulam de origine Croyorum ortam esse.

a) Fasti Campilil. Tom. I. pag. 1315. additur, Ducem Hungaris ita placuisse, ut eum fere re-

læ conjugis sororem, repudiarit, partim, quod olim Hungariæ fines, non habita sexus, & ætatis ratione populatus fuisset. a) Bellum Austriis inauspicatum fuit, Dux in fugam actus, vastatio ad Viennam prolata, tum pax confecta. b) In medio armorum strepitu, de nuptiis quoque, inter Jacobum Aragoniæ regem, Jolantam Andreæ ex secunda conjuge filiam, interprete Bartholomæo Quinqueecclesiensi episcopo, conciliandis actum, qui Legatione propterea aliquoties perfunctus, sponsam, dote duodecim millium marcarum argenti constituta, regi in Aragoniam adduxit. c) Filiæ nuptiis pater non diu superstes, eodem anno, mense Novembri, e vivis ex-

1235. cess-

regem optarint. Huc aliqui ea referunt, quæ de Proceribus in regis, & filiorum necem conspirantibus ex Rogerio supra retuli, sed, ut puto, erronee. Conspirationis enim causa petebatur a læsa Nobilium immunitate, quam cum rex semel, iterumque confirmarit, summa fuisset ingratitudo, si Hungari id consilium tunc iniissent.

a) Godefridus Monach. apud Freher Tom. I. pag. 355.

b) Arnpeck apud Hier. Pez. Tom. I. col. 1213.

c) Dipl. regis apud Pray annal. P. I. pag. 175. & apud Schier l. cit. pag. 199.

cessit, Varadini sepultus, a) conjugem uterum gerentem, b) & memoriam post se relinquens 1235.
re-

a) Pernoldus in Fastis Campilil. Tom. I. pag. 1315.

b) Ad suos dein redux, genuit Stephanum, patrem Andreæ III. marem stirpis Arpadianæ ultimum. Hujus mentio revocat mihi in memoriam Stephanum IV. Geisæ II. regis fratrem, a quo aliqui originem Ducum Croyorum, cum viderent, id ab Andrea paulo ante memorato, commode fieri non posse, amant deducere. Istorum narratio huc redit. Stephanum ad Græcos profugum Manuel Imp. liberaliter habuit, eique neptem suam, uxorem dedit. Interfuisse illum dein bello inter Manuelem, & Geisam orto, sed confecta pace, cum videret, nihil sibi ad occupandum regnum superesse spei, plures regum aulas oberrabat, atque ita *Marcum* filium, qui quo anno natus sit, non addunt, seu in Belgio, seu in Francia, parvulum reliquit. Eadem de causa venisse illum ad Imp. Fridericum, sed repulsam passum, Venetias, inde Constantinopolim rediisse, tandemque opera Manuelis regno esse potitum, sed prius, quam filium in patriam reducere potuerit, solio decedere coactum esse. Post, ubi fama percrebuerat, veneno exstinctum, *Marcus* ibi restitit, ubi a patre relictus erat, qui deinde ducta nobili uxore, familiam Croyorum condidit. Quid veri huic narrationi

regis, qui nec largitionibus modum ponere,
1235. nec auctoritate, cum opus erat, jureque suo in subjectos, uti norit. Hinc exinanito ærario, & immodice aucta Optimatum potentia, ac fortunis, regnum magnopere luxatum, suc-

subsit, facile patebit, si illam in ordinem chronologicum redegerimus. Stephanus an. 1155. cum Ladislao fratre ad Manuelem profugit, an. 1558. ad Imp. Fridericum venit, opem imploratum, inde ad Manuelem redux, hujus ex fratre Isaacio neptem, uxorem obtinuit, ut Cinnamus, Manuelis per Asiam, & Europam individuus comes l. 6. & Choniates l. 4. testantur. Sed neuter memorat, Stephanum ex conjuge prolem ullam sustulisse, igitur nec famosum illum *Marcum*, quem certe Cinnamus, vel ob insolitum, genti Comnenæ, Marci nomen, memoriæ prodidisset, qui ceteroquin in memorandis rebus Hungaricis satis diligens, & copiosus est. Non potuit igitur filium suum per varias Europæ aulas ducere, & seu in Belgio, seu in Francia relinquere, cum eo tempore, quo aulas peragrabat, nec conjugem habuerit, nec, hac ducta, prolem ullam ex ea susceperit. Largior proinde, Marcum aliquem fuisse conditorem Ducum Croyorum, sed hunc non fuisse Stephani IV. filium, mihi itidem peto concedi.

ſucceſſori reliquit. Illud tamen in parte laudis ponendum, quod jure ſuo in Galiciam, & Lodomeriam conſtabilito, Moldaviam quoque ad Hungariæ provincias addiderit, & in Dalmatia, præter Jadram, nihil ſit amiſſum. 1235

BELA IV.

Ab an. 1235. — 1270.

1235. I. Post paucos a patris obitu dies, ne, si mora longior intercederet, rerum novarum studiosi aliquid molirentur, Albam contendens, consueto more, Colomanno fratre ensem præferente, *a*) & Daniele Russorum Duce equum ducente, *b*) coronatus est. Cura illi omnium prima fuit, ut rem publicam, desidia patris, & intestinis motibus labefactam, repararet, sed modo usus severiore, quam res usu jam inolita, & temporis ratio ferebat. Optimates, qui sibi patrem olim infensum reddiderant, quæstionibus exagitatos, aut in carceres compingi, aut mulctari exilio, Dionysium vero Palatinum, qui patrem consiliis suis, magis depravaverat, quam regebat, oculis privari jussit. Dignitati quoque regiæ, quæ ob fastum intolerabilem Magnatum, & patris conniventiam, pene despicabilis est reddita, consultum volens, vetuit, ne

a) Thurocz Chron. P. II. c. 74.

b) Novo argumento, Andream Belæ IV. fratrem, tum jam obiisse, alioquin in publica coronationis functione, hæc prærogativa illi præ Russorum Duce competebat.

ne quis coram se, præter primores ex profano ordine, archiepiscopos, & episcopos considere ausit, qui contra faceret, eius sedes a) igni cremaretur. Iudiciorum quoque rationem immutatam voluit. Cum enim Conventus regni ad diem S. Stephani regis cogi solitus, lites protelaret, sibi autem in instauranda re publica occupato, tempus non suppeteret, omnes audiendi, quo celerius læsis satis fieret, rursus libellorum morem, quibus omnia scripto transigerentur, reduxit, statuitque, ut Cancellarii de minoris momenti litibus cognoscerent, de gravioribus vero ad se referrent. b) In ærario, quod pater pene inane reliquerat, reparando, Colomanni morem sequutus, cœnobiis, præsertim militiæ Templi equitibus, quorum nullus fere hactenus in Hungaria usus erat, superfluos proventus sustulit, quorum causa gravis illi molestia cum Pontifice confecta est. c) Sed maior 1236.

a) Vetus hic mos erat, ut Proceres, cum rege consulturi, sellas suas afferrent, ut Otto Frisingen. de reb. Friderici I. l. 1. c. 31. testatur. *Ad curiam regis*, inquit, *singulis ex primoribus sellam secum portantibus, conveniunt, ac de suæ rei publicæ statu pertractare, ac discutere non negligunt*.

b) Rogerius l. cit. c. 6. & 12.

c) Litt. Gregorii IX. regest. anni 9. epist. 347.

jori ad speciem a Friderico Imperatore, qui
1236. per Legatos tributum quadraginta septem
annis intermissum repetebat, a) tributum sci-
licet, quod avo illius, nemo regum Hunga-
riæ pactus est, nemo solvit. Legatis re in-
fecta dimissis, Beatrix regina, licet regis jus-
su diligenter custodiretur, elusis tamen excu-
biis, amictu virum mentita evadens, se ad-
junxit, cum quibus in Germaniam veniens,
Stephanum ibi peperit, b) ultimum in nepo-
te stirpis Arpadianæ regem Hungaris datura.
Bela reginæ fugam graviter laturus erat, si
domi res magis pacatæ fuissent. Etsi enim
jam in principio regiminis, superfluas patris
sui, & decessorum aliorum donationes, totius
regni consensu irritas declarasset, c) fuere ta-
men

a) Albericus Monach. ad an. 1236.

b) Monach. Patavien. apud Murator. Tom. VI. col. 676. Beatrix deinde cum filio ad suos reversa est, filius autem ab ejus obitu, Venetias delatus, ducta Thomasina ex nobili Maurocenorum gente, Andream hujus nominis III. postea Hung. regem, ex ea sustulit.

c) Litt. Belæ an. 1237. 4. Id. Nov. *Cum nos dispositione divina, regni regimine per successionem ad nos devoluto, superfluas, & inutiles quorundam antecessorum nostrorum donationes de communi Baronum nostrorum, ac totius regni consilio, decrevissemus revocandas*, &c.

Si-

mon ex potentioribus, qui se fortunis privari ægre ferrent, ac propterea inito inter se consilio, missis aliquoties ad Fridericum Austriæ Ducem nunciis, ei regnum obtulerint, qui dum propterea ad fines Austriæ excubat; ut factiosi se ei conjungant, prodita conjuratio est, & Fridericus a superveniente rege in fugam actus, pacem magno auri pondere redemit. *a*)

II. Redux, pœnam ex proditoribus sumere decrevit. Erant hi fere ex iis, in quos pater fundos regios prodegerat; quorum proventibus elati, reliquos Nobiles contemnere, & se regi fere pares ferre solebant. *b*). Ut hos igitur ea parte, qua maxime sentirent, castigaret, fundos regios, restituere nolentibus, vi adimi jussit, *c*) ne tamen aliis, qui justo 1237.

 ti-

Similia Ladislaus Chunus an. 1276. 5. Id. Aug. de avo suo Bela testatur. Idem firmat Rogerius l. cit. c. 5.

a) Pernoldus in Fastis Campilil. P. I. pag. 1315.

b) Rogerius l. cit. c. 10.

c) Mathia Corvino teste in litt. an. 1486. *Andrea rebus humanis exemto, eodemque domino Bela rege, coronam regni per successionem hæreditariam — adipiscente, cum idem omnes perpetuitates, per totum regnum suum validiori manu cœpisset revocare, tanquam per quas coronæ suæ extiterit non modicum derogamen*, &c.

titulo eos possederant, injuria fieret, aut ipse
1237. magis avaritia, quam regni utilitate, duci videretur, judices constituit, qui in jus, & titulos possessionum inquirerent, &, quod æquum esset, decernerent. a) Id, quamquam omnes, ad quos Andreæ regis prodigalitas non pertinuit, boni publici causa fieri existimarent, opulentos tamen ex alieno factos offendit, qui, cum nunc non possent, dissimulato animi vulnere, b) in aliud tempus vindictam differebant, quæ paulo post toti fere regno ex-
1238. cidium attulit. His curis regem intentum,

Pon-

a) Litt. Belæ an. 1239. *Invenimus terram quamdam nomine — in Comitatu de Komarun existentem, ad Castrenses de Zulgageur, — & ad Castrenses prædicti castri de Komarun communiter pertinentem, a — curiali Comite archiepiscopi possessam, quam judices nostri, ad revocanda jura castrorum constituti, castris restituerunt ante dictis, &c.*

b) Rogerius l. cit. c. 5. postquam narrasset, quæ prius reges Nobilibus ex bello revertentibus donassent, de Bela sic prosequitur: *his autem non solum eis non addidit aliquid, sed concessa ad jus, & proprietatem cujusque sine diminutione aliqua revocavit. Hic est dolor, hic est gladius, qui transfixit animas Hungarorum.* Hæc intellige de terris, quæ Castris adscriptæ erant, semperque peculium regium fuere.

Pontifex per litteras hortatus est, ut in Asanem Bulgarum, qui se Vatacio, Constantinopolim prementi, rursus adjunxerat, pro Balduino arma corriperet. Abnuit primum, tum quod domi satis curarum sibi esset, tum quod Balduinus, regium jus in Bulgariam dubium vellet reddere; assensus tamen est postea, licet sororem suam Asanes in conjugio habuerit, promisitque, aut se ipsum, aut suum Legatum, Balduino, contra Asanem, affuturum, sed ea conditione, ut, quod occuparet, suae jurisdictionis esset, Pontifex autem curam religionis haberet. *a*) Adhaesit tamen destinatio ob rumorem de Tartaris, Russicas plagas, & Moldaviae finitimas invadentibus, in dies propagatum. Adfuere etiam nuncii, idem confirmantes, a Cuteno Cumanorum rege, qui postquam gemino praelio victor fuisset, tertio a Tartaris victus, jus civitatis sibi, & suis flagitavit. Facilem se rex praebuit, cum ut inanes regni plagas coloniis impleret, tum ut eorum opera, si Tartari Hungariam ingru-
[illegible] erent,

1238.

a) Litt. regis respons. ad Pontificem apud Pray annal. P. I. pag. [illegible]. *Assumimus ab animo per nos, aut per nostros, prout expedire viderimus, Bulgariam, & alias terras Asani occupare, & sedi Apostolicae in spiritualibus, in temporalibus vero nostrae jurisdictioni, Deo cooperante, subjugare.*

erent, uteretur. *a*) Sed, quod in regni com-
1239. modum verti debebat, novam rerum dissidio occasionem praebuit. Causam rex ipse nimia in hospites benevolentia, & isti hac abusi, dedere. Quacunque enim cum familiis, quadraginta millia fuisse feruntur, & cum armentis, quae copiosa adduxerant, Nomadum more ibant, Hungarorum fundos depascere, colonis inferre damna, & thoros alienos invadere solebant, qui, si de injuria questi fuissent, verberibus accepti sunt, Cumanis vero jus confestim dicebatur. Hungari his injuriis irritati, cum viderent sibi novam gentem praeferri, aperta exulcerati, & aversi a rege animi indicia dabant, qui, ne malum ipsa mora cresceret, conventum, cui Cumanos quoque interesse voluit, prope Tibiscum indixit, in quo ad utramque Nationem conciliandam, illud imprimis constitutum, ut Cuthemus cum sua familia Pestini domicilium figeret, reliqui sparsim per Comitatus degerent, quorum Comites, si lis inter illos, & Hungaros moveretur, utrisque jus ex aequo dicerent. Verum hac etiam cautione, parum ad stabiliendam utrinque concordiam, profectum. Nam & Cumani, quod a rege suo, & a se ipsis divelli cogerentur, offensi, & Hungari occasionem nacti sunt, ut ex sparsim colen- [illegible] ti-

a) Rogerius l. cit. c. 8.

tibus facilius, ob illatas injurias, vindictam sumerent, quo factum, ut rex nec Hungaros pacatos, nec Cumanos sibi addictos reddiderit. Suberat & alia alienati a rege animi, etiam apud vulgum, causa, cum proventus regios, & rem monetariam, obtenta a Pontifice venia, Judaeis locaret, atque hac ratione plebem novis exactionibus oneraret. a)

III. Hac rerum facie, rumor de Tartaris appropinquantibus, certis nunciis firmatus, regem mire sollicitum habuit, nec rationem satis inire poterat, qua hosti resisteret. Plerique enim Optimatum, quibus fundos regios ademerat, sibi infensos, ceteros ex opum affluentia, ocio, deliciisque emollitos, castrenses milites, quorum plerique, dominorum, qui terras Castris adscriptas possederant, avaritia jam in colonos migrarunt, longa armorum desuetudine militiae ineptos videbat. Accessit & illud, quod Pontifex importuno prorsus tempore episcopos, qui vetere instituto militem sub vexillo in suis terris alebant, ad Concilium convocarit. His curis anxius, limites regni, qua hostis irrupturus putabatur, arborum concaede muniri, episcopos domi residere, Nobiles, ut primum monerentur, ad- 1240.

a) Idem c. 3. 7. 8. & 12. item Chronicon Zwetlense ad hunc an. Litt. Gregorii IX. 4. Id. Dec. an. 13. apud Katona Tom. V. pag. 863.

ad signa confluere, castrenses quoque regios
cum Cumanis adesse, & Palatinum cum co-
piarum parte in limitibus excubare jussit.
Multi hanc regis solicitudinem supervacane-
am putarunt, alii vanum rumorem esse, &
saepe quidem sparsum, nunquam tamen even-
tu firmatum, alii ab episcopis excogitatum,
ne ad Concilium ire cogerentur, in vulgus
spargebant, & periculi magnitudinem eleva-
1241. bant. Sed torporem excussere Tartari, qui
divisis copiis, non una parte regno jam in-
gruebant. a) *Bathus*, hoc uni eorum duci
nomen erat, qua Hungariae Russia contermi-
na est, *Caidus* vero ad Moldaviae angulum,
Marmarosiensi provinciae finitimum, irrupe-
rant. Rex fama hac commotus, in fine ver-
ni jejunii Pestinum advolat, dumque concitis
episcopis, & regni Optimatibus, de belli ra-
tione consultat, nuncium a Palatino accipit,
Tartaros perruptis obstaculis, & caesis, quas
eis opposuerat, copiis, in Hungariam pene-
trasse, ipseque brevi post vix manibus hosti-
um elapsus adfuit. Rex nihil periculi prae-
sentis consternatus, quae pro temporis angu-
stia fieri poterant, curabat, uxorem cum
Stephano filio bimulo, & thesauro, ad fines
Austriae, addito, qui curam utriusque gere-
ret,

a) Rogerius c. 14. 15. 16. Archidiac. Spalaten. hist. Salonit. c. 27.

ſet, Stephano Vacienſi epiſcopo, properare juſsit, ſimul nuncium ad Fridericum Auſtriæ Ducem miſit auxilia imploratum. Hac ſpe dum ſuos ſuſtentat, Tartari omnem late viciniam circa Peſtinum, igne, ferròque vaſtabant. In tanto, quod præ foribus erat, periculo, non deerant, iique præſertim, qui ademtos ſibi fundos concoquere nequibant, qui non regem tueri, ſed cavillari etiam pergebant, palam vociferantes; iret nunc cum ſuis Cumanis, & hoſtem repelleret, ſtolida fatuitate abrepti, quaſi regis ſolius, non item cujusvis proprium, regnique commune periculum eſſet, tum in Cuthenum, quem cum Tartaris conſpiraſſe, ſibi falſo perſuadebant, facto impetu, pro vita fortiter dimicantem, cum familia trucidant, qua cæde exacerbati Cumani, ſeceſsione facta, ſe Tartaris junxere, cum quibus, quocunque ferebantur, omnia flammis corrumpebant, circum urbis mœnia imprimis graſſantes; quorum audaciam cum Auſtriæ Dux, qui paulum ante cum ſuis advenerat, cæſo Tartarorum duce, compreſſiſſet, receptum ſimulabant, ad *Sajonem* amnem progreſsi, quos rex cum exercitu, centum millium fuiſſe perhibent, conſequutus, manumque conſerens, inferior ex prælio exceſſit. Cæſi non pauci epiſcopi, & magnus Nobilium numerus, reliqui in fugam acti. Colomannus regis frater in Sclavoniam delatus, brevi poſt ex accepto vulnere obiit, rex ipſe 1241.

vix

vix periculo subductus, per montes variis
1241. erroribus actus, ægre Austriam attigit. Hic a Friderico Duce, qui ex Procerum discordia malum exitum ominatus, jam ante Pestino ad suos redierat, liberaliter primum acceptus, mox vi detentus, nec ante dimissus est, quam & thesaurum ab uxore allatum, & tres Austriæ vicinos Comitatus, Mosoniensem, Soproniensem, & Castriferrei, eidem consignasset. Ita spoliatus, desertus a suis, omnique ope destitutus, ad partes maritimas properabat, &, cum in itinere esset, Vaciensem episcopum ad Imperatorem Fridericum misit, *a*) eique, si Tartaros Hungaria exigeret, regnum feudi titulo obtulit; *b*) idem nunc pro bo-

---

a) Hæc prolixe pertractant Rogerius l. cit. c. 27 — 37. Archid. Spalatens. hist. Salonit. c. 38. Matthæus Parisius hist. Anglic. edit. Tigurinæ, pag. 539. Pernoldus in Fast. Campilil. ad an. 1241.

b) Id testatus est serius postea Rudolphus Habspurgicus, qui tunc in aula Friderici aderat, Imperii Principibus in hæc verba scribens. *Rudolphus Dei gratia Romanor. rex semper Augustus. — Ad universitatis vestræ notitiam volumus pervenire, quod quondam regnante illustri Friderico Imp. — nobis, & quam pluribus Principibus, Baronibus, Nobilibus præsentialiter constitutis, rex Ungariæ, qui tunc fu-*

bono regni facere coactus, quod olim sub Andrea, factiosi Optimates, cum injuria regis, regnique, & suomet detrimento, temere ausi erant. 1241

Rege fuga elapso, Tartari Hungariam, nemine obsistente, pervagati, omnia igne, & cædibus permiscebant. Tristia, & fœda narratu sunt, quæ in sacros viros, matronas, & virgines commisere, &, cum homines jam deessent, in quos sævirent, eos, qui in profundos saltus, & antra se abdiderant, litteris, quas regio sigillo, in pugna amisso, signaverant, late vulgatis, promissa securitate, e latibulis prolexere, verum & hos, rurali labore, unde alimenta sumerent, absoluto, contra datam fidem, trucidarunt. *a)* Nemo jam erat, in quem grassarentur, nec, qui impune grassantibus posset resistere. Ab Imperatore Fri-

---

fuit pro tempore, regnum suum a dicto Imp. Friderico accepit ab eo, & Imperio, tituli feodi posfidendum. Hoc nos audivisse, vidisse, & præsentes interfuisse, præsentibus protestamur. In cujus rei testimonium &c. Datum Erfordii prid. Kal. Sept. an. Dom. M.CC.LXXXX. Indict. III. regni vero nostri anno XVII. Ex autogr. Tabularii Augusti Viennensis. Idem testatur Petrus de Vineis Friderici Imp. Cancellarius, epistolar. l. 1. c. 30.

a) Rogerius, & archidiac. Spalat. locis cit.

1241. Friderico, cui, ut hostem regno ejiceret, Bela se feudatarium fecerat, nihil etiam spei affulgebat, qui interea vires omnes in Italiam contra Pontificem convertit, quo in ordinem redacto, se venturum, & Tartaros debellaturum promiserat, sed prius, quam promissis staret, illi sponte regno excessere. *a*)

IV.

---

a) Litt. Friderici Imp. ad regem Angliæ apud Petrum de Vineis epistolar. l. 1. c. 29. *auditis rumoribus nationis barbaræ Tartarorum, quod regnum Hung. invasissent, cogitavimus — rebus nostris consultius succurrendum. — Sed summa necessitas — causam dilationis induxit, ut rem tam arduam Imperii, — non deberemus omittere. — Quapropter omnibus prætermissis, felices gressus nostros direximus versus urbem, ita quod partibus Romanis vicinamur. Speramus autem — statu Italiæ pacifice reformato, — gentium multitudine constipati — veniemus, ita, quod Domino exercituum nos juvante — Tartarorum multitudinem devincemus.* Conditionem igitur, qua se rex cum regno Imperatori dediderat, non implevit, cum diserte conventum fuerit, ut is Hungariam a Tartaris liberaret, ut ipse Imp. apud Petr. de Vineis testatur: *ecce enim, quod rex Hung. regnum nostræ ditioni subjecit, dummodo defensionis nostræ clypeo protegatur.* Idem perhibet Parisius hist. Angl. pag. 598. *Habito igitur*

IV. Hactenus hostium barbaries, quoniam ab infausto pugnæ exitu, quidquid navigiorum fuit, in adversam Danubii ripam incolæ subduxerant, ad eam Hungariæ partem, quæ Septemtrioni obvertitur, pertinuit, at, ubi frigoris vehementia Danubius glacie constrictus, aditum in oppositam continentem præbuit, eadem crudelitate in obvios sævitum, urbes, villæ, pagi fere funditus eversi, sola Alba regia, mons S. Martini, & Strigonium conatus barbarorum retudere. Parum tamen se fecisse rati, nisi regem etiam in potestate haberent, hunc, ubi in Sclavonia morari, & magnam sacerdotum, Nobilium, ac matronarum copiam ad eum confluxisse audierunt, Caidun cum parte copiarum magnis itineribus accelerans, pene interceperat, nisi rex, 1242.

---

tur diuturno, & secretissimo consilio, procuratum est, quod dominus Imp. ab irruptione hostili, & barbarica regnum Hung. liberaret, ut scilicet dictus rex regnum illud liberatum — ab Imp. & deinceps ab Imperio teneret, quasi a domino capitali. Hæc erat conditio; quam Imp. nec an. 1241. nec sequente implevit, utroque in Italia occupatus. Conradum quidem filium suum, in eum finem destinavit, scripsitque ad regem Angliæ, ut suas ei copias conjungat, sed nec Anglus, nec Conradus quidquam ad expellendos regno Tartaros contulit.

rex, fama adventus mature cognita, ad Dalmatiæ primum urbes, & appropinquante hoste, in insulam Vegliam, situ, & accessu difficilem, se recepisset. a) Delusi hac spe barbari, allatoque, de obitu b) Zagathai Chani, nuncio, Bosniam, Serviam, Bulgariam, & Græciam, eodem furore pervagati, tristissima ubique vestigia crudelitatis reliquerant, unitisque rursum copiis, ducto secum immani captivorum numero, regno excessere. Rex, cui Jadrenses se interea dediderant, postquam comperit, barbaros Hungaria excessisse, nihil moratus, relicta interim conjuge, in Comitatu Rhodiorum Equitum, & Nobilium de Frangepaniis reversus est. Ut rediit, & Hungariam cædibus, fame, & peste squalentem, hominibusque propemodum vacuam reperit, tantum abest, ut in hac calamitate animum demiserit, c) ut alacriore etiam cura nervos omnes

1243.

a) Rogerius l. cit. c. 34.—40.

b) Abulgazi Bayadur Chan. hist. genealogique des Tartares. pag. 364.

c) Tristem regni faciem Chronica Australia apud Freher. Tom. I. pag. 458. ita depingit. *Interea fames horribilis, & inaudita invasit terram Hungariæ, plures perierunt fame, quam antea a paganis. Canes edebant & catos, homines. Humana caro publice vendebatur in nundinis: deinde rapaces lupi, & infesti, nemi-*

omnes ad instaurandam rem publicam contenderet. A sacris auspicatus, cæsis in prælio episcopis, alios substituit, populum, qui a clade reliquus erat, e silvis, & latibulis protraxit ad rus colendum, exteros, in rgnum non habito nationum discrimine, plurium annorum promissa a tributis immunitate invitavit, *a*) &, ne illud simili periculo exponeretur, urbes muniri, arces in editis jugis exstrui fecit, in quas, si hostis ingrueret, tutus receptus esset. Illud autem præcipue sibi curandum putabat, ne bona, cæsis, aut in captivitatem abductis dominis, & documentis litterariis, barbarorum furore incensis, aut avectis, ad alienas manus venirent, juraque confusa novis dissidiis occasionem præberent. Itaque probos viros, æquique amantes constituit, qui indicto per intervalla pluribus provinciis conventu, ex seniorum testimonio, fundorum limites, & jura cognoscerent, tribuerentque 1244.

 iis,

mini parcentes, prævaluerunt in terra, ita, ut vix aliquis de domo sua inermis procederet deinde locusta id, quod seminatum erat, corrosit. Similia Chron. Salisburg. apud Hier. Pez. Tom. I. col. 357. & Thurocz Chron. P. II. c. 74.

a) Ab an. 1243. ad an. 1259. exstant plures regis litt. ex quibus constat, colonias in Hungariam deductas fuisse.

1244. iis, ad quos antea pertinebant. a) Quem morem cum deinceps pluribus annis teneret, brevi factum, ut quisque, quod ſuum erat, nova donatione firmatum obtinuerit, &, quæ ad caſtra regia pertinebant, a reliquorum fundis ſecernerentur.

V.

---

a) Patet id ex Pauli ſub Ludovico Judicis Curiæ litt. an. 1343. in quibus hæc leguntur: *quod cum præfatus Bela rex, poſt tumultus Tartarorum, ſtatum regni ſui deformatum in melius reformare volens, & unicuique, quod ſuum eſſet, reſtituere, occupationesque poſſeſsionum per diram necem Tarturorum, hominum hærede carentium, juris ordine redintegrare, congregationem in Vacia, tribus Comitatibus, videlicet, Neugradienſi, Huntenſi, & Gumurienſi, ut in ipſa Congregatione tam de poſſeſsionibus occupatis, quam de injuriis illatis, ſatis facere valuiſſet, de conſilio regni feciſſet proclamari* &c. quod illum per alios quoque Comitatus feciſſe, complures litt. teſtantur. Sed cum profugi in exteras terras, ſenſim, & ſero redirent, ſæpe factum, ut eorum bona per errorem aliis donarentur. Hinc mos invaluit, ut deinceps in litteris donationum, hæc clauſula: *ſalvo jure alieno:* adderetur, qua læſis poteſtas ſit, jus poſtliminii apud Judices perſequendi.

V. Dum hunc in modum regno instaurando, suorumque securitati consulit, Veneti, tempus, & damna Hungariæ in suum lucrum vertentes, Jadram classe obsessam, nullo fere accepto damno, occupant. *a*) Durum id regi, vix a præterita calamitate respiranti, accidit, sed, rebus a nuperna clade nondum reparatis, dissimulandum censuit, maluitque eum iis amica tractatione, quam armis, transigere, metuebat enim, ne Veneti, Beatricis reginæ, patris sui viduæ, & Stephani fratris, causâ, ad invadendam reliquam Dalmatiam, occasionem sumerent. Hæc regi præcipua ratio fuit, cur tam facile conditiones, juri suo iniquas, pacisci coactus fuerit. Hic illarum tenor est: Jadram cum sua ditione rex Venetis in perpetuum cederet, nec sinat eos a Dalmatis porro molestari, cives Jadrenses, qui ex urbe migrarunt, apud se ne retineat, neve hostibus consilio, auxiliove adsit, quin, si mari periculum ingrueret, Venetis opem ferat: hi vicissim regi adversus hostes subsidio venient, nec ullum cum Beatrice regina, hujusque filio Stephano, fœdus, contra regem, ejusque ditiones inibunt: conditiones, scriptis, & permutatis utrinque tabulis, firmatæ 1244.

 sunt.

a) Archidiac. Spalaten. hist. Salonit. c. 36.

1245. sunt. a) Pacificationi importune prorsus dissidia Spalatensium cum Tragurinis, intervenerant, quibus cum Jadrenses quoque, deserta nuper urbe, involverentur, rex veritus, ne Veneti fucatam belli causam inde semerent, Dionysium Banum in Dalmatiam misit, ut dissidentes conciliaret, qui cum magis imperiose, quam Spalatenses ferrent, cum iis agit, brevi ad arma ventum est, & Spalatini victi, datis sex obsidibus, persolutis quoque sexcentis argenti marcis, & Tragurinis e captivitate dimissis, pacem rogare coacti sunt. Sed extorta potius, quam libere inita, pax, non diu tenuit, mox enim dissidia inter utramque urbem recruduerant, quæ cum ad Sibenicenses quoque pertinerent, ne mali contagio reliquas etiam urbes corriperet, missus est a rege Stephanus Sclavoniæ Banus, qui quod miti esset ingenio, & tempori subservire nosset, æquato inter dissidentes jure, & constituta mercatus, qui causam discordiæ dederat, terra, marique exercendi ratione, civium odia feliciter extinxit. b)

VI.

---

a) Tabulæ pactionum exstant apud Farlati T. V. pag. 75. & apud Murator. Tom. XII. pag. 355.

b) Archidiac. Spalat. l. cit. c. 47. & Lucius l. 4. c. 9.

VI. Pacata Dalmatia, illud regem præcipue angebat, ne Fridericus Imperator, cui Hungariam, si ex hac Tartaros eliminaret, fiduciario jure obtulerat, inde sibi jus in illam arrogaret, ejusque in Imperio successores, ob præstitum a se *homagium*, olim Hungariæ regibus molestias propterea conficerent. Hac religione cum tangeretur, Innocentium IV. Pontificem solicite consuluit, qui re cum suis perpensa, cum Imperator promissis non steterit, hac eum solicitudine absolvit. *a*) Hac cu- 1245. 1246.

a) Litt. Innocentii IV. ad regem, Lugduno 12. Cal. Sept. an. tertio apud Raynald. ad hunc an. *Ex parte tua fuit propositum nobis, quod cum olim regno Hung. populato a — Tartarorum tyrannide — timens, ne regnum ipsum ad exinanitionem ultimam deveniret, ac desiderans, ut ipsius reliquiæ salvæ forent, Friderico — Imp. sub ea conditione præstiteris homagii juramentum, ut idem in regnum tuum, ad defendendum ipsum, contra prædictorum impetum Tartarorum, infra certum terminum potenter accederet, vel illuc filium suum destinaret, idem Fridericus diu exspectatus, post terminum non venit, nec filium suum, ut promiserat, destinavit. Quare — ut ne hac occasione in te, vel regnum tuum possit a Romano Imp. aliquid in posterum vendicari, attendentes — quod quoties aliquid sub conditione conceditur,*

1246. cura liber, memorque injuriæ, quam Austriæ Dux, sibi in Dalmatiam fugienti intulerat, exercitum ex Hungaris, & Cumanis, Rhodiisque Equitibus conflatum in Austriam infudit, congressusque, pugna quidem inferior erat, sed Ducis a Frangepanio trucidati casus, instar victoriæ fuit, a) & tres Comitatus, quos ei alias cedere coactus erat, regno vendicati sunt. His recuperatis, Conventum suis Albam indixit, ut de iis, qui tempore Tartarorum, his nihil meliores, in suos concives sæviebant, quæstionem haberet. Erat inter hos quidam *Fulcus* nomine, qui ex Filekiensi castro prædas latrocinando agebat, cædibus, & incendio omnem late viciniam fœde corrumpens, & a regressu Tartarorum, falsam monetam cudere etiam ausus. Itaque, ut se ab his criminibus purgaret, in judicium vocatus, mandatumque, ut nudus, & inermis, cum armato congrederetur, b) sed is causæ suæ dif-

tur, non exstante conditione, perinde, ac si concessum non fuerit, sit habendum, — te hujusmodi juramento, & homagio, — denunciamus auctoritate præsentium non teneri.

a) Chron. Melic. Salisburgen. & Arenpeck apud Hier. Pez Tom. I. pag. 240. 59. & 1218.

b) Litt. regis an. 1246. IV. Id. Jan. anno 11. *Quod cum Fulcus filius Simonis pro suis multiplicibus offensis — pœnam gravissimam justo*

diffidens, mature ad exteros fuga se subduxit. Quare consensu totius Conventus, in læsæ Majestatis, & contumaciæ reum sententia capitis, & bonorum omnium amissio decreta est, in ceteros minus reos lenius actum. His ad comprimendam scelerum licentiam, & regni utilitatem constitutis, filium suum vix septenni majorem, in eodem conventu regem coronari jussit, a) errorem eundem, quem pater, ut ex eventu patuit, errans, eoque minus venia dignum, quo magis usu didicerat, quibus ipse propterea cum patre olim dissidiis implicitus, & regnum ob diversa utrinque Magnatum studia, & assentationes, motibus jactatum fuerit. 1246.

sto judicio mereretur, — ipse vero — pejora prioribus cœpit, ductus nequam spiritu, perpetrare, ita, ut a pluribus super infidelitate, & de crimine læsæ majestatis & super fabricatione falsæ monetæ gravissime annotatum, præsentibus Baronibus, & militibus, nudum judicavimus ad duellum, prout super hujusmodi criminibus, regni nostri consuetudo antiqua requirit &c.

a) Ibid. *Cum igitur in medio regni nostri, Albæ coronato per divinam clementiam, carissimo filio nostro Stephano rege, & Duce totius Selavoniæ, pro tribunali sederemus, de consilio omnium Baronum nostrorum &c.* Sequitur sententia in Fulcum.

1247. VII. Vixdum Conventus solutus erat, cum rumor ex variis partibus increbuit, Tartaros iterum in Hungariam parare. Expertus barbarorum feritatem, & regno, quod nondum a nuperna clade respiraverat, metuens, omnia, quæ ad reprimendos barbaros facere videbantur, solicite occupavit. Militibus Templi Jerosolymitani, quorum virtutem bellicam in Dalmatia expertus erat, ex præcipuis Valachiæ, & Moldaviæ ditionibus usum fructum in viginti quinque annos, ea conditione, attribuit, ut provincias sibi creditas contra omnes hostes, imprimis Tartaros tuerentur, & populo frequentiores redderent. *a*) Nec sic tamen futuro periculo satis se cavisse arbitrabatur. Pontificem igitur jam antea, *b*) ac serius iterum de periculo admonuit, orabatque, ut corrogatis Principum auxiliis, sibi subsidio esse velit, ne, quemadmodum in prima Tartarorum irruptione, frustra opem ab Apostolica sede, ab Imperatore, & Francorum rege imploraverat, *c*) nunc quoque desertus ab omnibus, Hunga-

a) Dipl. regis 1247. III. Non. Jun. apud Pray Dissertat. VII. in annal. vet. pag. 134. ubi reliquas minoris momenti conditiones reperias.

b) Patet id ex responso Pontificis prid. Non. Febr. an. quarto. apud Katona hist. Tom. VI. pag. 92.

c) Litt. regis ad Innocentium IV. dat. in Potoka III. Id. Dec. s. a. nota. *Rumores enim de Tarta-*

gariam extremo, facileque ad alia regna propagando, discrimini exponere cogatur. Se 1247.
quidem nihil eorum omittere, quæ ad regni defensionem pertinerent, qua de causa etiam duas suas filias, totidem Russorum Ducibus, & tertiam Duci Poloniæ, matrimonio se junxit.

---

taris de die in diem nobis adveniunt, quod non solum contra nos, cui indignati sunt quam plurimum, eo quod post tantam læsionem, eis subesse renuamus, cum omnes aliæ nationes — tributarias se eis constituerunt, & specialiter regiones, quæ ex parte orientis cum regno nostro conterminantur, sicut Ruscia, Cumania, Prodineii, & Bulgaria, quæ in magna parte nostro dominio ante subjacebant. — Timemus etiam, quod si ipsa gens venerit, ut nostri nequeuntes, vel etiam nolentes sævitiam ferocitatis Tartaricæ hostiliter sustinere, earundem jugo, nobis etiam invitis, timore ducti se submittant, — nisi per circumspectam sedis Apostolicæ provisionem, regnum nostrum cautius, & potentius muniatur. — Nos autem hoc principaliter scribimus, — ne possimus argui super possibilitate, & negligentia. — Requisivimus enim adhuc Tartaris in regno nostro dimicantibus contra nos, super condicto negotio, tres totius Christianitatis principaliores Curias, scilicet vestram, — & Imperialem, cui etiam propter hoc nos submittere decreveramus,

si

xisse, *a*) & filio Stephano Cumanam despondisse, significavit, cum ut eorum viribus, in
1247. tanta hominum, qui a clade superarant, paucitate, contra hostes uteretur, tum ut iis hac ratione viam ad sacra Christiana amplectenda sensim sterneret. *b*) Hæc litterarum regis ad Pontificem sententia erat. Rumor tamen de Tartaris sparsus, magno regni commodo, in ipso fere ortu evanuit. Verum mox alibi, par-

---

si tempore prædictæ pestilentiæ nobis competens auxilium impenderet; — Francorum etiam Curiam requiri fecimus, de quibus omnibus nihil consolationis, vel subsidii recepimus, nisi verba.

a) Ibid. *Nos vero — propter bonum Christianitatis, majestatem regiam humiliando, duas filias nostras, duobus Ducibus Ruthenorum, & tertiam Duci Poloniæ tradidimus in uxores, ut per ipsos, & alios amicos nostros, qui sunt ex parte orientis sciremus nova — de Tartaris, ut sic eorum conatibus — commodius resistere valeremus.*

b) Ibid. *Cumanos etiam in regno nostro recepimus, & proh dolor! per paganos, infideles Ecclesiæ conculcamus. Amplius — filio nostro primigenito Cumanam quamdam conjunximus, ut per hoc vitaremus deterius, & , ut occasionem aliquam nancisci possemus, per quam valeremus eosdem, sicut jam pluries fecimus, ad baptismi lavacrum convocare &c.*

partim oblata, partim etiam ſponte accerſita cauſa, regi bellum confectum eſt. Occaſionem Friderici Ducis Auſtriæ, nuper cæſi, obitus præbuit.

VIII. Erat is ultimus ſtirpis Babenbergicæ, ſolamque poſt ſe reliquit ſororem Margaretam, & neptem ex Henrico fratre Gertrudem, Wladislao Marchioni Moraviæ nuptam; cui etſi quidem poſt Margaretam jus proximum eſſet in Auſtriam, & Stiriam, Imperator tamen utramque provinciam, feudum Imperii declaravit. Pontifex veritus, ne Imperator hac acceſſione potentior fieret, Margaretæ autor erat, ut Marchionis Miſnenſis fratri, erat is, Wilhelmi Hollandiæ Comitis, & electi Romanorum regis nepos, nuberet, & jus ſuum in Auſtriam proſequeretur. Id cum non ſuccederet, ipſum Wilhelmum hortatus eſt, ut Belæ regi, alioquin Cæſari infenſo, ad occupandam Auſtriam, vel Stiriam, adjumento eſſet. Bela mentem Pontificis edoctus, & deſiderio provinciæ alterutrius occupandæ illectus, inito cum Ottone, Bavariæ Duce, armorum fœdere, hic ſuperiorem, ille inferiorem Auſtriam, & Stiriam, incurſabant, rex quoque Bohemorum filii ſui cauſa, cui Gertrudis nupſerat, in hac rerum perturbatione ſpem aliquam ex his provinciis adipiſcendi alebat, quæ tamen mortuo filio, & Gertrude ſecundis nuptiis Hermanno Badenſi illigata, ad tempus quidem evanuit, 1246.

poſt

post rursum ab ejus successore Ottocaro, magna Hungariæ calamitate, suscitanda. Pontifex, post alteras Gertrudis nuptias, mutato repente in contrarium consilio, Belam, ut a vastanda deinceps Austria abstineret, per
1249. litteras monuit, quibus ille, quod spem prius Pontifex ad eam occupandam sibi injecisset, magis concitatus, provinciam populabundo agmine percursabat, ingenti hominum numero
1250. in captivitatem abducto, rursumque anno insequente, vastationem usque cellam Marianam in confinio Stiriæ circumtulit, cum Bavarus, post obitum Hermanni Badensis, Austriam superiorem, ad Anasum fluvium, sibi asserere niteretur. a) Sed mox aliam rebus faciem mors Friderici Imperatoris, paulum post mense Decembri consequuta, attulit.

IX. Austriaci enim domino, qui eos tue-
1251. retur, destituti, & tot hostium incursiones pertæsi, ut his finem facerent, alterutrum ex filiis Misnensis Marchionis, quos ex Constantia, Margaretæ sorore susulerat, per Legatos sibi Ducem dari postulabant. Subodoratus rem Wladislaus Bohemiæ rex, detentis Pragæ, officii specie, Legatis, ac liberaliter excul-

a) Pernoldus, Chron. Australe, & Salisburgense; item Bzovius hist. Eccl. Tom. XIII. ad dictos an. & Lamberger Oesterreichisches Interregnum. pag. 16. 31.

cultis, facile persuasit, ut a suo reditu provinciales vota in Ottocarum, suum filium conferrent, eique Margaretam, cui jus in Austriam erat, despondèrent. Nec Gertrudis sibi deesse volens, jus suum, quod in eandem provinciam habebat, in Belam transtulit, qui ad id novo vinculo firmandum, ei Romanum Russici generis, ex filia nepotem, maritum dedit. Hinc diuturni belli, quod ad filium, 1252.
& nepotem quoque transiit, inter Belam, & Ottocarum, semen jactum est. Accessit novum belli fomentum, quod Stirii, repudiato 1253.
Ottocaro, provinciam suam Belæ obtulerint. Quare uterque jus suum armis prosequuti, mutuas sibi deinceps clades inferebant. Bela imprimis, ut æmulo ægre faceret, cum Hungaris, & Cumanis, Moraviam, & Austriam percursans, cum non paucos ex ipsis Austriis sibi addictos haberet, & Stirii quoque ei subsidio essent, omnia populatus est, nec malis his prius finis factus, quam Pontifex Innocentius utrumque ad ineundam pacem permovisset. Huic conciliandæ delecti utrinque arbitri sunt, Bela Posonii, & Ottocaro Heimburgi, si quod dubium de conditionibus orietur, commorantibus. Pax demum in has leges coaluit: Stiria a Semeringo monte, ad Carinthiæ limitem, regis Hungariæ esset, quæ vero cis Semeringum ad Hartbergam montem tenduntur, Ottocaro manerent: limites quoque usque Admontum diremti, & 1254.

Ger-

Gertrudi, quam maritus in Russiam reversus, prægnantem, parum humaniter deseruit, ob jus in Austriam regi transscriptum, certa vectigalia per Stiriam constituta. Divisa in hunc modum provincia, Stephanus regis filius, cui desponsa prius Elisabetha Cumana, nunc in manus convenerat, Dux Stiriæ renunciatus, eique Stephanus Sclavoniæ Banus in administranda provincia adjunctus est. *a*)

1254.

Confecta pace, quæ Innocentii Pontificis studio coaluit, & qua novæ provinciæ accessio ad regnum facta est, situque ipso Hungariæ, & Croatiæ finitima, uberem deinceps fructum pollicebatur, ut se rex vicissim Pontifici gratum exhiberet, neptem ejusdem filio suo Belæ, natu minori, conjugem dari optabat. Jam alias mentem suam de conciliando hoc matrimonio non obscure eidem aperuerat, nunc autem, misso ad eum Smaragdo, Posoniensi Præposito, luculente declaravit. *b*) Id non solum gratitudinis, sed utilita-

a) Iidem, qui supra ad hos an. & Diplomatar. Stiriæ P. II. pag. 83.

b) Litt. regis ad Innocentium 16. Cal. Oct. ex Tom. II. epist. Cod. Vaticani. *Ut ex devotione, qua — S. R. Ecclesiæ adstricti fideliter fuisse dignoscimur, seges perpetuæ pullulet amicitiæ, & — crescat in unione succedendæ, no-*

tatis quoque in regnum redundaturæ, causa, optabat. Cum enim Pontifex natione Genuensis, & neptis illius apud hos claro genere esset orta, illorum amicitiam sibi his nuptiis contra Venetos, quibus cum Genuensibus maritimi mercimonii causa, simultas intercedebat, aliquando profuturam sperabat. Hæserat enim illud regis animo, nec dissimulare poterat, quod Veneti eo prorsus tempore, quo ipse ad Hungariam, a Tartaris pene exinanitam, ex Dalmatia redierat, Jadram interceperint, eamque tunc ære, & milite destitutus, eis cedere coactus esset. Ad hanc igitur recuperandam nuptiæ illæ spectabant. Sed cum hanc destinationem mors Pontificis intercepisset, alia via rem aggressus, dum Dalmatiam reviserat, misso Legato Jadram repe- 1254.

nobis parentelæ, quemadmodum prius per nuncios nostros, sic iterato per — Magistrum Smaragdum, Posoniensem Præpositum, — S. V. censuimus intimandum, ut, si discretioni vestræ visum fuerit, copulam matrimonii inter — filium nostrum Belam, & neptem vestram, sine debito consummari. — Verumtamen, si id vestræ resederit voluntati, ad perficiendum ipsum contractum, nuncios vestros, cum pleno mandato, ad nos dirigatis, ut ipsis mediantibus præfatum negotium, finem, & effectum debitum sortiatur &c.

petiit. Multas is primum difficultates passus, agendi tandem dexteritate, Venetis, vires regis a superna Tartarorum clade tam cito reparatas, metuentibus, persuasit, ut pacis, decennio abhinc initæ, Tabulas *a)* regi redderent & suas vicissim reciperent. *b)* Ita in pristinum jus Hungariæ urbs rediit.

1255. X. Lite cum Venetis, & pace cum Ottocaro composita, vix biennii ocium regi suppetebat, ut, quæ a Tartarorum irruptione reliqua adhuc erant, regni vulnera consanaret, cum novæ illi curæ, ob Stiriæ res perturbatas injectæ sunt. Stephanus Banus, quem pro filio Stiris præfecerat, provinciales, lingua, & moribus, ab Hungaris dispares, longe alia, quam municipalia illorum instituta ferrent, ratione tractabat. Id Sifrido Merenburgensi oc-

a) Recole, quæ ad an. 1244. N. V. dicta sunt.

b) Dipl. regis an. 1254. *Cum post recessum Tartarorum, ad easdem partes maritimas vergeremus secundario; & super facto Jadræ, inter nos, & Venetos discordia esset suscitata, ipse fidelis Nicolaus* (erat is de genere Obych) *nobis mittentibus Venetias, accedens, litteras compositionis, tam ex parte nostra ad ipsos Venetos, quam etiam e converso, non sine magna providentia, reddidit illis suas, & nobis nostras, commendabiliter reportando.* Altum de hac re silent scriptores Veneti.

occasionem præbuit, ut concives suos concitandæ seditioni sensim pararet. Facem Ottocarus, provinciæ inhians, clam ventilabat. 1257.
Bela, rem mature edoctus, amoto Bano alium subrogavit, qui provincialium animos lenius tractaret, sed, cum nec hic quidquam, alienatis jam Stirorum animis, proficeret, rursus Banum provinciam administrare jussit, qui, cum nihil a suo more remitteret, brevi omnium in se odia convertens, ægre periculo, quod ei Hartnidus Petoviensis struxerat, subductus est. Vim itaque rex admovendam 1258.
ratus, cum filio in Stiriam profectus, copias Petovio admovit, obsessumque, pactis conventis, in potestatem redegit. *a)*

Pacata ad speciem provincia in Hungariam reversus, nuncios ab *Algu* Tartarorum, Buchariam colentium, Chano, accepit, qui, si rex contra Christianos fœdus cum illo sociaret, & filio illius, suam filiam matrimonio jungi pateretur, vel filiam Chani Bela, natu minor regis filius, conjugem acciperet, Hungariæ, aliisque regi subjectis provinciis securitatem, & quintam spoliorum partem pollicerentur. *b)* Insolenti postulato rex offensus,

a) Chron. Bav. apud Pez. Tom. II. col. 77. Pernoldus, Horneck, anonym Leobiensis Chron. Austr. Pessina l. 3. c. 7.

b) Ex epist. Pontif. quam sequente an. ad regem dedit, apud Raynald. ad an. 1259. & Pray annal. Tom. I. pag. 302.

legationis seriem ad Alexandrum IV. Pontificem perscripsit, opemque, si quid periculi ab iis immineret, ab eo flagitavit, ipse etiam, exemplo suo cautior redditus, copias, quas hosti venturo opponeret, ex suis ditionibus collegit, quo comperto Tartari, videntes suas minas, & conditiones fœderis contemni, a proposito tum quidem destitere.

1259. Interea Stephanus rex junior, qui, ut Stiros sua præsentia in obsequio contineret, Petovii sedem fixerat, conventum, in quo de re publica consultaretur, provincialibus indixit, verum illi subornante Ottocaro, persuasi, si convenirent, sibi vincula, & carceres parari, posita simulatione, inter se coorti, Hungaros tota Stiria exegere; Petovium, quod prætoriano militum præsidio tenebatur, solum in Stephani potestate mansit; qui, cum provinciales interim Ottocaro se subdidissent, frustra provinciam, adducta secum nova militia, recuperare conatus est. *a)*

XI. Abhinc novum inter Belam, & Ot-
1260. tocarum, atroxque bellum recruduit. Uterque, ne alter alterum præveniret, veritus, copiis Moravæ fluvio utrinque admotis, mutato sæpe castrorum situ, opportunum pugnæ lo-

a) Horneck, Chron. Salisburg. & Pernoldus ad hunc an.

locum quærebant, actum etiam interea de pace, quæ dum neutri parti arrideret, & 1260. Germanorum pars ex caſtris Ottocari Heimburgum receſsiſſet, ipſe vero pabulationis gratia alio eſſet digreſſus, Hungari abſentia illius uſi, transvadato Morava, caſtra invadunt, magnamque ſtragem edunt, quam, cum in medio prælii fervore occupantur, reverſus cum recentibus copiis Ottocarus, reddidit, & Stephano, qui pugnam inſtaurare conatus erat, gravi vulnere, perſtricto, Hungaros trans flumen egit. Fugitivos porro perſequentem Palatinus a rege miſſus, ut de pace ageret, detinuit, quæ cum utrique neceſſaria eſſet, ſequente anno, ſponſoribus Ottone Branden- 1261. burgico, & Udalrico Carinthiæ, Ducibus, in has leges coaluit: Bela, & Stephanus, juri ſuo in Stiriam renuncient, & Petovium, deducto Hungarorum præſidio, reddant Ottocaro, pacem Pontifex ſua auctoritate confirmet, hanc qui prior violarit, XI. millia marcarum argenti perſolvat. Hæc palam acta: privatim in eo utrique convenerat, ut Ottocarus, repudiata Margareta, cujus jure Auſtriam obtinuerat, Cunegundem, Belæ ex filia neptem, ſibi matrimonio jungat, Bela vero, natu minor regis filius, filiam Ducis Brandenburgici, ex Ottocari ſorore natam, ſibi deſponderet. His utrinque promiſsis, Bela cum utroque filio, in comitatu regulorum Serviæ, & Boſniæ Viennam profectus, cum tabulæ pa-

cis subscribendæ erant, repente cum suis dis-
1261. paruit. Id Ottocaro, & sponsoribus suspicionem ingesserat, quasi regem facti pœnituisset, cum ex allato nuncio discessus causam intellexere, quinquaginta nempe duo Tartarorum millia, Hungariæ finibus appropinquare. In hos igitur Bela profectus, brevi post prælio victos, castrisque exutos, regno exegit, Viennamque redux, firmatis Tabulis, cum Ottocaro Posonium reversus, neptem suam, bona Pontificis venia, eidem collocavit. a)

Constituta foris pace, magno studio ea, quæ adhuc domi a diffusa per totum regnum Tartarorum clade labefacta erant, complexus, bona, quorum jura nondum satis diremta, aut documenta, quibus nitebantur, perdita erant, suis possessoribus, imprimis, quæ ad Ecclesias pertinebant, convocatis ex vicinia senioribus, quorum fidei, memoriæ, & auctoritati tuto credi poterat, restituit. Erat inter has Ecclesia Agriensis, cujus late diffusa ditio rabiem Tartarorum maxime experta, Tabulas suæ institutionis, & privilegia, jam inde a sanctis, Stephano, & Ladislao, regibus concessa amiserat, quæ eidem, securitatis causa, novæ donationis titulo, eaque conditione confirmavit, ut, si reges quatuor fi-

a) Iidem, qui supra, & litt. Ottocari ad Papam, apud Balbinum hist. Boh. Dec. I. l. 6.

filios habuerint, quartum episcopus Agriensis, ex vetere regum instituto, pro natalium dignitate aleret. a)

XII. His curis pro suorum commodo distentum interturbavit dissidium domesticum, eo regi gravius, quod illius causa filius esset. Stephanus, amisso Stiriae Ducatu, proventus ex eo perceptos, sibi a patre compensari sperabat, quod cum hic abnueret, ratus, quos ex Transsilvania, Cumanorum item ditione, & non exigua regni parte, quae cis, ultraque Tibiscum tenditur, reditus perciperet, satis esse ad tuendam filii dignitatem, simultas primum inter utrumque orta, mox, cum Magnatum aliqui, Nobilesque regi, filio alii adhaererent, brevi inter partes ad arma ventum, b) &, ut in civili bello fit, vastitas fundis utrin- 1262.

 que

a) Apud Nic. Schmitt episc. Agrien. P. I. pag. 5. *Hoc non praetermittimus, quod, si aliquo tempore reges Hung. nostri successores quatuor filios habuerint, episcopus Agriensis, qui pro tempore fuerit, quartum custodiet, prout hoc a sanctis regibus extitit ordinatum, & statutum.*

b) Sigism. Ferrarius P. II. l. 1. c. 8. item litt. Stephani regis an. 1270. *Cum adhuc eundem tenentibus nobis Ducatum Transilvanorum, graves persecutiones parentum nostrorum — perpessi fuissemus, — & cum in ipsa eadem perse-*

que illata, propeque erat, ut pater cum filio, exercitu oppoſito, congrederetur, niſi ſapien-
1262. tiores ex ſacro, & profano ordine, collatis inter ſe ſtudiis, diſsidentes conciliaſſent. Conventum Poſonii eſt, & concordiæ leges utriusque partis archiepiſcoporum arbitrio commiſſæ, quarum ſumma hæc fere fuit. Stephanus ultra eam ditionem, quam a patre acceperat, nihil ſibi porro dari petet, aut vi decerpet, nec Belæ fratris Ducatum infeſtare auſit, quin, ſi res poſcat, patri adverſus externos, & inteſtinos hoſtes, auxilio erit: ſalium proventus ex æquo ad utrumque pertinebunt: judiciorum ratio ea ſervetur, ne alterutris damnum, aut præjudicium creetur: caſtra, quæ in ditione filii ſunt, & ad eos pertinent, qui regis partes ſequebantur, ſalva eisdem maneant: Nobilium quoque juribus, ne ab alterutro lædantur, cautum, &, ſi forte Eccleſiaſticorum, diſsidii tempore, fuiſſent in ditione filii violata, ea in integrum reſtituantur. Hæc jure jurando firmata, & utrique

ſecutione, debellatis, & captivatis per nos quibusdam Baronibus eorundem parentum noſtrorum, videlicet Laurentio Palatino — cum toto auxilio noſtro ſuper relictum exercitum parentum noſtrorum in locum, qui Ilſvaſzeg dicitur, — veniſſemus, ibi aciebus hinc inde concurrentibus &c.

que archiepiſcopo poteſtas data, ut in violatores concordiæ cenſuris Eccleſiaſticis animadvertant. *a*) 1263.

His, quoniam aliqua capita non ſatis declarata eſſe videbantur, aliæ rurſum conditiones ſequente anno adjectæ: præcipuæ ſunt: tabulas concordiæ Pontifex ſua auctoritate confirmet, quam ſi alterutra pars violaret, ſacris omnibus ab archiepiſcopo ſuæ ditionis interdiceretur: damna utrinque illata ſarciantur, nec deinceps inferre fas ſit; ſi qui fuerint, qui ſuſpicionibus reges inter ſe iterum committere vellent, hos filius patri, hic viciſsim filio prodet, ut facilius novis diſſenſionibus caveatur: fures, & latrones, qui impunitatis cauſa ad alterutrius ditionem transfugerint, ſevere, & ex legum præſcripto, caſtigentur, denique, ſi qui Magnatum, Nobilium, aliive alterutrius partes ſequuti fuiſſent, eadem utrinque oblivionis lege comprehendantur. *b*)

XIII.

---

a) Apud Math. Bel, Notit. Hung. Tom. I. pag. 118. Occurrit in his tabulis etiam *Michael*, qui Stephani frater dicitur, latiore tamen ſenſu id accipiendum, cum conſtet, illum Radislai Haliciæ Ducis, & Machovienſis Bani, qui Agnetem, filiam Belæ regis, uxorem habuit, filium fuiſſe. Vide Schier l. cit. p. 220. & 222. item bullarium Ord. Prædicator. T. I. pag. 444.

a) Apud Belium l. cit. pag. 122.

1264. XIII. Vix redintegrata inter patrem, & filium concordia fuit, cum prope erat, ut interrumperetur. Causam rursum filius dedit, qui castra matris suæ, quæ a marito dotis nomine acceperat, & in illius ditione erant, sibi usurpabat. Non poterat id non patri, qui filio tantum hactenus connivebat, molestum accidere, cui alioquin nova rursus a Tartaris, fœdus, & affinitatem deposcentibus, solicitudo ingesta erat. Commune ambobus, & Stephano ex ditionis situ vicinius periculum, tum Pontificis Urbani IV. gravissimæ litteræ, quibus filium ad patris obsequium revocabat, utrumque iterum, ad retundendos Tartarorum impetus, conjunxit. *a)*

Dissipato Tartarorum, qui ultra minas non processerant, metu, annoque jam inclinante, Ottocarus memor pactorum, quæ quadriennio abhinc cum Bela, Stiriæ causa, inierat, filiam Ottonis Marchionis Brandenburgici, Belæ juniori regis filio desponsam, Posonium adduxit, eamque regio apparatu ornatam, præsente patre, ac ingenti Procerum Bohemiæ, & Hungariæ caterva, sponso, quem pater interea Sclavoniæ, Dalmatiæ, & Croatiæ

a) Raynaldus ad an. 1264. N. 48. & 64.

tiæ præfecerat, a) in manus tradidit. b) Stephanus a nuptiarum solemniis aberat, domi, ut credibile est, detentus, ob sparsum rursus de Tartaris rumorem, qui vicinas Poloniæ 1265.
plagas incursuri ferebantur, & ad quorum, si Hungariæ ingruerent, impetus excipiendos, Clemens IV. Strigoniensi, & Colocensi archiepiscopis, cruciatæ expeditionis per Hungariam, Bohemiam, & Poloniam, nec non Austriam, Stiriam, & Carinthiam, Marchionatum quoque Brandenburgensem, divulgandæ, plenam potestatem fecit. c)

Ad hos apparatus evanuit quidem conceptus de Tartaris metus, sed aliud in Dalmatia malum a reginæ animi impotentia fere ortum. Deduxerat istuc Belam filium ad capessendam provinciam, magno Hungarorum, & Cumanorum satellitio stipata, ex quo cum fortuito oborta rixa duo Hungari a Spalatensibus cæsi fuissent, vehementer indignata, agros eorum vastari jussit, & cum hi sua etiam armis tueri pergerent, non prius conceptam in

a) Hoc axiomate Ducis Dalm. &c. occurrit apud Kerchelics Notit. prælimin. pag. 200. ad an. 1264. & ad reliquos deinceps.

b) Contin. Cosmæ Pragen. ad an. 1264. annal. Althamens. Chron. Leobien. Salisburg. & Austr.

c) Raynald. ad an. 1265. N. 49.

in illos iram posuit, nec cives, quos carceri mancipaverat, liberos dimisit, quam regis ab uxore occupati jussu, duodecim obsides in Hungariam misissent. a)

1266. XIV. Huic dissidio, quod ob Nationis communionem, ad reliquas Dalmatiæ urbes, nisi id Spalatenses obsequio suo præpedivissent, facile propagari poterat, sopito, gravius a Stephano filio accessit. Ægre is videbatur ferre, fratrem suum magis, quam se, in parentum amoribus esse, urebat & illud, quod eidem ad Sclavoniæ præfecturam, etiam Dalmatiæ, & Croatiæ esset adjecta, census annui, præ sua, feracior, nec deerant assentatóres, qui animum illius propterea vafris suggestionibus concitarent. Horum consilio obse-

1267. quutus, arma in patrem resumsit, fortuna omnino adversa. Victum, & salutem in fuga quærentem rex persequutus, jure primogenituræ privare, eique Belam filium natu minorem subrogare constituerat, mox tamen, aliena magis, quam sua, culpa errantem commiseratus, conjuge illius, & prolibus e castro Patakinensi eductis, ac in potestatem redactis, satis castigatum existimabat. Hac lenitate sibi redditus, factique pœnitens, Antistitum opera, patri rursum conciliatus est. b)

Quo

---

a) Thomas archid. l. cit. c. 51.

b) Hæc Ladislaus Chunus in litt. an. 1273. prolixe memorat. Consule Notit. præv. §. 3.

Quo firmior autem, oblitterata præteritorum memoria, tam in familia regia, quam inter hanc, & ordinem Nobilium, qui in partes distracti, damna sibi mutuó inferebant, concordia deinceps esset, iisque, quæ dissidii tempore vitium in re publica acceperant, reparatis, quies regno redderetur, conventum suis indixit, & Ordinum rogatu, immunitates Nobilium, quas, partibus mutuo inter se dissidentibus, violari necesse erat, suo, filiorumque nomine, ac edito juramento, confirmavit, cum ut majori deinceps fide sibi obstrictos, tum ad ea, quæ necessarium cum communi regni salute nexum habent, magis attentos, & promtiores redderet. a) Cum plera- 1267.

a) Exstat in vestig. Comitior. pag. 134. cum Commentar. cujus, quisquis illius autor est, aliqua secundis curis cognosci cuperem. Exordium Decreti, quod causam coacti Conventus continet, hoc est. *Nos Bela, Dei gratia rex Hung. & Stephanus per eandem junior rex Hung. & Dux Transilvanus, ac Bela junior, Dux totius Sclavoniæ, significamus omnibus &c. Quod Nobiles regni Hung. universi, qui servientes regales dicuntur, ad nos accedentes, petierunt a nobis humiliter, & devote, ut ipsos in libertate, a S. Sephano rege statuta, & obtenta, dignaremur conservare, ut ipsi tanto nobis, & coronæ tenerentur fidelius, & affectuosi-*

raque harum immunitatum capita, quas pa-
1267. ter regis semel, iterumque ratas habuit, *a)* consentiant, supervacaneum esset, hæc cum fastidio regerere, satis fuerit, si ea solum, quæ diuturno dissidio occasionem dederant, summatim attingam. Ante omnia illud ad stabiliendam quietem publicam pertinere regi visum est, ut cum per intestinos motus, fundorum possessio vehementer confusa fuerit, terræ a regis, & reginæ castris avulsæ, vel populis, *Udvornicos* ea ætate compellabant, qui eisdem adscripti erant, per vim abstractæ, restituantur, & populus iisdem olim adscriptus, pristinis servitiis, *b)* adstrictus sit, nec jure eo, quo liberi hospites fruuntur, *c)* gaudeat: vicissim autem, si fundos Nobilium, dissidii tempore occupasset, si tales fuisse judicio duorum Baronum comperti fuerint, suis dominis reddat. Ad hæc, cum præ-

osius famulari, quanto eos pretiosioribus libertatibus donaremus. Quorum petitiones, & instantias considerantes, fore justas, & legitimas, habito Baronum nostrorum consilio, & assensu, duximus admittendas, attendendo, quod per hoc invigilari de commodiori debeat statu regni.

a) Vide an. 1222. & 1231.

b) Vide Notit. præv. §. 23.

c) Ibid. §. 24.

præcipuam hactenus dissidio causam præbuerit, crebra Nobilium ab una ad alteram partem secessio, data omnibus facultas, ut, quamcunque vellent, seu patris, seu filii partem, sequi possint, quin periculum propterea possessionum suarum adeant, aut damnum iis ab alterutro regum inferri fas esset. Lex quoque vetus instaurata, ut quotannis ad diem sancti Stephani regis, Conventus regni Albæ celebretur, ad quem non promiscue, ut olim sub regis patre, *a*) sed duo solum, tresve adeant ex quavis provincia, eam præcipue ob causam, ut iis præsentibus, de damnis, & injuriis illatis, jure cognosci, & læsis satis fieri possit. 1267.

XV. Stephanus, dimisso Conventu, patri conciliatus, ut ei suspicionem de se penitus eximeret, arma, quæ alias in illum sumserat, in Bulgaros convertit, & aliquoties victor, *b*) expugnato Vidino, Bulgariam jure 1269.

a) Bull. aur. an. 1222. art. 1. *Et si nos interesse* (nimirum Conventui Albam indicendo) *non poterimus, Palatinus procul dubio ibi erit pro nobis, & vice nostra causas audiet, & omnes servientes, qui voluerint, libere illic conveniant.*

b) Dipl. Stephani regis an. 1270. *postmodum etiam quinque vicibus de Bulgaria, scilicet bis cum nostra persona, & ter cum aliis Baronibus*

re armorum, Hungariæ aſſeruit, *a*) primus-
1269. que omnium hanc ceteris regiis titulis addidit. *b*) Reverſum ab expeditione Legati ex Sicilia convenerant, qui Mariam ejus filiam, Carolo Claudo, regi ſuo, conjugem petebant. Re cum parentibus collata, his volentibus, libens hanc Siculo deſpondit, regioque apparatu inſtructam, in Siciliam miſit. *c*) Bela, novam affinitatem rebus ſuis, præſertim in Dalmatia, ſi quid Veneti molirentur, profuturam, aliaque ſenſim inde commoda in regnum ſuum manatura, videns, propoſitum ſuum, quod jam tum conceperat, cum ſecuritatis cauſa, Tartaros fugiens, in Veglia inſula morabatur, reſumſit. Ipſa maris opportunitas, frequentia portuum, & rerum ex vicinis ſuis ditionibus convehendarum non impen-

bus noſtris per nos in Bulgariam deſtinatis, dictus Magiſter (Raynoldus) *victorioſus, laudabilem — triumphum reportarit.* Et Ladislaus Chunus Stephani filius an. 1274. *Scilicet cum idem cariſsimus pater noſter in Bulgariam propulſandis injuriis confinii regni ſui inſultum faceret &c.*

a) Thurocz P. II. Chron. c. 77.

b) Dipl. apud Pray, Hierarch. P. I. pag. 105. item apud Novák Vindic. pag. 21.

c) Dipl. Stephani an. 1269. quo Agneti de genere Chaak donationem facit.

pendiosa facultas, Venetorum e propinquo exemplum, jam tunc ei cogitationem instituendi, propagandique mercimonii, quod avus illius Bela olim meditabatur, ingesserant. 1269. Nunc cum occasio exequendi propositi adesset, invitaret præterea recens inita cum Siciliæ rege affinitas, & Bela filius Dalmatiæ Dux, patris destinationi consentiens, rem provecturus videretur, hunc in medio hoc conatu, & spe uberrimi fructus in regnum redundaturi, insperato amisit. *a)*

Quo teneriori amore hunc præ Stephano 1270. complecti semper solebat, eo gravius id sexagenario majori vulnus erat, ex quo sensim languore oppressus, ipse etiam paulum post, filium consequutus est. *b)* Alter merito suo, post

---

a) Dipl. regis an. 1269. V. Non. Oct. quo privilegia Eccl. Veszprim. confirmat: *quod cum manus Domini ostendentis, mundi prospera fore transitoria — nos orbans filio carissimo, Bela videlicet illustrissimo Duce Sclavoniæ, sicque genitorem efficiens infelicem, graviter tetigisset* &c.

b) Ut annus emortualis certus est, ita mensis, & dies incerti. Litterarum hujus regis, quas Carolus Robertus an. 1335. transsumsit, hæc clausula est. *Dat. an.* 1270. *V. Cal. Novemb.* quæ non consentit cum clausula Ladislai successoris: *Dat.*

[redacted] post sanctum Stephanum regem, Hungariæ
1270. Stator, quam a Tartaris fere inanem populis redditam, deductis ex Germania, Italia, & aliunde coloniis, frequentiorem reddidit, & cum his artes, mercimonia, & sine qua hæc languent, industriam rei agrariæ promovit. Præter Jadram recuperatam, designato Cumanis latissime porrecto agro, jus in Moldaviam, & per filium, etiam Bulgariam Hungariæ conjunxit: res sacras, & profanas pari cura complexus, pristino vigori restituit. Conjugio felicior, quam bello, uberrimum tamen & ex illo fructum tulit, cum per filiarum a) nuptias,

Dat. an. 1270. *V. Cal. Octob.* De hac variatione Vid. Katona hist. Tom. VI. pag. 507.

a) Filias complures habuit; ex his fuere, *Cunegundis* Boleslao Pudico, Poloniæ,: *Elisabetha* Henrico Bavariæ, *Anna* Radislao Haliciæ, *Constantia* Danieli Russiæ Ducibus collocatæ, ex qua Michael Bosniæ, & Bela Machoviæ Duces nati, item *Helena*, Boleslao Pio majoris Poloniæ Duci nupta, & *Sabina*, Moysis Hungariæ Palatini conjux. Præter has, *Margaritam*, & *Catharinam* in infantia Clissæ an. 1242. defunctas, sustulit & alteram *Margaritam*, quæ Deo inter sacras virgines se dicaverat. Rex cum conjuge, & Bela filio Strigonii conditus est. Cetera, quæ de aliis prolibus regis, ali-

as, vicinos Principes sibi, & regno conciliaret. 1270.

In regiminis principio, Optimatibus, quod se regibus pene pares vellent ferre, infensus, post vero resecta illis opum affluentia, in ordinem redactis, benignus; juris regii perinde, ac Nobilium minoris census, aut quos egestas premebat, adversus illorum usurpatam in hos potentiam, & fastum acris defensor. Hoc uno infelix, quod filio in regni consortem adscito, & divisa inter se, & illum cum dignitate, pari ferme potentia, ipse occasionem dissidio dederit, quod exemplo patris, & suo, vitare poterat, certe debebat.

E e s STE.

aliqui memorant, nec coaevi scriptoris, nec ullo documento diplomatico nituntur.

STEPHANUS V.

Ab anno 1270 — 1272.

1270. I. Simul ac a patris obitu rursum corona incinctus est, causa quoque ad bellum cum Ottocaro Bohemo gerendum, ei vel invito oblata fuit. Aliqui ex Proceribus, qui, vivo patre, Stephano maxime infensi erant, & causam dissidio dedere, veriti, ne de se vindictam propterea caperet, ablato regio thesauro ad Ottocarum transfugerant. *a)* Graviter

a) Dipl. regis an. 1271. X. Cal. Apr. *Cum post obitum patris nostri — nobis e vicino deberetur regni gubernaculum, & corona, quibusdam ex Baronibus patris nostri, telo perfidiæ sauciatis, sua versutia, & fraude thesaurum regni nostri, perducentibus in potestatem regis Bohemiæ* &c. Tabulæ pacis sequente anno initæ, memorant coronam, gladium, monile &c. ex quo quidam suspicantur, insignia regalia, quæ in coronatione adhiberi solent, furto subducta esse. At, qui id fieri potuerit, non video, cum ipse rex in dicto dipl. se coronatum esse fateatur his verbis: *nos igitur in die coronationis nostræ Baronibus, & universis regni Nobilibus, juramentum præstitum infallibiliter volentes observare* &c. igitur vel post coro-

ter id tulit Stephanus, præſertim, quod eodem tempore comperiſſet, ab Anna ſorore theſaurum ingentis precii, quem a patre jam morituro eblandita erat, *a*) ad Ottocarum, generum ſuum, ſecuritatis cauſa, transmiſſum fuiſſe, quem, cum is jam a proavis regio peculio accenſus fuerit, repeteret, nec Ottocarus vellet reddere, bello vindicandum conſtituit, ac ad id ex ſententia gerendum, in Poloniam profectus, *b*) Boleslaum, quem alioqui, ob ereptam nuper Opaviam infenſum Ottocaro ſciebat, in armorum ſocietatem pertraxit. Bellum apparanti ſtimulum addidit, Ottocari in Carinthia occupati abſentia. Igitur copiis, etſi jam hyems eſſet, ad Simerin- 1270.

ronationis actum, id factum oportuit, vel privatus dumtaxat regum theſaurus, in quo plures coronas ſervari mos fuit, intelligendus.

a) Horneck. c. 87. & 88. & ex hoc Hagen pag. 1082. qui tamen Belam juniorem ſeniori erronee ſubſtituit.

b) Dipl. regis ſupra cit. *Poſt coronationem etiam noſtram, cum peregrinationis gratia haberemus votum, & deſiderium, paucis comitantibus in Poloniam divertendi, — præfatus Laurentius Banus — inter viarum diſcrimina, — nobis exhibuit famulatum* &c. Item Raynaldus ad an. 1270. N. 29. Cromerus de reb. Polon. l. 9. pag. 241.

ringam montem promotis, redeuntem inter-
1270. cipere meditabatur, verum ille de insidiis
edoctus, alio deflectens, in Austriam, & hinc
in Bohemiam evasit. Rex videns, se delusum,
regionem omnem, quæ a Leyta fluvio inter
montes, & Danubium in occasum tenditur,
populabundus percurrit, & abductis viginti
fere hominum millibus, copias domum re-
duxit. a)

II. Ottocarus, ut cladem rependeret, ipso
1271. veris initio anni insequentis, cum centum, &
quod supra est, millibus in Hungariam ir-
rumpens, Posonium obsedit, eoque capto,
castrum S. Georgii, Basinium, & Tirnaviam
in potestatem redegit, mox iter reflectens,
trajectoque Danubio, Ovarinum expugnatum,
& Mosonium, deditione facta, contra datam
fidem deletum est. Ultra grassaturo Stepha-
nus cum Hungaris, & Cumanis, ad Rabni-
czam amnem, se objecit. Inde res segnius
gesta, utroque palustrem, vadoque difficilem
amnis ripam observante. Prior Ottocarus
annonæ, & pabulationis difficultate pressus re-
cessit, copiis, ut Viennam attigit, dimissis.
Usus ea occasione Stephanus, triginta Cuma-
norum millia Austriæ, qua Marchiæ fluvio
adsita est, & Moraviæ immisit, qui eam pla-
gam

a) Chron. Claustro-Neoburg. & Stero ad annum
1270.

gam cædibus, & incendiis late pervagati, priorem cladem penſarunt. a) Finem tandem 1271.
damnoſo utrique parti bello, Antiſtites, & Proceres utriusque fecerant, pace pridie Idus Julias Pragæ conciliata. Conditiones iſtiusmodi fuere: Bohemus regi omnia, quæ in Hungaria occupavit, reſtituat, Stephanus viciſsim ſuo, & hæredum nomine, juri in Ducatus Stiriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ, b) inſuper etiam actioni, & juri de theſauro a ſorore ſua in Bohemiam ablato, renunciet: c)

a) Chron. Auſtrale & Zwetlenſe ad hunc an.

b) Quod jus in Carinthiam, & Carnioliam Stephanus habere potuerit, in obſcuro eſt, niſi forte id a Gertrude, avia ſua, repetierit. Certe Bela IV. an. 1263. apud Kercselich in additam. ad Notit. prælim. ad Periodum 3. pag. 508. jus in Carinthiam ad ſe pertinere, publico documento teſtatus eſt. Vidi autographum, & ſecundum critiria artis diplomaticæ id expendi, nullumque ſuppoſitionis veſtigium, licet forte errores genealogicos contineat, deprehendi. Sed videtur jus valde dubium fuiſſe, alioquin illud in privatum hominem, etſi de ſe optime meritum, vix transtuliſſet, aliquem tamen juris titulum regem habuiſſe, Ottocari ſolicitudo indicat.

c) Hinc liquet, in theſauro hoc, regni Inſignia in coronatione adhiberi ſolita, neutiquam, ſed domeſticum familiæ regiæ ſolum fuiſſe.

[redacted] neutra pars in ditione sua perfugas sinet con-
1271. sistere; si quid in limitibus utrinque avulsum fuisset, controversia arbitrio Strigoniensis archiepiscopi, & episcopi Olomucensis decernatur, denique pacis tabulas Pontifex auctoritate sua ratas habeat, & confirmet. *a*) Hactenus præcipua pacificationis capita. Quod autem mirum videri potest, nec unquam in Hungaria usitatum fuisse arbitror, exteri quoque Principes, qui nullam in hoc bello partem habebant, *b*) fœdere hoc comprehensi fuere. Forte Stephanus hac ratione, Ottocaro, cujus potentia in diuturno Imperii Romani interregno magnopere increverat, & formidanda evasit, frænum voluerit ponere, quo illius in grassando licentia coerceretur.

III.

---

a) Pactorum tabulas exhibet Raynaldus ad hunc annum N. 27. & 30. Item Pray annal. P. I. pag. 327. & Katona T. VI. pag. 546.

b) Ex his fuere Angelus Palæologus senior, & Andronicus junior Imp. & hic gener regis, item Svetislaus Imp. Bulgar. ex regibus, Philippus Francor. Carolus senior, & junior Siciliæ reges, hic quoque regis gener, & Urosius Serviæ, ex Ducibus Bouslaus Crac. & Lodom. alter Bouslaus majoris Polon. Henricus Bavar. Bela Bosniæ, Leo, Mitislaus & Vazul Duces, generi aut fratres improprie dicuntur.

III. Pacem, diffusa per regnum fames, & ex hac pestis consequuta, ingentem hominum, quibus bellum pepercerat, copiam absumsit, quorum corpora, ne auram vitiarent, temere, & sine justis funebribus, in fossas conjecta, *a*) eandem fere, quae a recepto Tartarorum erat, regni faciem intuentibus objecere. Rex, sive tristi hac suorum calamitate, sive ob confectam nuper, sed sibi parum honorificam pacem, animo æger, in optimo ætatis flore, tricesimo quarto nondum expleto, obiit. *b*) Filium reliquit Ladislaum, cui vivens adhuc Isabellam, alias Elisabetham, Caroli I. Siciliæ regis filiam despondit, eamque, ut moribus Hungaricis sensim consuesceret, nuptiisque matura, filio jungeretur, ad se accersiit. De Andrea ejus fratre ambigua in utramvis partem scriptorum sententia est. *c*) Certiores 1272.

a) Chron. Salisb. Stero, ad an. 1270. Paltramus ad an. 1271.

b) Chron. Claustro-Neoburg. Zwetlense, Leobien. ad an. 1272.

c) Eadem Chron. duos regis filios superstites memorant. Aliqui ex his Andream, præter Ladislaum, esse putant; alii contra latiore sensu sumunt, censentque, non alium ab illo esse, qui postea Andreæ III. nomine regno præfuit. Priori tamen opinioni favet Rudolphi Imp. ad Proceres Hung. epistola, ex editione Cennii, ubi

res ſunt filiæ, quas nuptiis, morem patris
1272. ſequutus, Principibus conjunxit, quos ex ditionum ſitu, Hungariæ, & huic adnexis provinciis, profuturos ob affinitatem ſperare poterat, Maria nimirum, ut alias memoravi, Carolo I. Siciliæ regi, Anna, Andronico, Michaelis Angeli Palæologi, Græcorum Imperatoris filio, *a*) & Eliſabetha, Stephano Serviæ Principi, in matrimonium collocatis. *b*)

LA-

ubi hæc: *inclytos Ladislaum regem Hung. & Andream Ducem Sclavoniæ, filios noſtros* (utrumque enim adoptaverat) *cariſsimos, forte fatalitatis humanæ, paterno orbos ſolatio* &c. alioquin ſi Andream III. germanum Ladislai fratrem intellexiſſet, mortuo Ladislao, non contuliſſet Hungariam filio ſuo Alberto in feudum Imperii Germaniæ, ut poſtea dicetur. Simon de Keza, qui ſub Ladislao hoc ſcripſit, addit ei fratrem Salomonem.

a) Pachymeres, l. 4.

b) Schier regin. Hung. pag. 227.

LADISLAUS IIII.

COGNOMENTO CHUNUS.

Ab anno 1272. — 1290.

I. Patris jussu, exacta infantia, a Muthmerio, Præposito Scepusiensi, viro morum probitate, & doctrina insigni educatus, *a)* sed in gynæceo diutius, quam par erat, detentus, pari facilitate virtutum, & vitiorum sementem concepit, quæ illum fere per omnem deinceps vitam, mutuo quasi inter se conflictu, in utramvis partem raptabant. Puer decennis *b)* regno admotus, & matris, ac Tutorum curæ creditus, litteras ad cives Tragurienses dedit, quibus eos ad fidelitatem adhortatur, additis minis, nec tempori, nec æta- 1272.

a) Car. Wagner, analect. Sepusii P. III. pag. 10.

b) Hanc ei ætatem tribuit Katona hist. Tom. VI. pag. 617. & IV. hujus nominis vocat, ego III. ut sigilli illius epigraphe testatur, quæ hæc est: *sigill. Ladislai. Tercii. Quarti. Stephani. Regis. Filii.* Firmant id litt. Andreæ successoris an. 1295. *exhibuerunt nobis privilegium D. Ladislai Tertii — quondam inclyti regis Hung. patruelis fratris nostri carissimi* &c. Hæc mihi fuit ratio, cur Ladislaum infantem, e regum numero omittendum censuerim.

ætati suæ admensis, a) quod prudentiam Tu-
1272. torum, quos cum populis subjectis, longeque
dissitis, lenitate potius, quam immodico im-
perio agere oportuit, vix quidem commen-
dat. Hoc, reor, in caussa fuisse, cur Gregori-
us X. veritus, ne tener regis animus, prava
aliorum consuetudine corrumperetur, gravi
epistola ei auctor fuerit, ut eorum consortia,
qui illum suggestione illecebrarum, & ex-
emplo, in transversum vellent agere, vita-
ret, nec aliis Consiliariis uteretur, quam
quos publici boni rationes privatis antepo-
nere videret; conjugem præterea sibi destina-
tam, ob soceri potentiam, amore complecte-
retur, hunc, & se, ubi usus ferret, ope, &
consilio adfuturos pollicitus. In eamdem sen-
tentiam, ad Episcopos, & Optimates Hun-
gariæ litteras dederat. b)

1273. II. Salutaribus his Gregorii monitis Otto-
carus intervenerat, bellum, violata fœderum
fide, Hungaris denuncians. Causa a Bela
Machoviensi Duce, qui conjugis Ottocari fra-
ter, & per Henricum Gissingensem (Német-
Ujvár) Comitem, ante ad Bohemos profu-
gum, nunc vero reducem, oborta rixa, cæ-
sus erat. Frustra illum nuncii ex Hungaria
miss-

---

a) Apud Lucium l. 4. c. 9. Pray P. I. pag. 333. & Katona Tom. VI. pag. 618.

b) Apud Raynald. ad an. 1272. N. 52.

missi pactorum, quæ cum Stephano regis patre, inierat, admonuere, frustra etiam Pontifex in eo pacando operam posuit. Hungari igitur manifestum jam hostem præveniendum rati, ipsa hyeme equitatum Austriæ, Stiriæ, & Moraviæ infuderant, cumque Carinthiam semel, iterumque populantur, spacium Austriis dedere, ut Jaurinum obsidione pressum, cum episcopo Quinqueecclesiensi caperent, cum Ottocarus interea ad Nitriam, mox transmisso Danubio, circum Leitham, Sopronio expugnato, fœde omnia igne, ferroque corrumperet. Jacturam Sopronii pensavit cum arce Posonium, quam Comes Egidius, ad Ottocarum prius deficiens, nunc in gratiam regis receptus, eidem restituit. Hostem adhuc in Hungaria hærentem, nuncium de Rudolpho Habspurgico, Imperatore renunciato allatum, eo vehementius perculit, quo magis ipse, missis ad Pontificem pecunia, & muneribus, hanc dignitatem se obtenturum speraverat, ut, quas interregni tempore provincias Bohemiæ adjecerat, jure Imperii, familiæ suæ perpetuas faceret. Dejectus hac spe rediit in Austriam, comperitque provinciales non obscure in Rudolphum inclinare, quæ animorum conversio magnas ei curas conscivit, auxitque, cum ab Imperatore ad Curiam sequente anno accerseretur. Vocatus venire renuit, & cum videret, se Austriis, & Stiris exosum esse, Vi- 1273. 1274.

en-

ennam operibus munivit, certus animi, vim,
1275. si hanc Imperator inferret, vi repellere. Rursum ad Comitia, datis induciis, Wirceburgum invitatus, venturum se negavit. Hac contumacia commoti Principes Imperii, communi cum Cæsare sententia, hostem publicum declarant, eique non modo Austriam, Stiriam, Carnioliam, & Carinthiam, sed Bohemiam quoque cum Moravia, contumaciæ causa abjudicant. a) Inde apparatus utrinque ad bellum facti, & Principes exteri, in armorum societatem vocati.

1276. III. Ottocarus, grave bellum sibi instare videns, Ladislaum opera Henrici Bavariæ Ducis, pacatum reddere, sibique conciliare studuit, nec spes nulla erat, illius in suas partes pertrahendi, quod utrique eidem affinitate conjuncti essent, verum & Cæsar Bavarum ab hoc pangendo foedere absterruit, & Ladislaus majorem jacturæ regni, quam affinitatis rationem habendam existimans, legatione ad Cæsarem missa, se ad ineundum cum eo contra Ottocarum foedus, non invitum fore, significaverat, modo conditiones, in quas facile utrinque consentiant, propone-

a) Chron. Austr. Leobien. Claustro Neob. Siffridus presbyter L. 2. Chron. Salisburg. annal. Calmarien. & Rudolphi Imp. L. 2. epistol. apud Hergott, ad dictos an.

nerentur. In ipso tractationis principio adhæsit fere negotium, quod rex præter eam 1270.
Hungariæ partem, quam Bohemus nuper avulserat, Stiriam quoque, confecto feliciter bello, reddi peteret, Cæsar autem hanc, velut feudum Imperii, averruncari posse, negaret. *a)* Brevi tamen difficultas superata, & fœdus in has leges sancitum est: amici, & hostes, utrique communes sint, neuter paciscentium invito, vel imprudente altero, inducias, aut pacem cum Ottocaro ineat; si quid controversiæ ob limites inter Hungariam, & Austriam, Stiriamve oriretur, ea utriusque arbitrio, sine altercatione, bello ex sententia confecto, finem accipiat. *b)* Videtur etiam de sponsione matrimonii inter Andream, regis fratrem, & Rudolphi filiam, transactum fuisse. *c)* His ju-

a) Rudolphi epist. ex edit. Cennii N. 7. cujus initium: *regalibus vestris litteris nuper culmini nostro directis.*

b) Ibid. epist. 35. & 36. hoc initio: *ordinator boni consilii* &c. in fine: *nec unus sine alterius beneplacito, & consensu, cum prædicto rege pacem, vel concordiam celebrabit* &c.

c) Sponsus tamen postea nuptiis præmortuus est, ut videor mihi non vane conjicere ex epistola Rudolphi ad regem data, quæ apud Cennium est N. 41. *Licet*, inquit, *dilectus nobis quondam N. illustris filiæ nostræ sponsus, ut di-*

[redacted] juramento utrinque firmatis, Cæsar copias in
1276. Austriam duxit, & Ladislaus ad regni fines excubabat, in omnem partem, cum opus esset, auxilium laturus. Ottocarus, viso hoc apparatu, cum vereretur, se undique premendum esse, & pleræque urbes Austriæ, advenianti Cæsari se dederent, non ausus, rem prælio experiri, in Bohemiam recessit, & Vienna a Cæsareis occupata, pacem amplecti coactus est. Ad hanc conciliandam arbitri utrinque, qui conditiones ex æquo librarent, delecti sunt; a Rudolpho Ludovicus Rheni Palatinus, cum Wirczburgensi episcopo; ex Ottocari vero parte, Otto, Marchio Brandenburgensis, & episcopus Olomucensis, qui habita deliberatione in has conditiones coaluere: Ottocarus Austriam, Stiriam, Carinthiam, & Carnio-

dicitur, cursu, proh dolor! nimis præpeti metam transiverit brevis vitæ, nostræ tamen societatis, & amicitiæ vobiscum initæ fundamentum immobile, dum vixerimus, permanebit. Novo documento, fuisse Ladislao fratrem germanum Andream, qui an. 1277. videtur in prælio obiisse; nam an. sequente exstant litt. Joannis Magistri Tavernicorum, qui nomine Andreæ Ducis Sclavoniæ, postea regis, hujus nominis III. populos Eccl. Veszprimien. a jurisdictione Comitis Curialis eximit. *Dat. in Koszko in Octav. Pentecostes.*

niolium, item Marchiam Vindicam cum portu Naonis, quin sibi ullum deinceps jus in eas arroget, Cæsari consignabit, hic vicissim, Ottocaro Bohemiam, Moraviam, & quæ illius decessores in Imperio Romano alias legitime possederant, jure beneficiario conferet, & ut concordia firmior sit, Cæsaris filio filia Ottocari, hujus autem filio Cæsaris filia Juditha despondereturi *a*) Quod ad Ladislaum fœderis socium attinet, huic Ottocarus, quidquid armis ex Hungaria avulsit, bona fide, & citra cunctationem restituet: *b*) reddet etiam thesaurum regium, duas nempe coronas aureas, 1276.

tot-

a) Laudum concordiæ apud Leibnitz, Mantissa cod. juris gent. diplomatici P. II. pag. 100.

b) Ibid. N. 11. *Item pronunciamus arbitrando, quod illustris rex Hung. cum suis quoad plenum amicitiam cum domino rege Boh. ac suis præsenti concordiæ, & amicitiæ, specialiter includatur, quod, quidquid de castris, munitionibus, juribus, possessionibus, & hominibus regis Hung. tenet, vel possidet dominus rex Boh. sive sui, sine difficultate qualibet restituat, & dimittat libere absoluta, nec deinceps eum impediat in eisdem, & hoc idem pro rege Boh. & suis, per regem Hung. & suos, sine captione qualibet observandum, salvis utriusque regum, terrarum suarum limitibus, & terminis, sicut ab antiquo tempore sunt distincti.*

totidem sceptra, vas quoque, auro, & gemmis ornatum, aliaque clenodia, quae ad domesticum regiae familiae thesaurum pertinent, & olim per socrum Ottocari subrepta, in Bohemiam ablata erant. a)

1277. IV. Verum concordia, ut coacte inita, sic minime diuturna fuit. Ottocarus partim amissorum dolore, partim ambitiosae socrus querelis motus, pactis non stetit, & filiam, Caesaris filio desponsam, in monasterium retrusit, ac vel invitam apud Moniales religionem illarum profiteri coegit. Hac perfidia irritatus Caesar, arma resumsit, partemque eam Austriae, quam dotis nomine, si matrimonium cum filia Ottocari coalesceret, eidem permiserat, in potestatem redegit. Inde bellum animo complexus, ut Hungaros sibi rursum sociaret, regem, datis simul ad regni Proceres litteris, b) ad congressum mense Novembri, invitavit. Convenere ambo Heimburgi in Hungariae, & Austriae limitibus; ibique foedus pristinum iisdem conditionibus instauratum, & Caesar, ut gratum animum ostenderet, regem cum Andrea fratre, sibi filios ad-

a) Chron. Austr. plenius, ad an. 1276.

b) Epist. Caesaris, hoc initio: *quod illibatae fidei vestrae*: apud Hergott, vol. 3. Tom. II. P. II. p. 482.

adoptavit, a) qui vicissim, quam Cæsari pepigere fidem, anno sequente, cum discordia in apertum bellum eruperat, re ipsa præstitere. Prior Ottocarus, collectis ex Russia, Polonia, Silesia, Misnia, & Pomerania auxiliariis, castra in Austriam promovit. Cæsari paucæ tunc copiæ aderant, sed, dum Bohemus in obsidendis oppidis tempus terit, supplementa interim ex Stiria, Carinthia, Salisburgo, ex Tiroli, & Goritia aderant, quibus Ladislaus viginti Cumanorum millia addidit, mox ipse majore numero suorum consequutus; transmisso Morawa fluvio, Cæsari, qui Danubium ad Heimburgum trajecerat, se conjunxit. Prælium, quod in hostis viciniâ, jam evitari non poterat, brevi collatis signis, magno utrinque ardore coeptum, diu tenuit, tandem victi Bohemi, & Ottocarus, dum aciem instaurare satagit, fortiter occumbens, vitæ, & bello finem fecit. b) Rudolphus, ne Cumani a prælio spoliorum causa cum Germanis ad manus venirent, Ladislao ob præstitam eo 1278.

a) Ejusd. epist. quæ inchoat, *plurimis parentelæ conjunctio*: apud Cenni, N. 19. & Chron. Austr. plen. ad an. 1277.

b) Compilatio Boica, & Chron. Bavar. apud Oefelium Tom. I. pag. 239. & Tom. II. pag. 688.

bello operam, gratias habuit, eumque laudibus cumulatum ab se dimisit. *a*)

V. Reversus, bene in pugna meritos large remuneratus est, magis tamen in Cumanos, quam Hungaros munificus. Sive sponte sua, sive matris precibus inductus id fecerit, Hungari videntes, sibi illos identidem præferri, regemque familiarius, quam par erat, cum illis agere, esseque periculum, ne sensim etiam animum Cumanis feminis applicaret; veritique, ne tædio conjugis captus, & pellicum amore irretiendus, curam reipublicæ poneret; inito cum episcopis consilio, Pontificem periculi admonuere, qui, ne malum ipsa mora vires sumeret, Philippum Firmanum episcopum, legati munus in Dalmatia obeuntem, in Hungariam proficisci jussit, cujus prudentia, & lenitate, rex sensim meliora amplexus, vitata Cumanorum consuetudine, in gratiam cum conjuge rediit, fidemque suam juramento obstrinxit, daturum se operam, ut Cumani, qui sacris Christianis nondum essent initiati, hæc deinceps amplectantur, &, ut offensionis causa inter hos, & Hungaros tolleretur, in destinatis locis, inter Danubium, Cassiam, & Tibiscum, fixa domicilia ha-

1279.

a) Epist. Rudolphi ad Nicolaum III. Pont. & archiep. Salisburg. apud Hergott, l. cit. pag. 483. & 84.

haberent, redderentque bona fide, quæ aliis, præcipue Nobilibus rapuissent, tum, si quæ lites inter suos orirentur, has regni Palatinus, quemadmodum jam olim regis avus, Bela IV. constituisset, ordinarius illorum judex dirimeret: ad quæ servanda cum ipsi Cumanorum Principes communi suorum nomine, datisque obsidibus, sponte se obstrinxerant, tum Ladislaus, si illi pactis non starent, vim se adhibiturum pollicitus erat; quæ quidem, ut illis majus robur adderet, indictis eodem anno Comitiis, publico decreto firmavit. a) Legatus hac regis benevolentia usus, synodum episcoporum Budam concivit, ut, si quæ fortassis in cultu religionis, & disciplina Ecclesiastica essent labefactata, sarciret. Sed, cum in hoc totus est, & Patres in communi consultant, ac decreta condunt, b) rex, incertum a quo subornatus, ratusque aliquid adversum se, juraque sua regia agi, Budensibus gravi interminatione præcepit, ne quid alimoniæ in urbem inferri, nec quemquam, egredi, ingredive paterentur, Legatus synodum solvere coactus, c) Posonium se interim con- 1279.

 tu-

a) Pray Tom. I. pag. 343. & Dissertat. 7. in annal. vet. pag. 115.

b) Constitutionum Synodi hujus breviaria exhibet Raynaldus ad an. 1279. & Katona Tom. VI. pag. 812.

c) Ladislai litt. apud Pray. Tom. I. pag 349.

tulit, donec rex errorem dedoctus, pacatior redderetur.

1280. VI. Nec ſpes Legatum fefellit. Rex enim, ut erat pro ætatis indole in quamvis partem flexilis, hortatu Pontificis, Rudolphi item Cæſaris, & Caroli Siciliæ regis, ſoceri ſui monitis, in ſe rediens, Legatum porro etiam officio ſuo libere fungi paſſus eſt, multaque Eccleſiis beneficia contulit, quæ mutati in melius animi indices eſſent. *a)* Præcipue autem, quod Legato ſe facturum promiſerat, Cumanos ad ea, quæ ipſi ſpontanee pacti erant,
1281. ſervanda, cœpit adſtringere. Verum præcipua illorum pars, ſeu mori Nomadum conſuefacti, certis ſedibus ſe affigi ægre paterentur, ſeu ritus avitos nollent relinquere, conſilium priſtinas ſedes repetendi, inter ſe inierant. Jamque iter, Oldoino duce, erant ingreſsi, cum rex de ſeceſsione certior factus, collectis ſubito copiis, fugitivos in Tranſil-
1282. vania, non longe Claudiopoli conſequutus, inito prælio vicit. *b)* Pars ad Tartaros *Neugarios*, ve-

---

a) Raynaldus ad an. 1280. Kollár hiſt. diplomat. juris patron. pag. 181. Katona hiſt. Tom. VI. pag. 834.

b) Litt. regis an. 1285. *in expeditione noſtra, quam in Houd habuimus contra Cumanos, qui auſu temerario contra noſtram inſurrexerunt majeſtatem* &c. Et litt. an. 1288. *cum pro re-du-*

verisimiliter *Noagenses* evasit, pars intercepta, domumque reducta, a) servitutem deinceps subire coacta est, b) ceteris, qui domi restiterant, nec ullam cum iis partem habebant, libertas, qua prius fruebantur, permissa. Rex victoriæ nuncium, cum adhuc in castris esset, ad conjugem misit, c) & redux, curam rei 1283.
publicæ tam sacræ, quam civilis, diligentius, quam ante, complexus, quorum jura, ut fit, cum res domi non satis pacatæ sunt, læsa erant, in integrum restituit, præclare de se, & regno meritos beneficiis affecit, aliaque, quæ ad communem omnium securitatem pertinebant, & aliis ad contestandam regno, si-

 bi-

ducendis Comanis, qui clandestine de regno nostro auffugerant, — accessissemus &c.

a) Abhinc videntur ad hanc plagam, quam hodie colunt, traducti, & iis, qui in fide manserant, subjecti fuisse.

b) Keza in fine Chron. Ms.

c) Litt. reginæ an. 1284. *Cum Ladislaus, illustris rex Hung. consors noster carissimus, contra perfidiam, Majestati regiæ renitentem, manu processisset armata, eorumque proterviam — in campestri prælio — contrivisset, nobisque annunciationem victoriæ, in signum specialis gaudii, per Lucatsium, juvenem nostrum, in acie regia militantem sublimitas regia nunciasset, &c.*

biique fidem, incitamento essent, præstitit. *a*)
1284. Nec defuisset illi fortasse in cœpto constantia,
si vel firmiore fuisset animo, vel Cumanas
gynæcei materni vitare scivisset, quarum con-
suetudine, ac illecebris irretitus, curam rei
publicæ sensim negligere, ac demum in po-
stremis habere cœpit, nec illum ab his amo-
1285. ribus Tartari, qui a Cumanis nuper transfu-
gis subornati, Hungariam usque Pestinum fœ-
de populabantur, avocare poterant, &, nisi po-
pulus sponte coortus, palantes internecione
delesset, *b*) miserrima Hungariæ conditio fu-
tura erat.

1286. VII. Obtorpuit ad hæc Ladislaus, Cu-
manarum amore jam captus, cumque sensim
tædio conjugis teneretur, hanc, ne suis de-
liciis importuna intercederet, defuncto nuper
socero, quod eo vivo ausus non erat, carceri
apud moniales in insula Budensi inclusit. *c*)
In-

---

a) Vide hæc apud Wagner Diplomatar. Comit. Sáros. pag. 193. & Katona Tom. VI. pag. 878. &c.

b) Sterq, & Chron. Austr. plenius ad an. 1285.

c) Litt. reginæ an. 1289. quibus donationem facit Nobilibus de *Uzd*. *Meritoriis servitiis — in nostri memoriam revocatis, quæ, dum non nostris meritis exigentibus, sed ex iniqua suggestione æmulorum nostrorum, apud Ecclesiam B. M. Virginis de insula Budensi, per illustris-*
si-

Indigno hoc facinore, cum domi, tum foris se despicabilem reddidit, & vicini desidia illius usi, vicinas provincias juris Hungarici carpebant. Urosius Serviæ Despota, Ducatum Machoviensem sibi asseruit; Veneti Dalmatiæ, cui semper inhiabant, aliquot urbes interceperant. *a*) Nec domi res meliore loco fuere, ut quisque erat potentior, ita alios opprimebat, præsertim, qui longe ab aula positi, limitibus regni præerant; ante alios Ivanus Comes Gissingensis, Albertum Ducem Austriæ, ad infestandam Hungariam pertraxit. 1286
b) Proceres, quibus res publica cordi erat, & regem a mulierum consortio abstractum cupiebant, opem, quæ in tanto regis torpore domi non erat, ab Honorio III. implorabant, qui, etsi graves propterea ad eum litteras dederit, *c*) operam tamen lusit. Altiores jam radices malum egerat, quam, ut tam leni manu evelli posset. Frustra etiam Nicolaus, Honorii successor, anno sequente conatum adhi- 1287.

---

simum Principem, dominum regem Ladislaum, consortem nostrum carissimum, in ergastulo carceris inclusæ fuissemus indigne, & per spacium non modici temporis detentæ, nobis impenderunt, &c.

a) Du Fresne de famil. Dalm. & Sclav. p. 159.

b) Chron. Ms. Claravall. ad hunc an.

c) Pray Tom. I. pag. 356. ex Raynaldo.

hibuit, scripsitque hac de causa ad Lodome-
1288. rium, Strigoniensem archiepiscopum, eique in mandatis dedit, ut, si rex non aliter ad officium revocari posset, cruciatam expeditio-
1289. nem per regnum promulgaret. *a*) Confluxerant ad signa magno numero, sed, ut temere collecta, & incondita multitudo modum raro tenere solet, rapinis, & cædibus promiscue grassabantur, fere similem, ut nuper a Tartaris factum, calamitatem regno invecturi, nisi rex querelis undique allatis, e veterno experrectus, litteras per Comitatus vulgasset, quibus erratorum veniam omnibus, qui arma ponerent, vel seditiosis se non sociarent, concessit. *b*) Accessit aliud quoque,

---

a) Id. ibid. pag. 357. ex eod.

b) Litt. Ladislai. *Assecuramus universitatem vestram per præsentes super eo, quod quicunque vestrum ab his, qui contra nostram procedunt majestatem, se retraxerit, & nobis fidelitatem observaverit, — omnes excessus vestros indulgebimus, & remittemus. Dat. in Borecha, fer. 6. post festum OO. SS.* 1289. De captiva regina id hoc loco addendum, inde Dlugosso hist. Pol. l. 7. probabiliter occasionem esse datam, ut, regem cum regina, prolis tollendæ causa, custodiæ a Proceribus regni traditum scriberet.

que, iſto non levius, malum ab eo, quem paulo ſupra memoravi, Ivano Comite, qui 1289.
etſi olim fœdus cum Alberto Auſtriæ Duce inierit, violata tamen fide, cum fratre ſuo, epiſcopo Veſzprimienſi, aliisque, qui in partem prædarum vocati erant, ſpolia, & rapinas ex Auſtria, & Stiria agebat. Albertus, ut perfidiam hominis, & raptorum licentiam caſtigaret, citius, quam illi rebantur, armatus eis incubuit, victosque, & cæſo epiſcopo, ex Auſtria exegit, tum, Sopronio, & Ginſio interceptis, totum eum tractum, qui a Neoſtadio ſecundum montes Stiriæ porrigitur, in poteſtatem redegit. *a*)

VIII. Nihil ad hanc Hungariæ avulſam 1290.
partem moveri viſus Ladislaus, deſidiæ, ac voluptatibus litans, *Eduæ* concubinæ lenociniis præcipue irretitus, cumque nec modum in vaga licentia teneret, ipſisque adeo Cumanis propterea inviſus eſſet, de eo e medio tollendo conſilium iniere. Negotium patrandi ſceleris tribus primipilis, *Arbuz*, *Turtule*, & *Kemenche*, datum, qui regem ad caſtrum *Keres-zeg*, forte fortuna divertentem, noctis ſilentio aggreſsi, vulneribus confoſsum oppreſſerunt. Corpus Chanadini primum, poſtea

Va-

a) Chron. Auſtr. plenius ad an. 1289.

[redacted] Varadini conditum est. a) Hic exitus fuit regis, ab amoribus in Cumanas Chuni nomen
1290. adepti. b) Periit in optimo ætatis vigore, nondum enim vicesimum, & octavum annum exegerat, dubium relinquens, utrum virtutes, an vitia potiores in eo partes habuerint. Sæpe illum resipuisse, & non modo in res sacras, sed in cives etiam bene meritos, fuisse liberalem, documenta sane multa produnt, sed hujusmodi benefacta, indicium quidem sunt munificentiæ, non item vitii a radice correcti. Supplicium ex *Edua* concubina, quæ utilius antea a regis consortio amovenda erat, & percussoribus gravissimum, ac prope inhumanum, judicio Palatini sumtum est. *Arbuz* bifariam divisus, *Turtule* membratim concisus, omnisque cognatio exstirpata, ne infantibus quidem in cunis parsum. c)

AN-

---

a) Chron. rer. Boicar. apud Oefelium Tom. II. pag. 339. similia Chron. Austr. plen. Thurocz Chron. P. II. c. 81.

b) Kerchelics Notit. prælim. in addit. p. 512. id nomen ei a devictis crebro Cumanis, non item ab amore in Cumanas mulieres, inditum putat. Quam vere, non video, cum facta aliud testentur, nec quam illi struit, apologia, satis veritate nititur.

c) Chron. Budense ad Not. Thuroczii cap. 81.

ANDREAS III.

Ab anno 1290. — 1300.

I. Huic, quod patre Stephano, Andreæ II. posthumo, & matre Thomasina Maurocena editus esset, velut postremo ex stirpe Arpadiana sanguinis virilis surculo, jus proximum ad regnum fuit. Hac de causa Ladislaus, postquam nullam hæredis spem haberet, & Andreas, frater illius germanus, morte fuisset præreptus, illum jam antea Venetiis accersiverat, *a*) eumque Ducatui Sclavoniæ præfecit, ut sibi ab obitu suo succederet, & jus familiæ regiæ ad posteros propagaret. Multa tamen illi obstacula prius superanda erant, quam regni possessionem adiret, sibique firmaret. Invitato enim ad peragendam coronationem, cum ex Sclavonia movet *b*) factiosi insidias in 1290.

a) Schier regin. Hung. ad an. 1278. pag. 227. De conjuge illius, Clara Euphemia, Alberti II. Goritiæ Comitis filia, opportunior locus alibi erit. Vid. etiam Schmitt epist. Agrien. pag. 230. & Katona Tom. VI. pag. 758. de Ducatu Sclav.

b) Fabulam redolet, quod aliqui in litteras retulere, Andream, ut insidias Alberti Ducis Austriæ vitaret, monachi veste indutum, Vienna in Hungariam ad capessendum regnum evasisse,

in itinere struxerant, quibus feliciter vitatis,
1290. coronam, ad actum coronationis vetere instituto necessariam, per vim retinebant. *a)* Hac quo-

a) Litt. Andreae an. 1293. IV. Id. Jan. *Cum domino rege Ladislao, fratre nostro infeliciter interemto, in regiminis solium — successissemus jure & ordine geniturae, & coronari apud Albam regalem, prout moris est, corona, & diademate sanctissimi regis Stephani voluissemus, & quidam, regiminis, & coronationis nostrae, aemuli primitus insidias latenter, & demum in patulo, ne ipsa corona sancti regis tempore coronationis nostrae dari nobis possit, & ut nostri regiminis autoritas, & salutis exordium regnicolarum differretur, posuissent,* &c. In aliis litt. an. 1292. insidias sibi a Joanne, Henrici Bani filio, structas memorat. Si in Joanne lateat Ivanus, de quo alias mentio facta est, tunc ea, quae Schier in regin. pag. 239. de Fenenna Andreae in matrimonium ab eo data, memorat, vix quidem locum habere possunt. Insidias regi structas regina paulo magis explicat in litt. ejusdem an. & diei. *Fenenna, &c. nos itaque consideratis — meritis ipsius Magistri Theodori Praepositi (Albensis) — cum in partibus transdravanis una cum domino nostro rege fuissemus, & — per violentam detentionem quorundam Baronum carissimus dominus rex noster fuisset impeditus, idem Magi-*

quoque extorta, vix ritu solito coronatus erat, cum impostorem subornarunt, qui se Andream Ladislai fratrem mentiretur, *a*) regnumque ei dubium redderet. Sed, hoc etiam cum complicibus in ordinem redacto, gravius a Rudolpho Cæsare periculum imminebat, qui, quamprimum de cæde Ladislai edoctus erat, Hungariam filio suo Alberto, feudi nomine obtulit, idque, ut constitutioni suæ majus robur 1290.

---

gister Theodorus — ab omnium irruentium & furentium voie omnia bona, & specialiter, vasa aurea, & argentea regalia, & preciosissima indumenta domini nostri regis, & nostra defensavit, & nobis — restituit integraliter. — Ceterum, dum in ipsa detentione idem dominus noster rex, diutius vexatus fuisset, idem Theodorus Præpositus, ut ipsum dominum regem ab eadem detentione eripere posset, tres nepotes suos, & — Comitem Ladislaum, unicum fratrem suum uterinum pro obside reliquit, gravibus catenis ferreis constrictum, loco domini nostri regis &c.

a) Litt. regis, apud Katona Tom. VI. pag. 1023. *Cum nos, Deo propitio, jure, & ordine geniturae in solium — regni Hung. fuissemus sublimati, & quidam, qui se Ducem Andream nominabat, adjunctis sibi perversitatis suae sociis — contra nostram regiam procedere niteretur majestatem* &c.

bus adderet, Imperii Principibus significavit.
1290. a) Simul aliis litteris b) caussam, qua ad id inductus esset, reddidit. Belam nimirum, se spectante, Hungariam, cum Tartari regnum ... im-

a) *Rudolphus — universis S. R. I. fidelibus gratiam —. Licet regalis benivolentiam ad universos R. I. Principes extendere largiflue teneamur, maxime tamen naturæ dictante stimulo, nostram prolem propriam, bene meritam dignamur prævenire gloria, & honore. Ad hoc itaque habito respectu, regnum Ungariæ, quod nobis, & Imperio, per mortem quondam Ladyzlai regis, vacare dinoscitur, cum suis fluminibus, terris, castris, civitatibus, oppidis, villis, possessionibus, juribus, nec non attinentiis universis, & omni eo jure, quo idem regnum prædictus rex Ladyzlaus dinoscitur tenuisse, illustri Alberto, Duci Austriæ, Principi, & filio nostro carissimo, titulo feodali, a nobis, & Imperio, perpetuo possidendum, ex regia munificentia, de Principum & Baronum Imperii consilio, concedimus, & donamus. In cujus rei testimonium hanc paginam conscribi, & nostræ majestatis sigillo jussimus roborari. Datum Erfordiæ, pridie Kal. Septembr. anno Domini M. CC. nonagesimo. Indictione III. regni vero nostri anno XVII.* Ex autogr. Tabularii Aulici Viennen.

b) Has vide ad an. 1241. N. III.

invaſerant, Friderici Imperatoris clientelæ, præſtito *homagio* obtuliſſe, proinde æquum eſſe, ut jus, Imperio Romano aſſertum, tueretur. Nec Albertus Dux Auſtriæ in eo perſequendo ſegnior, arma Hungariæ ipſa hyeme intulit, & caſtrum ſancti Viti, reliquæ portioni, quam alias regno decerpſerat, adjunxit. *a*) 1290.

II. Sed juri huic, quod partim non impleta per Fridericum conditione, *b*) partim ſuperſtite legitimo regni hærede Andrea, nullum ceteroqui erat, Nicolaus IV. Pontifex intercefsit, ratus, Hungariam ad ſedem Romanam pertinere, idque non ſolum Rudolpho, & Alberto per litteras ſignificaverat, ſed ſuum quoque Legatum, epiſcopum Aeſinum, ne quod præjudicium ſedi Romanæ inferretur, juſsit intercedere, *c*) reprehenditque Strigo- 1291.

a) Chron. Auſtr. plen. ad hunc an.

b) Confer N. III. ad an. 1241.

c) Raynaldus ad an. 1291. N. 45. 46. & 47. item Dobner Monument. Tom. II. pag. 376. ubi inter reliqua hæc Pontif. verba reperias: *eis* (Rudolpho, & Alberto) *inſimul, vel disjunctim, ex parte noſtra expreſſe, manifeſteque denuncies, prædictum regnum* (Hung.) *ad Romanam Eccleſiam — pertinere, noſtro, & ipſius Eccleſiæ nomine, publice proteſtans, ut ipſi, vel eorum alter, jura quælibet in regno ipſo, ad nos, & Eccleſiam prædictam ſpectantia, quo-*

gonienſem archiepiſcopum, quod, quæ a cæde Ladislai contigerant, ad ſe non perſcripſiſſet, addito mandato, denunciaret regni Ordinibus, regnum, cæſo Ladislao, ad ſedem Apoſtolicam eſſe devolutum, neve jus hoc deinceps in controverſiam vocaretur, duo documenta ad faciendam fidem conderet, quorum alterum apud ſe ſervaret, alterum Romam transmitteret. *a*) Hæc Pontifex in favorem Caroli Martelli, quem Hungariæ regem dare conſtituerat. Verum nec archiepiſcopus rerum patriarum magis, quam Pontifex, gnarus, morem ei gerendum putavit, quin eos etiam, qui fidelitatem regi præſtare nollent, ſacris interdixit, *b*) nec Rudolphus a propoſito aſſerendi in Hungariam juris deſtitit, ſed ne ſanguinis ſolum rationem habere videretur, ita illam inter filium Albertum, & Bohemiæ regem dividi cupiebat, ut Danubius

1291.

quoquo modo uſurpare, occupare, vel invadere non præſumant, aut in noſtrum, & ejusdem Eccleſiæ præjudicium, & gravamen aliquid attentare, &c.

a) Litteras Pontificias in hoc genere exhibet Katona per extenſum pag. 1036. — 1056. quo Lectorem remitto.

b) Id patet ex epiſt. Bonifacii VIII. ad annum 1299.

tus inter utrosque limes esset. a) Conatus tamen hos Cæsaris mors interrupit, b) & Alberto plus negotii apud Stiros, qui jura sua acriter tuebantur, obortum est, c) quam ut spem obtinendæ Hungariæ prudenter sustentare posset. 1291.

Andreas interim rebus domi compositis, & de fide provinciarum suarum securus, cum videret minus sibi a Pontifice, quam Alberto, periculi imminere, in hunc, collecto octoginta millium exercitu movit. Limitibus appropinquans, missis nunciis, animum illius exploravit, utrum, quæ ex Hungaria avulserat, nec ne vellet restituere? illo negante, nihil moratus, transmisso Leitha fluvio, omnem eum terræ tractum, qui inter Neostadium, & Viennam jacet, depopulatus, ipsam Viennam obsidere parabat, cum in gratiam, agenti-

a) Epist. Decani incerti ad episcopum Ratisbonen. apud Pez Cod. diplom. hist. P. II. pag. 204. *Opinabilia nova per patriam susurrantur, quod videlicet rex Romanorum, regnum Ungariæ, illustribus Principibus, regi Boh. & Duci Austriæ, foedaliter contulerit pro diviso, sic, ut meatus Danubii, limes esse debeat regionum* &c.

b) Inscriptio sepulcralis monumenti apud Albertum Argentinen. refert *an.* 1291. *pridie Kal. Octob.*

c) Gerardus de Roo. l. 1.

tibus Hungariæ episcopis, cum Duce, ea con-
1291. ditione rediit, ut, quas urbes regno ademerat, bona fide restituat, captivi utrinque liberi gratuito dimittantur, Ivani autem Comitis Gissingensis castra, ex quibus modo in Austria, modo in Hungaria, ut spes melioris rapinæ erat, prædas solebat agere, ne alteruter novam belli occasionem posset sumere, solo æquentur. *a*)

1292. III. Post confectam cum Alberto pacem, quem credibile est, æquitate causæ permotum, juri quoque in Hungariam, quod ei pater tribuerat, renunciasse, nec enim quidquam propterea deinceps movisse legitur, novum regi periculum ex Sicilia præter opinionem imminebat. Maria defuncti Ladislai soror, Carolo Claudo regi Siciliæ nupta, videns Hungariam a pluribus ambiri, eosque, ad eam obtinendam, varios juris titulos prætexere, ne ipsa sibi deesse videretur, jus suum, quod propinquiore, quam Andreæ regis, nexu sanguinis, ad se pertinere putabat, in filium suum, Carolum Martellum, Principem Salernitanum, editis tabulis transtulit. *b*) Nec ab-

a) Chron. Aust. Mellicen. Claustroneoburg. & Austr. plenius ad hunc an.

b) Apud Rousset, supplem. au corps diplomat. Tom. II. P. II. pag. 158. Regina, enarratis, quæ post cædem regis Ladislai contigerant, sic

abnuit Pontifex, cujus favore subnixus Martellus, & a Legato Pontificis corona inoin- 1292.
G g 3 ctus,

sic prosequitur. *Volentes ejusdem regni* (Hung.) *statum providere, sive successionis, sive consuetudinis, sive electionis, sive quocunque alio jure, vel modo id competere dignoscatur, Carolum primogenitum nostrum, Salernitanum Principem — ad ejusdem regni Hungariæ sedem, & regimen, ac in ipsius regni regem — eligentes, ac præeligentes, regnum ipsum Hungariæ, cum hominibus, vasallis, honoribus, dignitatibus, Principatibus, marchionatibus, Ducatibus, Comitatibus, Baroniis, civitatibus, castris, villis, insulis, planis, montibus, aquis marítimis, juribus, jurisdictionibus, meri mixtique imperii, & gladii potestate, nec non servitiis, tributis, rationibus, & pertinentiis suis omnibus, tam intra, quam extra regnum ipsum, ad idem regnum spectantibus, prout prædictus frater, aut alii prædecessores nostri — tenuerunt, vel tenere debuerunt, — eidem Carolo, & ejus hæredibus ex ipsius corpore legitime descendentibus, — de mera liberalitate, speciali gratia, & materna charitatis affectu, concedimus, donamus, & tradimus &c. Actum Aquis — anno Incarnationis M. CC. nonagesimo II. die 6. Jan. V. Indict.* Integre exscriptum documentum vide apud Katona, Tom. 6. pag. 1084.

ctuis, per Siciliam, & Italiam, rex Hungariæ
1292. habebatur. *a)* Andreas videns, sibi novum æmulum parari, ut ejus conatum præverteret, ante omnia maritimas provincias, ad quas facilis ex Sicilia trajectus erat, & quas Martellus clam ad defectionem solicitare nitebatur, in fide conservare, & beneficiis sibi addictas reddere studuit, *b)* si quod autem discrimen ex parte continentis sibi, & regno ingrueret, necessariam sibi quoque, ad vim propulsandam, exterorum Principum amicitiam videbat. Itaque cum rege Bohemiæ,
1293. & Duce Austriæ; quibus Bavariæ quoque Dux, & Salisburgensis archiepiscopus se adjunxerant, fœdus iniit, quo sibi vicissim, si res posceret, opem ferre receperant, primusque omnium Andreas Duci Austriæ, contra Adolphum Imperatorem auxiliares copias ex pacto conjunxit. *c)* Hæc regis promtitudo, qua

a) S. Antonin. III. P. Tit. 20. item testamentum regis Caroli Claudi apud Leibnitz, Cod. jur. gent. fol. 53. ubi hæc: *item relinquimus jure institutionis, Carolo nepoti nostro, primogenito, quondam primogeniti nostri, regis Hungariæ* 2000. *unciarum auri.*

b) Farlati Tom. III. pag. 294. Lucius l. 4. pag. 302. & Kerchelics hist. Eccl. Zagrabien. p. 94.

c) Hist. Austral. apud Freher. Tom. I. pag. 481. & Volcmarus apud Oeffelium Tom. II. p. 536.

qua Duci, ad tuendas suas ditiones in Sueviam ituro, suppetias miserat, hunc a Martelli partibus, licet hic sororem illius Clementiam, conjugem haberet, facile abstraxit, cum ab Hungarorum societate, & vicinia plus commodi rebus Austriacis, quam ab affine longe remoto, accedere posse videret.

IV. Nec Martellus sibi defuit. Romam cum patre profectus, a Cælestino Pontifice, qui Nicolaum IV. hujusque de Hungaria sedi Apostolicæ obnoxia rationes sequutus erat, rursum coronatus est, satis sibi consultum existimans, quod jus in Hungariam a matre collatum, alter quoque Pontifex ratum habuisset. Etsi hæc quidem Andream, qui regnum jure successionis hæreditariæ niti, non item ad Pontificum collationem pertinere sciret, parum moverent, veritus tamen, ne id rebus suis domi, forisque aliquando obesse posset, rationem, qua & juri regio, & Pontificis auctoritati consuleret, secum inibat, cum ei hanc curam sequente anno Martellus peste exstinctus, a) exemit. Maritum paulo post conjux quoque sequuta est, Clementia, Rudolphi Imperatoris filia, cujus gratia Marchionatum Provinciæ, & Comitatum *Folcalquir*, alias *Forum Neronis*, Carolo Claudo Siciliæ re-

1294

1295

a) Lucius l. 4. c. 10. & Madius apud Schwandtner scriptor. rer. Hung. Tom. III. pag. 638.

gi, jam quinquennio ante, novo donationis
1296. titulo confirmaverat. *a*) Clementiæ non diu superstes fuit Fenenna, *b*) Andreæ regis conjux, unica filia Elisabetha post se relicta. Rex, qui mascula prole hactenus carebat, de successore, & stirpe regia conservanda sollicitus, secum deliberabat, quam conjugem, quæ & regno ob parentelam emolumento, & tollendo hæredi opportuna esset, deligeret. Præ ceteris, Agnes Alberti Ducis Austriæ filia, spem prolis polliceri videbatur. Hanc, simul ac petierat, impetravit. Dote, *c*) quadraginta millium marcarum argenti a patre constituta, rex vicissim Comitatum Posoniensem, & Cituorum insulam, nuptiarum causa, sponsæ donavit, & sequente anno publicis ta-
1297. bulis confirmavit, *d*) cum paulo ante triginta, & octo Imperii Principes, inter quos, præter Wenceslaum regem Bohemiæ, Mogun

---

a) Anno nempe 1280. V. Cal. April. apud Leibnitz, Cod. jur. gent. in prodromo; pag. 20.

b) Erat Zemomisli Cujaviæ Ducis filia, teste Suntheimio apud Oeffel. Tom. II. pag. 630. firmatque ipsum reginæ sigillum an. 1291. cum hac epigraphe. *S. Fenenne. Dei. Gracia. Filie. Zemo* — cetera extrita erant.

c) Murerus apud Schier regin. Hung. pag. 240.

d) Diplomatar. Stiriæ, inter Seccoviensia N. 129. apud Pray P. I. pag. 364.

guntinus archiepiscopus, Dux Saxoniæ, & Marchio Brandenburgensis præcipui fuere, 1297. de exauctorando Adolpho Cæsare, eique subrogando Alberto Austriæ Duce consilium iniere, *a*) id quod regi, ob soceri dignitatem, & potentiam, spem ante conceptam firmavit, matrimonium cum filia illius initum, sibi, & regno, contra externos, & intestinos hostes profuturum.

V. Accessit ad hanc, quam cum futuro 1298. Romanorum rege contraxerat, affinitatem, mox altera, dum sequente anno Viennam profectus, cum rege Bohemiæ, Saxoniæ, Carinthiæ, Opoliæ, & Oppaviæ Ducibus, Marchione Brandenburgensi, & compluribus Germaniæ, Hungariæ, & Bohemiæ archiepiscopis, & episcopis, adducta secum copiosa Hungarorum, & Cumanorum manu, convenisset. In celebri hoc Principum Conventu rex filia sua Elisabetha Wenceslao juniori, regis Bohemiæ filio, & hæredi, Albertus vero, filia altera Marchioni Brandenburgensi, in matrimonium collocatis, communem inter se, cum rege Bohemorum, & qui aderant, Ducibus amicitiam, & armorum societatem, inivere. Hæc illo spectabat, ut Alberto, ad obtinendam Imperii dignitatem, adjumento essent, quam

---

a) Siffridus presbyter, sed male ad an. 1296. Stero ad an. 1297. pag. 577. & Horneck c. 652.

quam etiam, studio imprimis Moguntini ar-
1298. chiepiscopi, exauctorato, & in pugna caeso Adolpho, consequutus est. a)

Rex soluto Viennensi Conventu, in Hungariam reversus, quod hactenus, partim ob interjecta ab regni aemulis, partim etiam exorta domi, obstacula, non perinde, ac oportuit, fieri poterat, animum ad rem publicam, quae ab obitu decessoris magnopere defluebat, serio tandem adjecit. Potentia Baronum regni, & Magnatum, quos quidem Bela IV. accisis superfluis illorum fortunis, utcunque in ordinem redegerat, sub brevi regimine Stephani, & Ladislai conniventia, adeo rursus increverat, ut potestate, quae dignitati conjuncta erat, abusi, contemta regis, & legum auctoritate, quidvis sibi licere putarent. Passim enim, idque injussu regum, castella in bonis suis erexerant, ex quibus non modo regum, & reginarum, sed Ecclesiarum quoque, & vicinorum Nobilium fundos infestabant, & impune sibi vendicabant. Hac infreni licentia irritati, & coorti inter se Nobiles, inito cum Episcopis consilio, regem orandum censuere, ut conventum regni, exclu-

a) Annal. Colmar. pag. 31. Stero pag. 578. Hist. Austr. plen. pag. 484. apud Freher Tom. I. Chron. Zwetlen. apud Hier. Pez Tom. I. col. 533.

clasis, Magnatibus, ad pridie Nonas Augusti, Pestinum indiceret. a) Aegre id primum illi, 1298.
quo-

a) Exordium Decreti, cujus exemplum in regni Tabulario asservari dicitur, collapsæ rei publicæ causas, his verbis exprimit. *Temporè coronationis Andreæ, regis illustris Hung. etsi non omnes conditiones seu libertates regni Hung. ab antiquo observatæ, quædam tamen ex ipsis libertatibus, & conditionibus notabiles, & plus necessariæ, publico scripto, sigillo ejusdem domini regis vallato, fuerint declaratæ, quæ, quia iniquis hominibus, & cupiditate excæcatis, pravitatibus intervenientibus minime fuerunt observatæ, & ex tepiditate domini regis fuere penitus & postpositæ, regnum Hung. in omni sui parte fluctuare fecit, & per vastus varios, ac plurimos, ex potentia Baronum, & aliorum potentium in tantum annullari, ut Ecclesiæ, & Nobiles, alii autem regnicolæ, in suis rebus, & facultatibus, fere ad extremam exinanitionem devenerint. Quo viso, idem dominus Andreas, Spiritu sancto suggerente, aures aperuit suæ clementiæ, & fidelibus consiliis aquiescens, congregationem indixit generalem, ad hæc, ut (per) Prælatos, & viros Ecclesiasticos, nec non & Nobiles hujus regni, exclusis quibuscunque Baronibus, prout moris est huic regno casuro, & per nimios vastus diminuto, salubri consilio, quo posset, sub-*

ve-

[redacted] quorum causa in Comitiis sine dubio inferior
1298. futura erat, ferre visi sunt, post tamen Nobilium, qui numero superiores erant, postulatis cedere, & regis voluntati obtemperare coacti sunt. Itaque Episcopi, & Nobiles, adscitis etiam in consortium Saxonibus Transsilvaniæ, & Cumanis, ad præstitutum diem, Pestinum convenere, a) & habita inter se matura deliberatione, statuta, quæ ad rem publicam reparandam opportuna videbantur, & dein regis, Episcoporum, ac ipsorum adeo Ba-

---

variatur iniquitatibus perversorum, salubriori consilio obviandum.

a) Ibid. *Nos itaque Joannes Dei gratia Archiep. Colocensis, aulæ domini regis Cancellarius,* (sequuntur aliorum episcoporum nomina) *apud Ecclesiam Fratrum Minorum in Pesth, anno Domini M. CC. nonagesimo octavo in festivitate B. Dominici Conf. cum omnibus Nobilibus Hung. singulis Saxonibus, Cumanis, in unum convenientes, accepta auctoritate, & consensu domini regis, & Baronum totius regni, prouti & aliorum, invocata Spiritus S. gratia, tractare cœpimus de his, per quæ regiæ magnificentiæ, & statui regni totius, ac etiam ipsarum Ecclesiasticarum personarum, & Ordinum aliorum consuleretur.*

Baronum sigillis firmata sunt, a) condidere. [redacted] 1298.

Praecipua, eaque solum, quae tristem Hungariae, illius temporis conditionem repraesentant, ex his delibabo. Ante omnia, Conventus, regis auctoritati volens consulere, statuit, ut ei, tamquam domino omnium, honorem, qui majestati illius debetur, omnes exhibeant, & ad dignitatem illius sustinendam, fundi regii, a quocumque abstracti essent, restituantur: idem de iis, qui vetere instituto ad reginas pertinebant, eamdem ob causam; decretum. b) Barones, aliique potentia illis pro-

a) Ibid. in fin. *Et quia saluberrima statuta, regis honori, & statui regnicolarum magno remedio proficientia a praedictis Ven. Patribus, & ab incolis totius regni Hung. de legati consensu domini regis, & Baronum processerunt; prout in superioribus est expressum, — debitam retineant firmitatem, dominus rex, & regni Barones sigilla sua, ad instar sigilli Praelatorum, huic chartae statutorum apposuerunt.*

b) Id. Decr. *Ut dominum Andream, ex regali stirpe descendentem, revereamur tamquam dominum regni naturalem, & ut in persona ipsius, regalis dignitas secundum exigentiam sui culminis fulgere possit, omnia regalia, & reginalia, per quemcunque, & quandocun-*

proximi, qui hactenus ab agendis prædis no-
1298. tati erant, veniam delictorum a rege ſupplices flagitent, & a violenta alienorum occupatione, latrociniisque deinceps abſtineant. *a)* Eccleſiaſticorum quoque juribus, & Nobilium indemnitati cautum: qui illorum res, terras, aliave per vim occupata, retinerent, nec intra trimeſtre a ſoluto conventu, ſuis dominis redderent, non modo excommunicatione perſtricti cenſeantur, a qua ſolum per Colocenſem archiepiſcopum, adhibito aliorum epiſcoporum conſilio, ſolvi poſsint, *b)* ſed inſuper-

cunque, indebite occupata, pleno jure reſtituantur.

a) *Barones, & alii potenter agentes, a vaſtibus, & ſpoliis agendis, omnino ſe refrænent, & de his, quæ male geſta ſunt, regiam majeſtatem offendendo, ad gratiam domini regis ſe conferant, veniam petentes de commiſsis, & quod de cetero expilationes, latrocinia, & occupationes, ſeu varia nocumenta ceſſent omnino.* ibid.

b) Ibid. *Jura etiam Eccleſiaſtica, & Nobilium, in poſſeſsionibus, in foris, in tributis, & aliis, quocunque tempore, & per quemcunque indebite occupata, penitus reſtituantur.* Et paulum infra: *Et quicunque regalia, & reginalia indebite occupata, poſſeſsiones etiam Eccleſiarum, & Nobilium, Fora, tributa hacte-*

per ejusmodi contumacium possessiones, repenso iis, qui injuriam passi sunt, damno, per Fiscum regium occupatæ, juri regio ita cedant, ut ne proles quidem ob parentum delicta, legitimam hæreditatis partem adeundi, potestatem habeant, nec prærogativis Nobilium frui, deinceps possint. *a*) 1298.

Ne

tenus indebite detenta, non restituerint, & infra spacium 3. mensium, a die Congregationis computandarum, dimittere non curaverint, aut si qui de novo ad spoliandum, & occupandum possessiones regales & reginales, Ecclesiarum, & Nobilium, contra hæc statuta surrexerint, sententiam excommunicationis, quam contra injustos ex nunc auctoritate præsentium proferimus, incurrant ipso facto, a qua absolvi non valeant, nisi apud archiep. Colocen. omnium nihilominus episcoporum consensu, & assensu interveniente, & præhabita satisfactione competenti, domini regis cedant judicio, pœna debita puniendi, possessionibus tamen omnibus ipso facto privati, deducta repensione damnorum per tales illatorum, & eis (quibus) intulerunt, assignatis, vel adjudicatis.

a) Ibid. *Ceteræ possessionum partes in manus regias devolvantur ita, quod hæredes eorundem, propter excessus parentum, legitima parte hæreditatis denudati, inter Nobiles*

non

1298. Ne qua autem fraus, dolusve, in restitutione fundorum interveniat, quatuor Nobiles in quovis Comitatu jubentur deligi, qui in consortio illius, quem eis rex adjunxerit, secundum æquitatem, ademta possessoribus legitimis restituant, qui, si aliquid gratiæ, aut timori tribuisse, vel crimen falsi commisisse, deprehensi fuerint, similiter censuræ Ecclesiasticæ subjaceant, & præterea pro regis arbitrio puniantur. Rex quoque, si quid vel ipse, vel sui, Ecclesiis, aut Nobilibus ademissent, reddent bona fide, alioquin, ut ceteri, sacrorum communione privandi. Faciet item, ut, si quæ pars regni, quocunque titulo, vel colore, a decessoribus fuisset alienata, hanc, nisi impedimentum legitimum obstet, regno iterum vendicet. *a*) Ad hæc, Nobilibus tenuioris

---

non debeant computari, & ab actibus Nobilium, atque ab aditu — exclusi, maneant ab omnibus actibus legitimis alieni.

a) Id Decr. *Et si aliqua pars regni, quocunque titulo, vel colore, per quemcunque regum, alienata exstitisset, teneatur revocare, & idem dominus rex ad jus regium, ut regnum Hung. quasi quoddam jus totum suarum possit partium integritate gaudere, sententiam ipsius archiep. Colocen. quam de consensu Prælatorum esset incursurus, si hoc, legitimo impedimento cessante, idem dominus rex neglexerit emendare.*

tis fortunæ, liberum sit, cui volent, servire, quod si Barones, aliique Magnates ad servitium cogerent, vel nolentes, in personis, aut facultatibus lædere auderent, sacrorum communione arceantur, & rex severam ultionem ex temerariis oppressoribus sumat. *a*) Castella, & munitiones nemini deinceps, rege invito, liceat exstruere, ea vero, ex quibus damna hactenus incolis illata sunt, funditus convellantur. Palatino curæ erit, ut mandato Conventus satis fiat. Si in demolitione segnes, aut contumaces repererit, & castrum in aliena terra esset erectum, hoc diruto, illam domino reddi jubebit, sin in propria latrocinantis ditione situm, hujus fundos cum castro, sine redemtionis, aut permutationis spe, Fisco regio addicet. *b*) Generatim autem, omnibus, 1298.

a) Ibid. *Item statuimus, quod Nobiles servire valeant, quibuscunque voluerint sua spontanea voluntate, & si qui potentum hujusmodi Nobiles ad sibi serviendum vi — arctaverint, aut ipsos propter hoc in personis, vel facultatibus suis læserint, — contra hoc statutum venerint, excommunicationem ex nunc latam, incurrant ipso facto, & si de hujusmodi depressione Nobilium domino regi constiterit, tales depressores persequi teneatur, digna ultione feriendos.*

b) Ibid. *Munitiones, & Castella, de novo absque licentia domini regis* (non erigantur) *vel quæ*

bus, injuriam damnumve passis satisfactio intra tres menses præstetur. Denique, si qui ea temeritate essent, ut Conventus statutis
1298. nollent obtemperare, hos rex armis in ordinem redigat, si neque hæc sufficerent, auxilia ab exteris in regnum accersat, quibus refractarii, & rei publicæ noxii homines castigentur. *a*)

VI.

---

quæ fuerint tales, de quibus detrimenta inferuntur, aut etiam quibus ipsæ possessiones non sufficiunt, minores etiam super Ecclesias, & monasteria factas, sine dilatione omni deleantur, quæ si destructa non fuerint, detentores earundem munitionum sententiam excommunicationis ex nunc latam (incurrant) *& nihilominus per dominum regem — vel per Palatinum, hujusmodi munitiones deleantur. Terræ siquidem, ubi tales munitiones per dominum regem, vel Palatinum repertæ fuerint, — in jus regium devolvantur, nulla redemtione, vel commutatione recepta. Si vero fuerint aliorum, veris, & propriis dominis restituantur.*

a) Ibid. *Si qui vero ex istis — insurgerent, quos dominus noster rex Hung. invocata, & congregata regni* (potentia) *deprimere non posset, & pœnis supra dictis adducere, licitum illi sit, — auxilium aliunde implorare, per quod convinci possit feritas delinquentium.*

VI. Hactenus statuta Conventus. Opportuna illa quidem consanandis rei publicae vulneribus erant futura, si malum, quod fere sub quatuor regibus sensim invaluerat, a) non tam altas jam radices egisset. Ipsa poenarum, quae delictis constitutae erant, severitas, & amittendorum, quae aliis per summam injuriam rapuerant, metus in causa fuit, ut complures nec Conventui quidquam deferrent, & a rege praeterea alienarentur. Rursus igitur Comitia indicta, quibus ut Gregorius quoque, electus Strigoniensis, qui anno priore a Conventu se subduxerat, interesset, missa legatione, & data securitatis fide, invitatus est. Renuit, partibus Caroli Siculi clam addictus, & auctoritate sua factiosos in pertinacia confirmans. Quin ausus est etiam, licet jurisdictionis confirmationem Roma obtentam, quod tamen rogabatur, nunquam exhibuisset, episcopos ex Comitiis Veszprimium, ubi cum 1299.

a) Decret. Comitiorum hujus an. apud Pray P. II. Hierarch. pag. 166. & seq. *se recipiens* (nempe Gregorius electus Strigonien.) *apud infideles regni,* (qui) *nefandissima, & execrabilia facinora, quae in effractionibus Ecclesiarum — ac horribilibus destructionibus, spoliationibus, & vastationibus, fere a temporibus quatuor regum regni Hung. miserabiliter perpetrarunt,* &c.

[redacted] regis adversariis morabatur, consensu Co-
1299. mitiorum, regisque auctoritate, ad se accer-
sere, & nisi parerent, sententiam excommuni-
cationis se in eos laturum minabatur. Id
cum frustra agit, ultra Dravum, in castrum
sanctae Crucis, latrociniis infame secessit. Quo
exemplo plures sensim in societatem Comi-
tiis oppositam coaluere. a)

Inter hos Ivanus Comes Gissingensis, (Német-Ujvár) de quo alias saepe mentio injecta est, & Henricus frater illius, cum complicibus, praecipui fuere, qui etsi omnium fere malorum, quibus regnum premebatur, auctores, & propterea a Lodomerio Strigoniensi archiepiscopo, sacris olim interdicti fuissent, ut tamen invidiam a se amolirentur, jam anno priore ad Bonifacium VIII. scripserant, Hungariam, regis desidia, in extremum discrimen adductam, &, ut crimen defectionis adulatione palliarent, addebant, se non alium regem posse agnoscere, nisi quem Pontifex judicio suo probasset. b) Temerarie id langientes, quod nec in illorum potestate erat, & nunquam ad sedem Apostolicam pertinebat. Rescripsit Pontifex, monuitque Gregorium Strigoniensem electum, ut supplices, ab excommunicatione liberos pronunciaret, &

a) Ibid.

b) Raynaldus ad hunc an. N. 12. & 13.

& malis in dies latius diffusis medelam poneret. Sed qui a Conventu, regis jussu indicto, primus secessionem fecerat, & reliquis, si non auctor, ad idem audendum, exemplo erat, vix illius jam sive animi, sive auctoritatis erat, ut morem Pontifici gerere potuerit.

VII. Hunc in modum res habebant, cum factiosi, Comitiis rursus sine fructu solutis, audaciores redditi, consilium inter se, de Carolo e Sicilia advocando, iniere. Missi sunt, qui illum ad capessendum regnum Neapoli accerserent. Nec is diu moratus, comparata classe, Spalatum mense Augusto appulit, ubi cum duos fere menses moram traxisset, ut, in quam partem animi inclinarent, experiretur, Zagrabiam profectus, jussu Pontificis a Gregorio Strigoniensi electo, rex Hungariæ, inunctus est. a) 1300.

Andreas, qui se jam in aditu regni, ne eo potiretur, a factiosis vi detentum, nec, nisi datis obsidibus, dimissum expertus erat, abhinc autem, licet celebratis sæpe Comitiis, b) nondum pacatos animos, nec tranquillitatem regno esse restitutam, præter Prælatos au-

a) Madius c. 3. Lucius l. 4. c. 10. Reynaldus ad an. 1301. N. 7.

b) Hagenus apud Schier cit. l. pag. 243. testatur, Andream quovis anno Conventum regni celebrasse.

autem, & Nobiles, sibi paucos ex Magnati-
1300. bus addictos, vacillare ex his aliquos, & vivo sibi præterea æmulum opponi videret, mœrore animi sensim tabescens obiit, a) nullo hærede relicto, b) vicesimus secundus, & ulti-

a) Hoc anno exstinctum memorant annal. Altahenses apud Freher Tom. I. pag. 581. Salisburg. apud Hieron. Pez Tom. I. col. 397. item Chron. Bavar. apud Oefel. Tom. I. 693. alii contra, iique plures ad an. 1301. sed priores rectius. Madius enim temporis illius scriptor, perhibet, eo anno defunctum, quo jubilæum Romæ celebratum fuit, hoc autem, ut Raynald. habet ad an. 1300. N. 6. contigit an. 1300. Ipse etiam Carolus annos sui regiminis ab hoc, non item sequente anno, numerare solet.

b) Agnes regina, ex qua aliqui regem, filiam sustulisse suspicantur, perturbato regni statu, captivæ instar tenebatur, donec ab Austriacis, studio Ivani, liberata, & Viennam deducta esset. Vid. Schier regin. Hung. pag. 245. Dubium autem est, an rursus in Hungariam redierit. Illud certum, etiam ab absente donationes in Hung. factas esse. An. 1313. villam Neusidl, tunc Zumbathely dictam, Capitulo Strigon. donavit, quam donationem confirmavit an. 1322. *Dat. in Claustro, Kunfeld vocato*, 15. *Cal. Febr.* in quo claustro etiam obiit an. 1364.

imus regum, qui ex ſtirpe Arpadi trecentis
annis Hungariæ continenti ſerie imperarunt; 1300.
non æquali omnes in adminiſtranda re publi-
ca uſi fortuna; obſervatumque eſt, quo quis
formæ regiminis, a Divo Stephano inſtitutæ,
qua partes civilis corporis, deſignato ſingulis
limite, inter ſe, æquato libramine, copulave-
rat, tenacior fuit, eo florentius ſemper re-
gnum; ut contra, cum partes inter ſe, &,
rupto nexu, a capite etiam divulſæ erant,
pluribus calamitatibus jactatum, & ad extre-
mum fere diſcrimen adductum fuiſſe.

[illegible]

[illegible]

